3 1761 07974567 5

HANDBOUND
AT THE

UNIVERSITY OF
TORONTO PRESS

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/satiraepers00pers

LL
P4665P

AULI PERSII FLACCI

SATIRAE.

RECENSUIT ET COMMENTARIUM CRITICUM

ATQUE EXEGETICUM ADDIDIT

DR. FREDERICUS PLUM,

FIONIÆ EPISCOPUS, ORD. DANNEBROGICI EQUES.

HAVNIÆ.

IMPTIBUS J. H. SCUBOTHII, AULÆ REGIÆ BIBLIOPOLÆ.

TYPIS SEV. HEMPELII, OTHINIÆ.

MDCCCXXVII.

4776
17/8/90
f

CHRISTIANO IOH. BREDSDORF

PHILOLOGO,

PAROCH. *SÖRUP* ET NOSOSOC. *GEORG.* FION.

PASTORI SUMME REVERENDO,

UT

VETERIS AMICITIÆ

MONUMENTUM ALIQUOD EXSTARET,

PERSIUM SUUM

D. D. D.

EDITOR.

PRÆFATIO.

Passowius, Vir. Cl. cum 17 abhinc annos codices Persii, qui exstant, pariter ac interpretes omnes perlustrandi et summatim describendi consilium proderet, opus quidem promisit multi laboris atque apparatus, sed nec perfectum, nec quod ab uno homine perfici posse videatur. Verum tamen germanica sua Persii conversione accuratissima difficillimum poetam in multis illustravit, et commentario, quamvis in unam satiram, viam monstravit, qua cuique, novis instructo auxiliis, eundum ad finem ipsi propositum assequendum. Cui operi perficiendo ut etiam mea qualiacumque studia subseciva conferrem, antiquiores Persii interpretes, quatenus suppeterent, et in his inprimis Turnebum, a Casaubono plus iusto neglectum, cum hoc interpretum principe comparavi, commentariis item recentioribus et qui haberentur codicibus in censum vocatis. Qua comparatione si copiosior, quam par erat, factus sit commentarius, hoc recitationum, ad quas animum instituceram, formæ tribuendum. Novi huic

operi adhibiti codices in bibliotheca magna regia Hauniensi asservantur. Sunt vero hi: 1. Codex membraneus, n. 2028. 4º. continens Persii Satiras foliis 24. iisque angulis rotundatis. Palimpsestum vel rescriptum habendum esse, plura sunt quæ suadeant. Nam et pluribus locis membranæ, alias satis crassæ, ita sunt tenues, ut atramentum pelluceat, et paginarum asperitas, et erasarum literarum inprimis in ultimo folio vestigia luculenter probant. scripturam antiquiorem recentiori cessisse. Cuius vero argumenti fuerint ea, quæ Persii Satiris locum dare cogerentur, cum, paucis literis exceptis, tota scriptura antiquior evanuerit, nullo modo definiri potest. Addita sunt tam in margine quam inter lineas scholia, nunc contractiora, nunc pleniora iis, quæ vulgo sub Cornuti nomine circumferuntur. Ad calcem adiecta est Persii vita in compendium redacta. Scriptura textus et scholiorum ad sæculum XI. maxime est referenda, Persii autem vita manui sæc. XIV. debetur. Germaniam huius codicis esse patriam, vel inde coniicere licet, quod Sat. 1, 58. vocabulo *ciconia* glossa superscripta est *storch*. Ultima pagina inscriptionem habet: Liber sancti panthaleonis in Colonia. 2. Codex chartaceus n. 2029. 4º. continens Iuvenalis et Persii Satiras, eleganti charactere diligenter scriptas sæculo fere quinto decimo. Titulus Satirarum Persii, ultimæ Iuvenalis paginæ literis miniatis appictus est hunc in modum: Auli Persii Flacci Poete Volaterani Satyrarum liber

incipit et primo phemium: vel pa Satyra. In sequenti folio incipit cum initiali deaurata prologus, qui, ut in pluribus scriptis libris, caret versu: Corvos quis &c. 3. Codex chartaceus Persii n. 430. formæ maximæ, rudibus literis exhibet textum vulgarem cum scholiis, tam inter lineas quam in marginibus appositis. Ad finem textus legitur: . . . persius Iste anno MCCCCC3° In Octavo . . . per me Iacobum Mathiam feliciter Fo[illegible]. Post scholia hæc: In Universitate Lipsiensi p Ia. Math a . . . collectus. 4. Editio 1476. textum Iuvenalis et Persii solum exhibet. Numerat non nisi 5 satiras, cum sat. tertia et quarta, quamvis linea distinctæ, ad eundem titulum referantur. Nec versus heroicus, cuiusque satiræ argumentum indicans, quartæ præfixus est. Ad calcem inscribitur: D. Iunii Iuvenalis et A. Persii Flacci satyras diligentissime castigatas impressit Philippus Lavanius mediolanensis decimo Kalend. novembris 1476. 5. Editio 1482. continet Persii satiras cum commentario Bartholomæi Fontii; in fronte prooemium in Persium; ad calcem epistolam B. Fontii ad Franc. Saxettum de mensurarum vocabulis; deinceps vitam Persii. Finalis inscriptio: Venetiis per baptistam de tortis 1482. die VI. decembris. 6. Editio Persii, a Dionysio de Bertochis et Pelegrino de Paschalibus impressa Venet. 1484. Fol. 7. Codex Iuvenalis et Persii membraneus, in Gallia, ut videtur, post sæculum 15. sed festinante calamo et negligenter adeo exaratus, ut summa

cum difficultate vel a bene oculato legi possit; cuius tamen variantes lectiones debeo viro literatissimo Salomonsen. qui ceteros a me collatos codices curatius discripsit. Accedunt, præter citata Persii loca in glossis, quæ vocantur Cornutii, in scholiis Servii Virgilianis, et veterum grammaticorum libris apud Putschium, variæ lectiones ab aliis collectæ et evulgatæ, in meum usum diligenter translatæ. Quales sunt Pithoei et Eliæ Vineti, scholiastæ veteri subiunctæ, Lutet. 1601; Turnebi, in Adversariis Basil. 1581 obviæ; Casauboni, in commentario Paris. 1605. ex mss. et impressis libris bibliothecæ Putheanæ, Bongarsianæ, cet. desumptæ; Füllebornii, in ed. et conversione germanica Persii, Züllichau u. Freystadt 1794. ex mss. duobus bibliothecæ Rhedingerianæ Uratisl. Sebaldi, Norimb. 1803. ex ms. Ebneriano; Passowii, Lips. 1809. (nimirum primæ satiræ lectiones) ex mss. membr. quatuor Dresdensibus, tribus Monachinis, item Gothano, Bremensi, Wimariensi, Lipsiensi et Rothiano Norimbergensi; Wagneri, in germanica conversione, Luneb. 1811. ex membrana Luneburgensi; Achaintrii, in ed. Paris. 1812. ex codicibus Parisinis, quorum lectiones præcipuas Orellius in Eclogis Poet. Lat. Turici 1822. exhibuit, additis lectionibus membranæ Tigurinæ; Friedrichsenii, ex ms. Husumensi apud Seebode, Archiv für Philologie, Jahrg. 2. Heft. 1. Helmst. 1825. et Weberi, in ed. Persii, Lips. 1826. e codd. Parisino, Wimariensi et Chemnicensi. Nec

emissum, si quid notatu dignum præberent aut variæ textus recensiones apud Murmellium (Coloniæ 1538.) Pithoeum (Lutet. 1601) Casaubonum, Farnabium (Amst. 1630.) Bondium (Amst. 1645.) Schrevelium (Amst. 1684.) editorem Cantabrig. (1762.) Berolino-Lipsiensem (1775.) Reizium (Lips. 1789.) Passowium, Orellium, Weberum, aut conversiones, quarum Herderiana primæ satiræ et Passowiana, totum complexa, ceteras longe antecedunt. Cum lectionis varietatem tabulis exhibere longum foret, eam indice ad calcem libri ita sistere conabor, ut cuiusque codicis usus inde quodammodo statuatur. Ad illum indicem, immo vero ad Casaubonum, Passowium, Koenigium et Weberum eos delegandos velim, qui de Persii vita, moribus, scribendi genere, satirarum argumento &c. quæ in prooemio dicenda essent desiderabunt. Hic sufficiat, ex codice Husumensi et commentario Weberi addere, quæ, cum uterque liber deesset, et ille usqua a sat. 2, 47. hic vero a sat. 1, 76. primum adhiberetur, suo loco desiderantur.

Hus, cod. Prol. 2. *Parnaso.* 3. *me* rasum. 4. *Eliconiadas.* 6. *ederæ.* 8. *chere.* 10. *ingenyque.* 13. *poetridas.* 14. *melos.* Sat. 1, 5. *num* vel *nunc*, minime *non.* 6. *examen ne.* 8. *ac.* 9. *tum.* 10. *aspexi.* Ita ubique in sequentibus pro *ads*picere. 11. *cum*, et ubique in sq. pro *quum.* 13. *inclusi.* 15. *hoc.* 16. *sardonice.* 19. *hic*, (nus-

quam *heic*) *nec voce sonora.* 28. *pulcrum,* nuspiam *pulch.* 32. *circa . . iacintia.* 34. *Ysiphilas.* 35. *ac.* 36. 38. 39. *num nunc.* 37. *foelix . . num . . imprimet.* 42. *loquutus.* 46. post *est* lacuna. 50. *est hic Ilias.* 52. *quicquid.* Ita ubique in sq. 57. *sexquipede.* 63. *Quis sermo populi.* 64. *effluere.* 67. (*opus* deest) *in prandia.* 73. *tenens dentilia Quinti.* 74. *Quem . . dictatura.* 87. *Laudatum.* 91. *querella.* 93. 105. *Athis.* 95. *Scit . . Appenino.* 97. *prægrandi,* 98. *lapsa.* 102. *Euchion . . assonat.* 110. *Littera*; ita ubique. 112. *faxat.* 114. *Meite.* 116. *Flaccus Homero.* 121. *asini quis non habet.* 126. *unde.* 127. *in* deest. 129. *aliquid.* Sat. 2, 1. *Nunc.* 8. *clare hæc ut.* 9. *murmurat.* 14. *Verio.* 17. *nimium.* 19. 22. *Stagio.* 22. *Iuppiter* (sic ubique) . . *clamat.* 23. *clamet non.* 25. *sulphure.* 29. *est* omissum. 31. *iit metuens.* 35. *quattit . . sacram.* 36. *Licini campos.* 39. *mando hæc vota.* 42. *grandes.*

Weber ad Prol. vs. 5. *relinquo*; quod Passowius e codd. recepit, cum Orellio pro glossemate habet, et „remitto" commode dictum putat, quia Persius Romæ tunc temporis recitantium poetarum iactationibus de commercio cum Musis et afflatu inde divino accepto interfuit, sed nihil earum in proprium usum convertere voluit, quare addit: *Ipse semipaganus.* Ad vs. 8. suspectum „Corvos quis olim" &c. in novissima Achaintrii editione 1822. receptum, ad narrationem Plinii H. N. 10, 45. fortasse com-

positum esse opinatur, et ne Persio tribuatur, vetare præter alia particulam *olim*. In ed. Britannici an. 1505. adscriptum ait: Versus hic a Fonteio, non ab aliis, ponitur. Fonteius Persii amicus fuisse dicitur. Ad vs. 14. hæc habet: „Achaintrius, Turnebum in Adv. 4, 22. p. 125. (meæ ed. 131.) 10. (37.) et 10, 13. p. 299. 24. (316. 62.) sequutus, verba in versione Francogallica sic transtulit: Cantare Pegasium melos credas: alii, ut metrum servarent, scribebant mellos, alii retinebant *melos* longa syllaba. Melius tamen *nectar*, quod plures codd. et Reizius et Passowius et Orellius in editionibus habent, præfertur. Hoc satis se commendat eo, quod Persius poetas æquales, qui sublatius de carminum suorum dulcedine vel loquerentur, vel cogitarent, hac dictione risisse videtur." Sat. 1. vs. 1. tribuit soli Persio, secum deliberanti, debeat, nec ne, satiras scribere: quod quidem ita hic instituit, ut interrogando sibique respondendo vulgi de hac re iudicium, quod incepto suo oppositum sit, diluere studeat; abreptus autem mentis alacritate et furore poetico tandem eo pervenit, ut ingenium ætatis, cui adversatur, in speciem et formam transmutatum sibi adesse et secum colloqui fingat; ad quod colloquium transitus fit v. 40. ubi *ait* occurrit, quod non ad unum refertur, sed quod in universum dictum est. Hanc igitur satiram Weberus non prius dialogi formam induere statuit, quam v. 44. *Quisquis es* &c. His cf. quæ contra Orellium de

dialogismo Persii observavimus ad Sat. 1, 91. pag. 120. Vs. 5. ad particulam *que*, ex antiquioribus libris a Passowio reductam, bene observavit, eam non repetere negationem, quod si statueretur, *castigare* vim suam corrigendi amitteret, et nulla præterea vocis *improbum* ratio habita esset, sed per se esse percipiendam. Quare cum Bartholomæo Fontio ita sententiam constituit: Cum corrupto populus Romanus iudicio sit, si aliquem extulerit et laudarit, eius iudicio non accedas, ipseque linguam, quæ in populari trutina fallax est, coerceas, et quam in partem ea vergat observes. Vs. 8. lectioni *at*, a Passowio et Orellio ex codd. et edittt. antiquis receptæ, præfert *ah* Reizii, quod non coniecturæ, sed Asterii Manlii Parmensis commentario deberi existimat, et animo poetæ æstuanti, graviterque ferenti, quod satiras sibi scribere non liceat, videtur aptissimum. Vs. 12. cum Meistero interpungit: *sed sum petulanti splene*: *cachinno*, addens, Heindorfium in margine ed. Bipontinæ eundem secutum esse sensum. Vs. 13. vult ex voc. *liber* ad enuntiationem *numeros ille* contrarium *inclusus* vel simile quid intelligendum, ut sit metri lege coarctatus, collatis locis Tac. Hist. 1, 8. „Cluvius Rufus, vir facundus et pacis artibus (sc. expertus) bellis inexpertus;“ Iustin. 13, 1. „non ut civem et tantæ maiestatis regem (sc. lugebant) sed ut hostem amissum gaudebant.“ de quo loquendi genere Seebode in Miscell. 1, 3. et hoc loco contrarium v. *liber* eo facilius

omissum esse putat, quod *inclusi* eiusdem notionis, quæ supplenda est, præcedit. *Scribimus inclusi* illi est: in conclavi, a strepitu et turba remoti, ne alii nobis impedimento sint, o: acerrimo studio. Vs. 17. pro „leges" Pithoei, Casauboni, Reizii, Achaintrii, Orellii, al. scribendum esse *legens*, auctoritate confirmat Federici Ceruti et Schrevelii. Addo Io. Murmellii, utroque anterioris. Vs. 24. legit *Quid didicisse* cum codd. fere omnibus, quamvis contra communem dicendi usum (Heins. ad Ovid. Epist. 2, 53. 4, 15. Bentl. ad Hor. Ep. 1, 5, 12.) quem cum nonnulli sequerentur, in libris *quid* in „quo" mutarunt. Vs. 35. *Assensere viri* per se collocanda esse, ut vs. 38. *Laudant convivæ* recte dicit, improbans comma post *palato* ab Orellio positum, quasi sequentia verba apodosin efficerent, quod sic tantum fieri poterat, ut *si* in protasi omissum diceretur. Vs. 39. contra Stieberum et Koenigium, qui hunc versum ob verbositatem totius loci insititium censent, bene monet de circumspectione in eiusmodi orationis ubertate suspectis locis expungendis, et Persium h. l. iusto verbosiorem fuisse existimat, quia vulgares et sæpe auditas ævi illius formulas, quibus poetæ defuncti laudabantur, irridebat. Vs. 59. lectionem *imitari* in dubium vocat, quia *pinsit*, ciconiæ aptissimum, etiam ad manus trahi potest, et vulgatam *imitata est* ita tuetur, ut ex accusativo relativi *quem* suppleat *cui*, o: cuius in contumeliam nulla manus a tergo albas asini au-

res expressit, ut Iuvenal. 14, 106. „Cui septima quæque fuit lux Ignava, et (qui) partem vitæ non attigit ullam," et Plaut. Rud. 2, 1, 2. „Quibus nec quæstus est, nec (qui) didicere artem ullam." cf. Ruddim. Inst. Gr. Lat. II. p. 27. ed. Stallbaum. V. 57. cum censore Heidelbergensi defendit *et prandia*: „Res vitæ communis sunt mores corrupti et luxus, ad quem prandia regum i. e. potentiorum pertinent: quare explicandi caussa bene adduntur *et prandia*." Vs. 74. legendum *Quum . . dictaturam induit*, et omissum *te*, antecedente vocativo et sequente pronomine *tua*, ferendum suadet, quod cum his verbis eorum, quæ sequuntur: *Et tua aratra domum lictor tulit* durissima illi videtur coniunctio.

Variarum Weberi lectionum, quæ restant, hæc sunt præcipuæ: *Cod. Parisinus.* Prol. 3. *Memini me, ut repente sic poeta fierem.* 4. *Heliconidasque.* 5. *relinquo.* 9. *nostra verba.* 12. *refulgeat.* 13. *poetridas.* 14. *pegaseum.* Sat. 1, 4. *Nec.* 8. *Romæ est quis non?* 10. *ac.* 18. *colluerit.* 22. *œscas.* 56. *Non nunc.* 44. *feci*, ab altera manu: *fas est.* 46. *rara avis, si.* 50. *Quod.* 58. *pinxit.* 60. *Nec linguæ quantum . . tantum.* 74. *Quem trepida.* Cod. *Wimariensis:* Prol. 4. *Heliconidasque.* 8. *chœre.* 13. *poetricas.* 14. *per pegaseum.* Sat. 1, 4. *Troades.* 10. *ac.* 12. *cum petul.* 18. *coluerit.* 22. *Tu.* 24. *Quid didic.* 50. *pendas.* 55. *ac.* 57. *imprimat.*

50. *habent.* 65. *Quid enim?* 69. *videmus.* 72. *Palilia.* 75. *Et cui.* Cod. *Chemnicensis:* Prol. 2. *Parnaso.* 8. *chere.* 11. *Venter et negatas.* 14. *Pegaseum.* Sat. 1, 2. *Nec..Troades.* 10. *ac.* 16. *sardonyce.* 18. *colluerit.* 24. *Quid didic.* 34. *Phylidas, Hysiphylas.* 35. *ac.* 39. *de fortunataque.* 46. *hœc.* 50. *Acci.* 58. *pinxit.* 60. *tantum.* 69. *videmus.* 72. *Palilia.* 74. *dictaturam.* 75. *Et tui.*

AULI PERSII FLACCI SATIRÆ.

Auli Persii Flacci Satiræ.

Prologus.

Nec fonte labra prolui caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnaso
Memini me, ut repente sic poeta prodirem.
Heliconiadasque pallidamque Pirenen
Illis relinquo, quorum imagines lambunt
Hederæ sequaces: ipse semipaganus
Ad sacra vatum carmen affero nostrum.
Quis expedivit psittaco suum χαῖρε,
Picasque docuit nostra verba conari?
Magister artis ingenîqve largitor,
Venter, negatas artifex sequi voces.
Quod si dolosi spes refulserit nummi,
Corvos poetas et poetrias picas
Cantare credas Pegaseium melos.

SATIRA I.

O curas hominum! o quantum est in rebus inane! — „Quis leget hæc?“ Min'tu istud ais? „Nemo hercule!“ Nemo?
„Vel duo vel nemo; turpe et miserabile!“ Quare?
Ne mihi Polydamas et Troïades Labeonem
Prætulerint? Nugæ! Non si quid turbida Roma
Elevet, accedas, examenque improbum in illa
Castiges trutina, nec te quæsiveris extra.
Nam Romæ quis non —? „At si fas dicere!“ Sed fas
Tunc, cum ad canitiem et nostrum istud vivere triste
Adspexi, et nucibus facimus quæcumque relictis,
Cum sapimus patruos: tunc, tunc ignoscite. Nolo:
Quid faciam? Sed sum petulanti splene; cachinno.

Scribimus, inclusi numeros illi, hic pede liber,
Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.
Scilicet hæc populo, pexusque togaque recenti,
Et natalitia tandem cum sardonyche albus,
Sede legens celsa, liquido cum plasmate guttur
Mobile collueris, patranti fractus ocello,
Heic neque more probo videas, neque voce serena
Ingentes trepidare Titos, cum carmina lumbum
Intrant, et tremulo scalpuntur ubi intima versu.
Tun', vetule, auriculis alienis colligis escas?
Auriculis, quibus et dicas cute perditus: ohe!

„Quid didicisse, nisi hoc fermentum, et quæ semel intus
Innata est, rupto jecore exierit caprificus?“
En pallor seniumqve! o mores! usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
„At pulchrum est digito monstrari, et dicier: hic est!
Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas?“ Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ saturi, quid dia poemata narrent.
Heic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna est,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid,
Eliquat, et tenero supplantat verba palato.
Assensere viri. — Nunc non cinis ille poetæ
Felix? non levior cippus nunc imprimit ossa? —
Laudant convivæ. — Nunc non e manibus illis,
Nunc non e tumulo fortunataque favilla
Nascentur violæ? — „Rides,“ ait, „et nimis uncis
Naribus indulges. An erit, qui velle recuset
Os populi meruisse, et cedro digna locutus,
Linquere nec scombros metuentia carmina nec tus?“
Quisquis es, o modo quem ex adverso dicere feci,
Non ego, cum scribo, si forte quid aptius exit —
Quando hæc rara avis est — si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam: neque enim mihi cornea fibra est:
Sed recti finemque extremumque esse recuso
Euge tuum et Belle. Nam Belle hoc ecute totum:
Quid non intus habet? Non heic est Ilias Accî
Ebria veratro? non si qua elegidia crudi

Dictarunt proceres? non quidquid denique lectis
Scribitur in citreis? — Calidum scis ponere sumen;
Scis comitem horridulum trita donare lacerna;
Et, verum, inquis, amo; verum mihi dicite de me!—
Qui pote? vis dicam? nugaris, cum tibi, calve,
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet.
O Iane, a tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus, auriculas imitari mobilis albas,
Nec linguæ, quantum sitiat canis Appula, tantum!
Vos o patricius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ!

„Quis populi sermo est?“ — Quis enim? nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per leve severos
Effundat junctura ungues; scit tendere versum
Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno;
Sive opus in mores, in luxum, et prandia regum,
Dicere res grandes nostro dat Musa poetæ. —

Ecce modo heroas sensus afferre videmus
Nugari solitos Græce, nec ponere lucum
Artifices, nec rus saturum laudare, ubi corbes,
Et focus, et porci, et fumosa Palilia fœno:
Unde Remus, sulcoque terens dentalia, Quincti,
Quem trepida ante boves dictaturam induit uxor,
Et tua aratra domum lictor tulit. — Euge, poeta! —

Est nunc, Brisæi quem venosus liber Accî,
Sunt, quos Pacuviusque, et verrucosa moretur
Antiopa, cui omnis cor luctificabile fulta.

Hos pueris monitus patres infundere lippos
Cum videas, quærisne, unde hæc sartago loquendi
Venerit in linguas? unde istud dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia levis? —

Nilne pudet, capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire Decenter?
Fur es, ait Pedio. Pedius quid? Crimina rasis
Librat in antithetis. Doctas posuisse figuras
Laudatur. Bellum hoc! Bellum est? an Romule ceves?
Men' moveat quippe, et, cantet si naufragus, assem
Protulerim? Cantas, cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes? Verum, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querela. —

„Sed numeris decor est; et junctura, addita crudis,
Claudere sic didicit versum: Berecyntius Atys,
Et: qui cæruleum dirimebat Nerea Delphin,
Sic: costam longo subduximus Apennino.“
Arma virum! Nonne hoc spumosum et cortice pingui,
Ut ramale vetus prægrandi subere coctum?
„Quidnam igitur tenerum, et laxa cervice legendum?—
Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, et lyncem Mænas flexura corymbis
Evion ingeminat; reparabilis adsonat Echo.“
Hæc fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis? summa delumbe saliva
Hoc natat in labris, et in udo est Mænas et Atys,
Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues.

„Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide sis, ne maiorum tibi forte
Limina frigescant; sonat heic de nare canina
Litera.“ Per me eqvidem sint omnia protinus alba;
Nil moror. Euge! omnes etenim bene miræ eritis res.
Hoc juvat. Heic, inquis, veto quisquam faxit oletum! —
Pinge duos angues; pueri, sacer est locus, extra
Meiite! Discedo. —
Secuit Lucilius urbem,
Te, Lupe, te, Muti, et genuinum fregit in illis.
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, et admissus circum præcordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso.
Men' mutire nefas? — nec clam nec cum scrobe? —
„Nusquam.“
Heic tamen infodiam: Vidi, vidi ipse, libelle:
Auriculas asini quis non habet? — Hoc ego opertum,
Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo
Iliade. —
Audaci quicumque afflate Cratino,
Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles,
Adspice et hæc, si forte aliquid decoctius audis,
Unde vaporata lector mihi ferveat aure;
Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit
Sordidus, et lusco qui possit dicere: lusce!
Seque aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Areti ædilis iniquas;
Nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas

Scit risisse vafer, multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.
His mane edictum, post prandia Callirhoen do.

SATIRA II.

AD PLOTIUM MACRINUM.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes adponit candidus annos.
Funde merum Genio. Non tu prece poscis emaci,
Quæ nisi seductis nequeas committere divis.
At bona pars procerum tacita libabit acerra.
Haud cuivis promtum est, murmurque humilesque susurros
Tollere de templis, et aperto vivere voto.
Mens bona, fama, fides! hæc clare, et ut audiat hospes,
Illa sibi introrsum et sub lingua immurmurat: O si
Ebullit patruus, præclarum funus! et O si
Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule! pupillumve utinam, quem proximus heres
Impello, expungam! namque est scabiosus et acri
Bile tumet. — Nerio jam tertia ducitur uxor!
Hæc sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque, et noctem flumine purgas.

Heus age responde: — minimum est, quod scire laboro: —
De Iove quid sentis? estne ut præponere cures
Hunc — cuinam? cuinam? — vis Staio? — an scilicet hæres,
Quis potior iudex, puerisve quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Iovis aurem impellere tentas,
Dic agedum Staio: proh Iupiter! O bone, clamet,
Iupiter! — at sese non clamet Iupiter ipse?
Ignovisse putas, quia cum tonat, ocius ilex
Sulfure discutitur sacro, quam tuque domusque.
An quia non, fibris ovium Ergennaque iubente,
Triste iaces lucis evitandumque bidental,
Idcirco stolidam præbet tibi vellere barbam
Iupiter? — aut quidnam est, qua tu mercede deorum
Emeris auriculas? — pulmone et lactibus unctis?

Ecce avia, aut metuens divum matertera, cunis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella
Infami digito et lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita;
Tunc manibus quatit, et spem macram supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.
Hunc optent generum rex et regina! puellæ
Hunc rapiant! quidquid calcaverit hic, rosa fiat!
Ast ego nutrici non mando vota; negato
Iupiter hæc illi, quamvis te albata rogarit.

Poscis opem nervis, corpusque fidele senectæ:
Esto, age! sed pingues patinæ, tucetaque crassa
Annuere his superos vetuere, Iovemque morantur.

Rem struere exoptas cæso bove, Mercuriumque
Arcessis fibra: Da fortunare penates!
Da pecus, et gregibus fetum! Quo, pessime, pacto,
Tot tibi cum in flammis iunicum omenta liquescant?
Et tamen hic extis et opimo vincere ferto
Intendit: iam crescit ager, iam crescit ovile,
Iam dabitur, iamiam! donec deceptus et exspes
Nequidquam fundo suspiret nummus in imo.

Si tibi crateras argenti, incusaque pingui
Auro dona feram, sudes, et pectore lævo
Excutias guttas, lætari prætrepidum cor.
Hinc illud subiit, auro sacras quod ovato
Perducis facies. Nam fratres inter aënos
Somnia pituita qui purgatissima mittunt,
Præcipui sunto, sitque illis aurea barba.

Aurum vasa Numæ Saturniaque impulit æra,
Vestalesque urnas et Tuscum fictile mutat.
O curvæ in terris animæ, et coelestium inanes!
Quid juvat, hos templis nostros immittere mores,
Et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa?
Hæc sibi corrupto casiam dissolvit olivo;
Hæc Calabrum coxit vitiato murice vellus;
Hæc baccam conchæ rasisse, et stringere venas
Ferventis massæ crudo de pulvere iussit.
Peccat et hæc, peccat: vitio tamen utitur; at vos
Dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ a virgine puppæ?

Quin damus id superis, de magna quod dare lance

Non possit magni Messalæ lippa propago:
Compositum ius fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto.
Hæc cedo, ut admoveam templis, et farre litabo.

SATIRA III.

„Nempe hoc assidue? iam clarum mane fenestras
Intrat, et angustas extendit lumine rimas.
Stertimus, indomitum quod despumare Falernum
Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.
En quid agis? siccas insana canicula messes
Iam dudum coquit, et patula pecus omne sub ulmo
est:“
Unus ait comitum — „Verumne? itane? ocius adsit
Huc aliquis! nemon'? turgescit vitrea bilis!
Findor!“ — ut Arcadiæ pecuaria rudere credas.

Iam liber et bicolor positis membrana capillis,
Inque manus chartæ nodosaque venit arundo.
Tunc queritur, crassus calamo quod pendeat humor;
Nigra quod infusa vanescat sepia lympha;
Dilutas queritur geminet quod fistula guttas.
O miser inque dies ultra miser! huccine rerum
Venimus? at cur non potius, teneroque columbo
Et similis regum pueris, pappare minutum
Poscis, et iratus mammæ lallare recusas?

„An tali studeam calamo?“—Cui verba? quid istas
Succinis ambages? tibi luditur; effluis amens;
Contemnere; sonat vitium percussa, maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo.
Udum et molle lutum es, nunc nunc properandus, et acri
Fingendus sine fine rota. — Sed rure paterno
Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum,
Quid metuas? cultrixque foci secura patella.
Hoc satis? an deceat pulmonen rumpere ventis,
Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis,
Censoremque tuum vel quod trabeate salutas?
Ad populum phaleras. Ego te intus et in cute novi.
Non pudet ad morem discincti vivere Nattæ?
Sed stupet hic vitio, et fibris increvit opimum
Pingue: caret culpa: nescit quid perdat; et alto
Demersus, summa rursus non bullit in unda.

Magne pater divum, sævos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Moverit ingenium, ferventi tincta veneno:
Virtutem videant, intabescantque relicta. —
Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci,
Et magis auratis pendens laquearibus ensis
Purpureas subter cervices terruit, „imus,
Imus præcipites,“ quam si sibi dicat, et intus
Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor? —

Sæpe oculos, memini, tangebam parvus olivo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis

Discere, non sano multum laudanda magistro,
Quæ pater adductis sudans audiret amicis.
Iure etenim id summum, quid dexter senio ferret,
Scire erat in voto, damnosa canicula quantum
Raderet; angustæ collo non fallier orcæ;
Neu quis callidior buxum torquere flagello. —
Haud tibi inexpertum, curvos deprendere mores,
Quæque docet sapiens braccatis illita Medis
Porticus, insomnis quibus et detonsa juventus
Invigilat, siliquis et grandi pasta polenta.
Et tibi quæ Samios diduxit litera ramos,
Surgentem dextro monstravit limite callem.
Stertis adhuc? laxumque caput compage soluta
Oscitat hesternum, dissutis undique malis?
Est aliquid quo tendis, et in quod dirigis arcum?
An passim sequeris corvos testaque lutoque,
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?
Helleborum frustra, cum iam cutis ægra tumebit,
Poscentes videas. Venienti occurrite morbo.
Et quid opus, Cratero magnos promittere montes?
Discite, o miseri, et caussas cognoscite rerum,
Quid sumus, et quidnam victuri gignimur? ordo
Quis datus, aut metæ qua mollis flexus, et unde?
Quis modus argento? quid fas optare? quid asper
Utile nummus habet? patriæ carisque propinquis
Quantum elargiri deceat? quem te deus esse
Iussit, et humana qua parte locatus es in re?
Disce, nec invideas, quod multa fidelia putet

In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris,
Et piper, et pernæ, Marsi monumenta clientis,
Mænaque quod prima nondum defecerit orca.

Heic aliquis de gente hircosa centurionum
Dicat: „Quod satis est sapio mihi; non ego curo
Esse, quod Arcesilas, ærumnosique Solones,
Obstipo capite, et figentes lumine terram,
Murmura cum secum et rabiosa silentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Ægroti veteris meditantes somnia: gigni
De nihilo nihilum, in nihilum nil posse reverti.
Hoc est, quod palles? cur quis non prandeat, hoc est?“
His populus ridet, multumque torosa iuventus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.

„Inspice: nescio quid trepidat mihi pectus, et ægris
Faucibus exsuperat gravis halitus; inspice sodes!“
Qui dicit medico, iussus requiescere, postquam
Tertia compositas vidit nox currere venas,
De majore domu modice sitiente lagena
Lenia loturo sibi Surrentina rogavit. —
Heus bone, tu palles. — „Nihil est.“ — Videas tamen istud,
Quidquid id est: surgit tacite tibi lutea pellis. —
„At tu deterius palles; ne sis mihi tutor;
Iam pridem hunc sepeli; tu restas.“ — Perge, tacebo. —
Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur

Gutture sulfureas lente exhalante mephites.
Sed tremor inter vina subit, calidumque trientem
Excutit e manibus; dentes crepuere retecti;
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelae; tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit; at illum
Hesterni capite obducti subiere Quirites.

„Tange miser venas, et pone in pectore dextram.“ —
Nil calet hic. — „Summosque pedes adtinge manusque.“ —
Non frigent. — Visa est si forte pecunia, sive
Candida vicini subrisit molle puella,
Cor tibi rite salit? Positum est algente catino
Durum olus, et populi cribro decussa farina:
Tentemus fauces: tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.
Alges, cum excussit membris timor albus aristas;
Nunc face supposita fervescit sanguis, et ira
Scintillant oculi; dicisque facisque quod ipse
Non sani esse hominis, non sanus juret Orestes.

SATIRA IV.

„Rem populi tractas?“ barbatum hoc crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae:

„Quo fretus? dic o magni pupille Pericli.
Scilicet ingenium et rerum prudentia velox
Ante pilos venit; dicenda tacendaque calles.
Ergo ubi commota fervet plebecula bile,
Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Majestate manus. Quid deinde loquere? Quirites,
Hoc, puto, non iustum est; illud male; rectius istud.
Scis etenim iustum gemina suspendere lance
Ancipitis libræ; rectum discernis, ubi inter
Curva subit, vel cum fallit pede regula varo;
Et potis es nigrum vitio præfigere Theta.
Quin tu igitur summa nequidquam pelle decorus
Ante diem blando caudam iactare popello
Desinis, Anticyras melior sorbere meracas?
Quæ tibi summa boni est? Uncta vixisse patella
Semper, et assiduo curata cuticula sole?
Exspecta: haud aliud respondeat hæc anus. I nunc!“ —
Dinomaches ego sum. — „Suffla.“ — Sum candidus
— „Esto,
Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,
Cum bene discincto cantaverit ocima vernæ.“

Ut nemo in sese tentat descendere, nemo,
Sed præcedenti spectatur mantica tergo!
Quæsieris: „Nostin' Vectidî prædia?“ — Cuius? —
„Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret.“
— Hunc, ais, hunc dîs iratis Genioque sinistro,
Qui, quandoque iugum pertusa ad compita figit,
Seriolæ veteris metuens deradere limum,

Ingemit: Hoc bene sit! tunicatum cum sale mordens
Cepe, et, farrata pueris plaudentibus olla,
Pannosam fœcem morientis sorbet aceti. —

At si unctus cesses, et figas in cute solem,
Est prope te ignotus, cubito qui tangat, et acre
Despuat in mores, penemque arcanaque lumbi
Runcantem, populo marcentes pandere vulvas:
„Tu, cum maxillis balanatum gausape pectas,
Inguinibus quare detonsus gurgulio exstat?
Quinque palæstritæ licet hæc plantaria vellant,
Elixasque nates labefactent forcipe adunca,
Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.“

Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis;
Vivitur hoc pacto; sic novimus. Ilia subter
Cæcum vulnus habes, sed lato balteus auro
Prætegit. Ut mavis, da verba, et decipe nervos,
Si potes. „Egregium cum me vicinia dicat,
Non credam?“ Viso si palles, improbe, nummo;
Si facis, in penem quidquid tibi venit amarum;
Si puteal multa cautus vibice flagellas:
Nequidquam populo bibulas donaveris aures.
Respue, quod non es; tollat sua munera cerdo.
Tecum habita; noris, quam sit tibi curta supellex.

SATIRA V.

AD ANNÆUM CORNUTUM.

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora, et linguas optare in carmina centum,
Fabula seu mœsto ponatur hianda tragoedo,
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum. —

„Quorsum hæc? aut quantas robusti carminis offas
Ingeris, ut par sit centeno gutture niti?
Grande loquuturi nebulas Helicone legunto,
Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyestæ
Fervebit, sæpe insulso cenanda Glyconi.
Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos; nec clauso murmure raucus
Nescio quid tecum grave cornicaris inepte;
Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.
Verba togæ sequeris, iunctura callidus acri,
Ore teris modico, pallentes radere mores
Doctus, et ingenuo culpam defigere ludo.
Hinc trahe quæ dicas, mensasque relinque Mycenis
Cum capite et pedibus, plebeiaque prandia noris.“ —

Non equidem hoc studeo, pullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.
Secreti loquimur. Tibi nunc, hortante Camena,
Excutienda damus præcordia: quantaque nostræ
Pars tua sit, Cornute, animæ, tibi, dulcis amice,

Ostendisse iuvat. Pulsa, dignoscere cautus,
Quid solidum crepet, et pictæ tectoria linguæ.
His ego centenas ausim deposcere voces,
Ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham pura, totumque hoc verba resignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra.

Cum primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis Laribus donata pependit;
Cum blandi comites, totaque impune Subura
Permisit sparsisse oculos iam candidus umbo;
Cumque iter ambiguum est, et vitæ nescius error
Diducit trepidas ramosa in compita mentes,
Me tibi supposui. Teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu. Tunc fallere sollers
Apposita intortos extendit regula mores,
Et premitur ratione animus vincique laborat,
Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini consumere soles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Unum opus et requiem pariter disponimus ambo,
Atque verecunda laxamus seria mensa.
Non equidem hoc dubites, amborum foedere certo
Consentire dies, et ab uno sidere duci.
Nostra vel æquali suspendit tempora Libra
Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
Dividit in Geminos concordia fata duorum,
Saturnumque gravem nostro Iove frangimus una.
Nescio, quid? certe est, quod me tibi temperat, astrum

Mille hominum species, et rerum discolor usus.
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper et pallentis grana cumini;
Hic satur irriguo mavult turgescere somno;
Hic campo indulget; hunc alea decoquit; ille
In Venerem est putris. Sed cum lapidosa chiragra
Fregerit articulos, veteris ramalia fagi,
Tunc crassos transisse dies, lucemque palustrem,
Et sibi iam seri vitam ingemuere relictam.

At te nocturnis iuvat impallescere chartis;
Cultor enim es iuvenum; purgatas inseris aures
Fruge Cleanthea. Petite hinc iuvenesque senesque
Finem animo certum, miserisque viatica canis. —
„Cras hoc fiet.“ Idem cras fiet. „Quid, quasi magnum
Nempe diem donas?“ Sed cum lux altera venit,
Iam cras hesternum consumpsimus. Ecce aliud cras
Egerit hos annos, et semper paullum erit ultra.
Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno
Vertentem sese, frustra sectabere canthum,
Cum rota posterior curras et in axe secundo.

Libertate opus est, non hac, qua quisque Velina
Publius emeruit, scabiosum tesserula far
Possidet. Heu steriles veri, quibus una Quiritem
Vertigo facit! Hic Dama est non tressis agaso,
Vappa et lippus, et in tenui farragine mendax:
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama. — Papæ! — Marco spondente recusas

Credere tu nummos? — Marco sub iudice palles?
Marcus dixit. — Ita est. — Adsigna, Marce, tabellas.
Hæc mera libertas; hoc nobis pilea donant.
„An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet ut voluit? licet ut volo vivere; non sim
Liberior Bruto?“ — „Mendose colligis,“ inquit
Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto:
„Hoc (reliqua accipio) licet ut volo vivere tolle.“ —
„Vindicta postquam meus a prætore recessi,
Cur mihi non liceat, iussit quodcumque voluntas,
Excepto, si quid Masurî rubrica notavit?“

Disce: — sed ira cadat naso rugosaque sanna,
Dum veteres avias tibi de pulmone revello. —
Non prætoris erat, stultis dare tenuia rerum
Officia, atque usum rapidæ permittere vitæ.
Sambucam citius caloni aptaveris alto.
Stat contra ratio, et secretum gannit in aurem:
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.
Diluis helleborum, certo compescere puncto
Nescius examen. Vetat hoc natura medendi.
Navem si poscat sibi peronatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse
Frontem de rebus. Tibi recto vivere talo
Ars dedit? et veri speciem dignoscere calles,
Ne qua subærato mendosum tinniat auro?
Quæque sequenda forent, quæque evitanda vicissim,

Illa prius creta, mox hæc carbone notasti?
Es modicus voti? presso lare? dulcis amicis?
Iam nunc adstringas, iam nunc granaria laxes?
Inque luto fixum possis transcendere nummum,
Nec glutto sorbere salivam Mercurialem?

„Hæc mea sunt, teneo,“ cum vere dixeris, esto
Liberque ac sapiens, prætoribus ac Iove dextro.
Sin tu, cum fueris nostræ paullo ante farinæ,
Pelliculam veterem retines, et fronte politus
Astutam vapido servas sub pectore vulpem:
Quæ dederam supra, repeto, funemque reduco.
Nil tibi concessit ratio: digitum exsere: peccas;
Et quid tam parvum est? — sed nullo ture litabis,
Hæreat in stultis brevis ut semuncia recti.
Hæc miscere nefas; nec cum sis cetera fossor,
Tris tantum ad numeros Satyri moveare Bathylli.
„Liber ego.“ — Unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat? —
„I, puer, et strigiles Crispini ad balnea defer.“
Si increpuit: „cessas nugator?“ servitium acre
Te nihil impellit, nec quidquam extrinsecus intrat,
Quod nervos agitet. Sed si intus et in iecore ægro
Nascantur domini, quin tu impunitior exis
Atque hic, quem ad strigiles scutica et metus egit herilis?

Mane piger stertis: „Surge,“ inquit avaritia: „eia

Surge! Negas.“ Instat, „surge,“ inquit — Non
queo — „Surge!“ —
Et quid agam? — „Rogitas? En saperdam advehe
Ponto,
Castoreum, stuppas, ebenum, tus, lubrica Coa;
Tolle recens primus piper e sitiente camelo;
Verte aliquid, iura.“ — Sed Iupiter audiet. —
„Heu! heu!
Varo, regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si vivere cum Iove tendis.“

Iam pueris pellem succinctus et oenophorum aptas:
„Ocius ad navem!“ Nihil obstat, quin trabe vasta
Ægœum rapias, nisi sollers luxuria ante
Seductum moneat: „Quo deinde insane ruis? quo?
Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis
Intumuit, quam non exstinxerit urna cicutæ.
Tun' mare transilias? tibi torta cannabe fulto
Cena sit in transtro? Veientanumque rubellum
Exhalet vapida læsum pice sessilis obba?
Quid petis? ut nummi, quos hic quincunce modesto
Nutrieras, peragant avidos sudore deunces?
Indulge Genio, carpamus dulcia; nostrum est,
Quod vivis; cinis et Manes et fabula fies.
Vive memor leti; fugit hora; hoc, quod loquor, inde
est.“ —

En quid agis? duplici in diversum scinderis hamo;
Hunccine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos; alternus oberres.

Nec tu, cum obstiteris semel, instantique negaris
Parere imperio, rumpi iam vincula, dicas;
Nam et luctata canis nodum arripit; attamen illi,
Cum fugit, a collo trahitur pars longa catenæ.

„Dave, cito, hoc credas iubeo, finire dolores
Præteritos meditor.“ Crudum Chærestratus unguem
Abrodens ait hæc: „An siccis dedecus obstem
Cognatis? an rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscenum frangam, dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores exstincta cum face canto?“ —
Euge puer! sapias, dis depellentibus agnam
Percute. — „Sed censen' plorabit, Dave, relicta?“ —
Nugaris; solea, puer, obiurgabere rubra.
Ne trepidare velis, atque arctos rodere casses.
Nunc ferus et violens, at si vocet, „Haud mora,“ dicas. —
„Quidnam igitur faciam? Ne nunc, cum arcessar et ultro
Supplicet, accedam? — Si totus et integer illinc
Exieras, nec nunc. — Hic, hic, quem quærimus, hic est:
Non in festuca, lictor quam iactat ineptus.

Ius habet ille sui palpo, quem ducit hiantem
Cretata ambitio? Vigila, et cicer ingere large
Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
Aprici meminisse senes. Quid pulchrius? — At cum
Herodis venere dies, unctaque fenestra

Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino:
Labra moves tacitus, recutitaque sabbata palles.
Tunc nigri lemures, ovoque pericula rupto;
Tunc grandes Galli, et cum sistro lusca sacerdos
Incussere deos inflantes corpora, si non
Prædictum ter mane caput gustaveris allî.

Dixeris hæc inter varicosos centuriones,
Continuo crassum ridet Vulfenius ingens,
Et centum Græcos curto centusse licetur.

SATIRA VI.

AD CÆSIUM BASSUM.

Admovit iam bruma foco te, Basse, Sabino?
Iamne lyra et tetrico vivunt tibi pectine chordæ?
Mire opifex, numeris veterum primordia vocum
Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ;
Mox iuvenes agitare iocos, et pollice honesto
Egregios lusisse senes. —
Mihi nunc Ligus ora
Intepet, hibernatque meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli, et multa litus se valle receptat.
Lunai portum, est operæ, cognoscite, cives!

Cor iubet hoc Ennî, postquam destertuit esse
Mœonides, Quintus pavone ex Pythagoreo.
Heic ego securus vulgi, et quid præparet Auster
Infelix pecori; securus et angulus ille
Vicini nostro quia pinguior; etsi adeo omnes
Ditescant orti peioribus, usque recusem
Curvus ob id minui senio, aut cenare sine uncto,
Et signum in vapida naso tetigisse lagena.

Discrepet his alius. Geminos, horoscope, varo
Producis Genio. Solis natalibus est qui
Tingat olus siccum muria vafer in calice emta,
Ipse sacrum irrorans patinæ piper. Hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. Utar ego, utar;
Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenuem sollers turdarum nosse salivam.
Messe tenus propria vive, et granaria, fas est,
Emole. Quid metuis? Occa, et seges altera in herba est.
„Ast vocat officium: trabe rupta Bruttia saxa
Prendit amicus inops, remque omnem surdaque vota
Condidit Ionio; iacet ipse in litore, et una
Ingentes de puppe dei, iamque obvia mergis
Costa ratis laceræ.“ Nunc et de cespite vivo
Frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret
Cærulea in tabula. „Sed cenam funeris heres
Negliget iratus, quod rem curtaveris; urnæ
Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum,
Seu ceraso peccent casiæ, nescire paratus.
Tune bona incolumis minuas?“ Sed Bestius urget

Doctores Graios: „Ita fit, postquam sapere urbi
Cum pipere et palmis venit; nostrum hoc, maris expers,
Penisecæ crasso vitiarunt unguine pultes.“
Hæc cinere ulterior metuas? — at tu, meus heres
Quisquis eris, paullum a turba seductior audi:
„O bone, num ignoras? missa est a Cæsare laurus
Insignem ob cladem Germanæ pubis, et aris
Frigidus excutitur cinis; ac iam postibus arma,
Iam chlamydes regum, iam lutea gausapa captis,
Essedaque, ingentesque locat Cæsonia Rhenos.
Dis igitur Genioque ducis centum paria, ob res
Egregie gestas, induco. Quis vetat? aude!
Væ, nisi connives! Oleum artocreasque popello
Largior. An prohibes? Dic clare!“ — Non audeo,
inquit. —
„Exossatus ager iuxta est. Age, si mihi nulla
Iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit,
Deque avia nihilum superest: accedo Bovillas
Clivumque ad Virbi; præsto est mihi Manius heres.“
— Progenies terræ? — „Quære ex me, quis mihi
quartus
Sit pater: haud prompte, dicam tamen. Adde etiam
unum,
Unum etiam: terræ est iam filius. Et mihi ritu
Manius hic generis prope maior avunculus exit.
Qui prior es, cur me in decursu lampada poscas?
Sum tibi Mercurius, venio deus huc ego, ut ille
Pingitur. An renuis? vin' tu gaudere relictis?“

— Deest aliquid summæ. — „Minui mihi, sed tibi totum est,
Quidquid id est. Ubi sit, fuge quærere, quod mihi quondam
Legarat Stadius, neu dicta repone paterna:
Fœnoris accedat merces: hinc exime sumptus.“
—Quid reliquum est?—„Reliquum? nunc nunc impensius unge,
Unge, puer, caules. Mihi festa luce coquatur
Urtica, et fissa fumosum sinciput aure,
Ut tuus iste nepos olim, satur anseris extis,
Cum morosa vago singultiat inguine vena,
Patriciæ immeiat vulvæ? mihi trama figuræ
Sit reliqua, ast illi tremat omento popa venter?“

Vende animam lucro: mercare atque excute sollers
Omne latus mundi, ne sit præstantior alter
Cappadocas rigida pingues plausisse catasta.
Rem duplica. — Feci: iam triplex, iam mihi quarto,
Iam decies redit in rugam. — Depunge, ubi sistam:
Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi!

COMMENTARIUS

IN

A. PERSII FLACCI

SATIRAS.

Auli Persii Flacci Satiræ.

Prologus.

In hac satirarum sequentium præfatione Persius se non afflatum poeticum et cum Musis commercium, ut vates sui temporis, gloriari dicit, horum tamen divinis operibus se, qua par est modestia, suum carmen addere, cum fieri possit, ut quod illi sacro instinctui et Musarum familiaritati tribuant, a fame et auri spe sit profectum.

1. *Nec .. labra prolui*, dictio modestior, ut illa „verecunda sitis“ Nervæ, Martial. 8, 70, 4. qua se, ut vere erat Persius, inferioris quidem ordinis vatem prædicat, at mediocres ævi sui poetas, largiores haustus iactantes, perstringit. Locus, qvi conferri solet, Virgilianus Æn. 1, 743. „pleno se proluit auro“ nec eandem rem, nec sensum verbi *proluere*, adiectis *la-*

bris non nihil immutatum, exprimit. *Caballino*, voce usus est pro more suo insolita, non item inhonesta, quod interpretum aliqui dixerunt, sed iocosa, ut Hor. Sat. 1, 6, 59. Iuvenal. 3, 118.

2. 3. *Bicipiti.* „Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus, Nomine Parnassus, superatque cacumine nubes.“ Ovid. Metam. 1, 316. Statius „Parnassum utrumqve,“ item „bicornem“ et „biverticem“ dixit Theb. 1, 62. 628. 7, 346. *Parnaso.* Cum auctoritate membranarum codicumque Hauniensium quinque et Tigurini, nummorumqve, et analogia vocis Halicarnasus facit euphonia, cui illa ss iteratio (*somniasse Parnasso*) officit. Græcis ita Παρνησσος, Παρναασσος, et Παρνασσσος, Παρνησσος. Vid. Drakenb. ad Liv. 42, 16, 1. et K. L. Schneider, Elementarlehre der lat. Sprache. Berol. 1819. pag. 441. Hesiodus, „quem dicuntur Musæ raptum de monte Parnaso poetam fecisse munere calamorum,“ (Servius ad Virg. Ecl. 6, 70.) ipse se prædicat edoctum Ἑλικωνος ὑπο ζαθεοιο, Theog. 25. „Parnassus mons est in — eta, in quo duæ civitates, Nysa et Cyrrha. Inter illas civitates Ennius scribit se dormivisse, et ibi spiritum Homeri in se venisse, quem irridet Persius.“ Glossa ex antiquissimo codice ms. Persii apud Casp. Barthium, Advers. 56, 2. Verum et mediocres poetæ eandem divinam institutionem sibi arrogabant. Commenta de hominibus, qui sine ingenio et studio per somnum repente poetæ facti essent, congessit Gyraldus, Dial. 3. de poet. hist. *Memini me*

legunt codd. Haun. 1. 5. 6. cum Luneb. Goth. Dresd. Norimb. Tig. Ita et citatur apud grammaticos Putschii.

4. *Heliconiadasque.* Ita Codd. Haunienses 1. 5. 6. ceteri *Heliconiadas.* Ad hæc Barthius: „Minime bene Heliconiadas recipit Casaubonus, cum in nostro codice exstans *Heliconiadasque* utique vera sit lectio. Quid enim opus, errorem duplicem in versum et vocis mensuram admittere? Minime enim *a* illud ante *d* producitur, sed irridere mihi videtur sonum captatum ab ineptis poetastris ex illo Hesiodi initio Theogoniæ: *Μουσαων Ἑλικωνιαδων ἀρχωμεθ' ἀειδειν.* Quem versum persvasum habeo pro exemplo affectatæ grandiloquentiæ subsannari a Persio; et ille docet, quis sit modulus syllabæ. Miror, Casaubonum non attendisse vel versum vel syllabam, immo Persium velle videntem tanta absurditate induere, quem castigat merito tacite Stephanus Claverius, modo posset clare sententiam suam eloqui, quam plerumque bonam proponit." Advers. 56, 2. *Pallidam*, „virentem." Glossa vetus apud C. Barthium l. cit. *Pirenen*, vallem Musarum. ibid. Pirene, *κρηνη ὑπο κορυφη τῆς Ἀκροκορινθου.* Strabo. De ea fabulis vulgatum, Pirenen nympham, cum filium Cenchriam lugeret, quem Diana per imprudentiam occiderat, tantam profudisse lacrimarum vim, ut in fontem sui nominis conversa fuerit. Ornatus fons est candido marmore. Pausan. Corinth. 5,

3. *) Hinc *pallidam* vel ad fabulam et luctum Pirenes, vel ad marmor album, quo fons erat munitus, interpretes inde a Casaubono usque ad Donnerum trahunt. Addunt, fontem aquas habuisse ad imum usque perspicuas et potui iucundissimas, unde Laidem aliquam *Πειρηνης λευκων φαιδροτεραν λιβαδων* dixit Antipater Sidon. Alii ad pallorem poetarum, studii labore contractum, vocem referunt; quam duriorem, antiquis editoribus sollemnem interpretationem, si nulla alia adesset, vel eo nomine defenderim, quod Persius ille durior ideas et imagines non e propinquo petere solitus est, et quod quemvis scriptorem ex se et suo genio convenienter explicari fas est. Huc ergo referenda essent loca: *pallentes mores* 5, 15. *pallentis cumini* 5, 55. eandem metonymiam redolentia, et frequens vocabuli, humanum pallorem significantis, usus 1, 26. 124. 3, 45. 84. 94. 96. 4, 47. Verum aliis *pall.* est aquæ colore destitutæ nativus pallor, et epitheton hoc loco otiosum, eiusdem tenoris ac præcedentia: *caballino* et *bicipiti*, quibus Noster poetas ævi sui verbosos et turgidos per parodiam insectatur. Ingeniosa hæc est Passowii interpretatio, novis a censore Ienensi **) momentis firmata.

5. 6. *Relinquo*: codd. quinque Haun. aliique multi. Si „remittere“ boni iam possessi renuntiationem, „re-

*) *Επι δε ὑπτη λεγουσιν, ὡς ἡ Πειρηνη γενοιτο ὑπο δακρυων ἐξ ἀνθρωπε πηγη, τον παιδα ὀδυρομενη Κεγχριαν ὑπο Ἀρτεμιδος ἀκουσης ἀποθανοντα. κεκοσμηται δε ὑ πηγη λιθω λευκω.*

**) Allg. Lit. Zeitung 1822. N. 198.

linquere" vero improbationem nulli conditioni adstrictam involvat, prior lectio, editionibus tantum non omnibus recepta, menti poetæ verborumque sensui vix conveniet. *Quorum . . sequaces.* Bene Barthius acutum admodum sarcasmum in hoc latere existimat, ut dicat Persius, quomodocunque sint conciliatæ statuæ, hoc est, quocunque iure mereantur coronas poetæ, illas promptas et paratas esse sequi quocunque scriptores. Ita vilitatem præmiorum erudite eo vocabulo adiecto irridet, quod non naturam magis herbæ aut fruticis, quam abusum coronarum doceat. Adv. l. cit. *Imagines* cera expressæ, non integri illæ quidem corporis, sed oris tantummodo simulacrum effingentes, summorumque humerorum pectore tenus. cf. L. F. Heindorf, Des Q. Horatius Flaccus Satiren, Vratisl. 1815. ad Sat. 1, 6, 17. „Scripta (Euphorionis &c.) et imagines publicis bibliothecis inter veteres et præcipuos auctores dedicavit, et ob hoc plerique eruditorum certatim ad eum multa de his ediderunt." Sveton. de Tiberio 70. Privati etiam celebrium scriptorum imaginibus bibliothecas suas ornabant, Plin. Ep. 4, 28. quo factum est, ut ille expositionis honor interdum poetis ineptis (Hor. Sat. 1, 4, 21.) contingeret, vide Lipsium de Biblioth. syntagm. c. 9. Coronabantur poetæ eorumque imagines *hedera*, Baccho et Musis sacra, Virg. Ecl. 7, 25. Hor. Od. 1, 1, 29. Ovid. Ars Am. 3, 411. Trist. 1, 6, 2. Plin. Hist. Nat. 16, 34. ideo Dioscoridi poetica dicta, ex ea nigræ speciei, cui flos sit croceus, foliis non adeo tamen pullis, ingentibus

corymbis, Gyraldi Dial. 1. Hederæ *sequaces*, nimium obsequiosæ, coronandis etiam indignis scriptoribus iusto faciliores. Naturam hederæ vox illa, ut Horatiana: ambitiosior Od. 1, 36, 18. exprimit, verum etiam abusum, de quo Petronius: „Poeta sum et, ut spero, non humillimi spiritus, si modo coronis aliquid credendum est, quas etiam ad imperitos deferre gratia solet.“ Satyric. 83. De symbolica hederæ potestate vid. Salmuth ad Pancirollum de Coronis, Rer. memor. s. deperd. P. 1. Festus ad hanc vocem etiam ederam Romanis usitatam affert, et in codd. aliquot ita legitur sine aspiratione; verum aspiratam præferunt Terentianus Maurus apud Putschium col. 2388. 2400. et Eutych. ibidem c. 2312. „*Lambere* a lingua ad flammas Virg. Æn. 2, 684. (adde 3, 574. Hor. 1, 5, 74.) et h. l. ad folia translatum, quæ flammarum figuram referunt.“ Koenig. *Semipaganus.* „Semipoeta. Et hoc verbo humili satirico modo usus est. Pagani dicuntur rustici, qui non noverunt urbem, ἀπο τε παγε. a villa.“ Schol. vet. „Arrogantiæ poetarum μεσοπαγικτων opponit appellationis huius modestiam.“ Casaubonus. Adde: quam si ad dictionis et poematis genus retuleris, simplicitatem ruris affectationi oppidanorum opponit poeta satiricus, eo quidem nomine semirusticus, subagrestis, quod Satyri in agro et silvis versari et ludere credebantur.

7. *Sacra vatum.* Quod de Camenarum æde et recitationibus in Palatio afferunt commentarii, ut verum sit, tamen ad sensum h. l. non facit. Rectius

Turnebus, Adversar. 21, 6. de poetis sacris cogitat et Musarum sacra ferentibus, Ovid. Amor. 3, 23. Trist. 4, 10, 19. 20. Virg. Georg. 2, 476. cet. Qui *carmen* pro sacrificio positum, Apollini et Musis oblato, existimaverit, illi auctoritatem lectionis „offero" cod. Hauniensi 3 receptæ, lubens cedo.

8. 9. Pertinebat ad luxum Romanorum, *psittacos* alere et *picas*, ut intrantes domum salutarent. „Limen transcendimus, (domus Romana describitur) sisto gradum, audio picam aut psittacum χαῖρε ingeminantem. In domibus illis potentiorum aves hæ, quibus ingenii largitor venter humanas voces expresserat, supra limen appendebantur." Stanisl. Kobierzyckius de Luxu Rom. 2, 7. „Super limen cavea pendebat aurea, in qua pica varia intrantes salutabat." Petron: 28. Picarum certo generi Plinius H. N. 10, 42. expressiorem tribuit loquacitatem, quam psittaco, sed minorem nobilitatem, quia non e longinquo venit. Χαῖρε in codd. Haun. omnibus aliisque palæotypis, et scholiis, quæ Cornuti dicuntur, latinis literis scriptum *chere*, *chære*, quasi iuris Romani factum, reperimus, de quo vide obs. ad 4, 15. „Cornutus scribit, Cæsarem habuisse psittacum, ipsi crebro hoc iterantem." Glossa vetus apud C. Barthium l. c. quæ non exstat in scholiis nomine Cornuti vulgatis. Carpitur forsan eo Græcomania, apud huius ævi Romanos usque adeo invalescens, ut, si non alia, verba salutatoria Græca essent. Eandem taxavit Iuvenalis 3, 61. 6, 186. Codd. Haun. 1.

et Bremensis, item edd. Murmellii, Bondii, Wedderb. post v. 8. inserunt sequentem: „Corvos quis olim concavum salutare?“ quem merito suspectum omisimus. *Nostra verba:* ita codd. Haun. 1. 2. 4. 5. 6. cum membranis Vratisl. et Tigur. pronomen, cui vis sententiæ inest, anteponentes.

10. *Ingenique.* Membranæ et editiones pleræque antiquiores crasin omiserunt, et quidem recte, nisi fallitur Bentleius, qui ad Terent. Andr. 2, 1, 20. docet, genitivos substantivorum in us et ius per *i* simplex expressos fuisse a scriptoribus ante Augustum omnibus, excepto Ovidio, sermonis novatore, qui ceteris sequentibus duplex *i* adhibuit. Exempla tamen exstant genitivi ii Augusteum ævum excedentia: Ennii apud Servium ad Virg. Æn. 6, 219. Tarquinii corpus &c. et Lucret. 6, 743. Remigii obliti pennarum &c. at illum versum Donatus ad Terent. Hecyr. 1, 2, 60. ita citavit: Exin Tarquinium, hunc K. L. Struve, Ueber die lat. Decl. u. Conj. Regiomont. 1823. p. 13. legendum coniectavit: Remigium &c. cf. K. L. Schneider, Formenlehre der lat. Sprache, p. 59 sq. De mirabili paupertatis ingenio multa facete dicta e classica antiquitate ad ingeniosum hunc locum illustrandum promunt interpretes, in primis Casaubonus, quibus adde sis illud Heliodori: *ἑυρετις ἀρα ἐσι λογισμων ἡ ἀναγκη*, et Xenophonteum: *σοφια ἀυτοδιδασκαλος*, item Petronii, sale aspersum Persiano: „ingeniosa gula est.“ Nam gulam, delicatam ingluviem, non famem h. l. notari, bene observavit Barthius, Advers. 7, 25.

11. Servius versum utrumque citat ad explicandum locum: „Labor omnia vicit Improbus, et duris urgens in rebus egestas“ Virg. Georg. 1, 145. *Artifex sequi.* Poeta, qui sermonis Græci imitatores nuper vexabat, ipse iam græcissat, ut in sequentibus 1, 70. 71. 118. 5, 15, 24. 6, 3. 23. 24.

12. *Dolosum nummum* dixit, „qui utique dolo petendus hoc argumento aptius diceretur; non enim decipit is, sed eo emunguntur divites a poetis illis ineptis et bonarum rerum inanibus.“ Ita recte quidem Barthius Adv. 56, 2. at poetæ sua cuique debetur licentia, nec vituperandus Phocylides, cum aurum dolum dicat: *χρυσος ἀει δολος ἐστι και ἀργυρος ἀνθρωποισιν.*

15. *Corvos* etiam propter docilitatem ad voces humanas imitandas gratos Romanis fuisse constat. Notus est ille corvorum princeps, amplo quondam funere celebratus, qui dum viveret, „mature sermoni assvefactus, omnibus matutinis evolans in rostra, in forum versus, Tiberium, deinde Germanicum et Drusum, Cæsares nominatim, mox transeuntem populum Romanum salutabat, postea ad tabernam remeansque plurium annorum assiduo officio mirus.“ Plin. H. N. 10, 43. De corvis, psittacis et picis Augustum salutantibus Macrobius Saturn. 2, 4. Si corvi Æsopici, (Phædr. 1, 13.) natura minime canori, sed ambitione stulte in cantum prosilientis, h. l. memineris, vim addes momento satirico. Codd. Haun. omnes „poetridas;“ at *poetria*, regulare femininum a masculino

poetá, ut Græcorum ποιητρια, ψαλτρια, μαθητρια. Cum nonnulli codices „poetris“ et „poeticis“ legant, hæc ignota veteribus vocabula, in civitatem Romanam minime adscissenda, bene monet Burmannus ad Ovid. Heroid. 15, 183.

14. De lectionibus *melos* et „nectar“ grammatici inde ab Angelo Politiano (Miscell. in Lampade Gruteri T. 1.) usque ad Passowium certarunt, et adhuc sub iudice lis est. Priorem scilicet τȣ *melos* syllabam, propter epsilon Græcis et Romanis corripiendam, Persium produxisse dicunt, quem lapsum alii non inusitatum esse, alii substituta voce nectar, quam exhibent eodicum aliquot, corrigendum volunt. Qui pro melos pugnant, provocantes ad usum poetarum, qui illam syllabam produxerunt, varia locorum probantium lectione arma sibi protinus ab adversariis sublata vident. Ita in versu Homerico: (Hymn. in Merc. 502) Ἱμεροεν κοναβησε, θεος δ'ὑπο μελος ἀεισεν antiquiorum editionum, recentiores pro μελος legunt καλον, a Barnesio emendatum, *) locumque Martiani Capellæ: „Et melicos

*) L. F. Heindorf, interpres Horatii φιλολογωτατος, cum ad Sat. 1, 3, 40. vocem illam Homericam cum „polypo“ conferat, primam huius vocis syllabam produci existimat ob literam liquidam pronuntiatione duplicatam. At „polypus,“ quod prima producta item legitur Epod. 12, 5. Ovid. Met. 4, 366. et Halicut. 31. Græcis saltim Atticis efferebatur πουλυπος, unde Theognis: Πȣλυποδος νοον ἰσχε πολυφρονος, ὁς ποτι πετρῃ. Legitur etiam Dorice πωλυπος et πωλυψ.

cantus melica grata tulit," in „bellua grata," vel: „grata tulit melica" emendatione mutant. Verum enimvero in quantitate observanda non tantam esse poetarum diligentiam, ut nunquam laberentur, satis superque ostendunt loca Virgilii, Ovidii, Tibulli &c. a grammaticis v. c. Grotefend, Lat. Grammatik, P. 3. §. 79. 80. ed. 3. notata, quæ, licet formulis quadantenus adstricta, eo tamen redeunt, ut licentius pro more poetarum dicta sint. Illa poetica licentia non abstinuit Persius, qui cum 3, 9. primam verbi *rudere*, Virgilio Georg. 3, 374. et Ovidio Fast. 6, 342. brevem, produxerit, et 2, 57. tertiam in *pituita*, Horatio Sat. 2, 2, 76. Ep. 1, 1, 108. *) et Catullo 23, 17. longam, corripuerit, nec non 1, 127. primam in *crepidas*, natura longam ob etymon κρηπις, cum Horatio correptam pronuntiaverit, vix scrupulosior in primaria quantitate *melos*, vocis itidem Græcæ, servanda censendus est. Accedit, quod totus Prologus illam Persii licentiam prodat. Est metri iambici senarii seu trimetri, sed claudicantis (Choliambi, Scazontis) ut Catullianum: „O quid solutis est beatius curis," cuius hoc est schema:

$$\overset{v}{\underline{\quad}}\ \underline{\quad} \,|\, v\ \underline{\quad} \,|\, \overset{v}{\underline{\quad}}\ \underline{\quad} \,|\, v\ \underline{\quad} \,|\, v\ \underline{\quad} \,|\, \underline{\quad}\ \overset{v}{\underline{\quad}}$$

*) Nisi apud Horatium et Persium pitvita, trisyllabum, per συνιζησιν, quæ alius generis licentia est, legendum; nam primam in pituita longam esse, docet locus cit. Catulli: „Mucusque et mala pituita nasi," ubi geminus trochæus illo vocabulo efficitur.

quod vero negligenter adeo secutus est, ut versus 3. 4 et 6 ab anapæsto incipiant, versusque 2 et 9. secundum pedem habeant tribrachyn. *) Quæ cum ita sint, et reapse insulsum nostris videatur auribus, cantare nectar, æque ac cantare ambrosiam, codicesque et numero et auctoritate potiores hanc lectionem ignorent,**) *melos* censui tenendum. Nec tamen diffitendum, veteres, inprimis Græcos, nectar pro suavi oratione poetica sæpius dicere, et plenos esse eorum libros mellis et favorum comparatione. Ita Theocritus: *ἀσει δ' ὡς . . . . ὑνεκα οἱ γλυκυ μοισα κατα ϛοματος χεε νεκταρ.* Idyll. 7, 78-82. Ad quem locum Scholiastes Theocr. *Αἱ μοισαι ἀυτον γλυκυτατον τραγῳδον ἐποιησαν, δηλοι δε δια τυ νεκταρος ὑπερβολικην την μελιχροτητα ἡ την γλυκίφωνιαν.* Et Pindarus: *Και ἐγω νεκταρ χυτον, Μοισαν δοσιν, ἀθλοφοροις Ἀνδρασιν πεμπων, γλυκιν καρπον φρενος* &c. Olymp. 7, 12. ubi Scholiastes: *Νεκταρ το ποιημα ἐιπε, Μοισαν δε δοσιν, την μεσικην και τυς ὑμνυς.*

---

*) Barthius l. c. ex antiquissimo suo codice manu exarato vulgavit scholion, metrum Prologi ita designans: „Carmen hoc Persii est Iambicum Archilochicum, constans trimetro acatalectico. Et ponitur in sexta sede Spondeus contra naturam metri, ubi duntaxat vel Iambus vel Pyrrhichius poni deberet, sed hoc facit Choliambum, ab auctoritate Hipponactis et Choliambi.“ Addit, mendum hic latere, cum nemo unquam hominum Choliambi nomen habuerit, scribendumque putat: „et Archilochi.“

**) *Melos* legunt codd. Hannienses omnes, et apud Pithoeum quatuor, in quibus L. exemplar, ut ait, vetustissimum et optimum.

Addendum ex Chalcidio, philosopho Platonico, „ridere nectar," quod ille Veneri tribuit in translatione versuum Alexandri Milesii de Planetis. His inductus Barthius, Advers. 24, 17. „nectar," in textum Persii a Politiano receptum, defendit, *melos* glossam perhibens. Passowius etiam et Orellius, recentiorum Persii interpretum sagacissimi, „nectar" retinuerunt.

Ut ante Persium Horatius sua notabat tempora, quibus, iam olim Musis ad Romanos a Græcis gradum moventibus, quisque eas colere sibi videretur: „Mutavit mentem populus levis, et calet uno Scribendi studio; pueri patresque severi, Fronde comas vincti, coenant et carmina dictant;" Ep. 2, 1, 108. et: „Scribimus indocti doctique poemata passim" v. 17. cf. Sat. 1, 4, 35. utque post eum Iuvenalis suo etiam sæculo ridebat frequentiam poetarum, quibus nulla non fora et ambulacra perstrepebant, Sat. 1. ita Nostro, inter utrumque medio, nec minus ambitiosam illam in poematis scribendis vanitatem indigne ferenti, tanta est poetarum copia, ut etiam picas mox versus facturas opinetur; quibus Musarum sacra vario modo pollui, in seqv. Satira queritur.

SATIRA I.

Qui cum Prologo Satiram I. una serie continuandam statuerunt, quorum est Pithoeus, vetus editor Parisiensis (1601.) codices aliquot secuti sunt, ad varieta-

tem metri et absolutum huius præfationis argumentum minus attenti. Nimirum in prologo profitetur Persius, se nulla venæ benignitate, sed sordida malorum poetarum industria excitatum versus scripsisse, quod a Iuvenale duobus versibus 1, 79. 80. expressum, apte proludit ad satiram 1. in qua Noster artem Romanorum poeticam et oratoriam persequitur, usque eo corruptam, ut qui scriberent, assensionem vulgi temere captantes, a veri et pulchri sensu deficerent, atque in nugas et lusus pueriles laberentur. *) Ceterum prologus non primæ solum satiræ, sed toti satirarum operi præmissus videtur. Dialogo, quo nonnihil vigoris additur orationi, Persius inprimis v. 2 — 12. primæ huius satiræ utitur, hoc in genere dicendi imitator Horatii, verum illo cum in tota dictione, tum in personis colloquentium discernendis, hic longe est obscurior, id quod vel ex ambiguitate huius loci et varia interpretum in dispositione utriusque loquentis opera patet.

V. 1. Persio tribuunt Murmellius, Bondius, Marcilius, Tornorupæus, Farnabius, Casaubonus et qui hunc sequuntur veteres et recentiores interpretes omnes

*) „Neronem poetam, musicum, histrionem, criticum, rhetorem, aurigam et gladiatorem fuisse constat. Morti vicinus: Qualis, ait, artifex pereo! Quid mirum, si sub isto sole nasceretur hoc ævum, Persiano dignum flagro?“ Herder ad Satiram I. quam transferendo aureum poeseos sub Nerone sæculum inscripsit. Werke, eilfter Theil.

præter Reizium, Koenig, Herder et Nasser, monitori eum assignantes. Posterioris sententiæ defensores argumenta, quibus satis idoneis nitatur, nulla attulerunt. *) Personam ille monitor sustinet amici, vehementis, quo poeta in satiras ferebatur studii, **) bene conscii, qui videt meditantem pro tarditate, qua scribere solitus esset, ***) in re tractanda desudare, pluteum cædere, ungues arrodere, caput scabere, †) et exclamat: *O curas.* Quæ Passowius contra disputat, vix aliter sentientes erroris convicerint. Damasippum Horatii certe hic conferre et licet et oportet. Verumtamen satius duxi vulgarem sequi distinctionem, qua vigor alterno sermoni additur, quoniam locus ille communis in ore Persii ad affectationem et inane poetarum temporis istius studium, quod in satira perstringitur, haud inepte pertinere potuerit. Accedit, quod v. 1. si desumtus sit e satiris Lucilii, Persio loquenti

*) Meister, cuius libellum novissimum: Letzte Studien über Aul. Persius Flaccus, Lips. 1812. iam demum inspicere mihi licuit, v. 1. itidem in dialogum infert, adiectis rationibus, quarum illa est maxima, quod monitor, si viso et obiter perlustrato satirarum fasciculo fingatur exclamasse: *o curas* cet. hoc satiræ exordium iocosius et summæ orationis convenientius fieret.

**) „Lecto libro Lucilii decimo, vehementer satiras componere studuit.“ Vita Persii incerti sed antiquissimi scriptoris.

***) „Et raro et tarde scripsit.“ ibid.

†) Hæc curate elaborati carminis indicia sunt Persio 1, 106.

scite tribuatur, ut apophthegma, omnibus tunc temporis cognitum, quo genus satirarum suum tanquam in fronte exposuerit. Versui quidem secundo adiectum est vetus illud scholion: „hunc versum de Lucilii primo transtulit," verum errore librariorum factum esse, ut quod de v. 1. dictum fuisset, ad secundum referretur, censor Jenensis acutissime coniectavit. *) Non erat, quod v. 2. de alieno opere Noster transcriberet, sed alia est ratio versus 1, quem, si vel maxime carminis satirici το ὑποκειμενον γενος et adæquatam materiam continere cum Casaubono haud dixerimus, sententiam certe præferre censemus et absolutam et dignam, quæ deLucilio, typo et duce Persii,**) transferretur.

2. „*Quis leget hæc?*" In his verbis monitori tribuendis omnes interpretes consentiunt. Versu 1 fragmentis, quæ exstant, Lucilii vindicato, interpellatio non temere posita videbitur. *Min' tu istud ais?* Miratur poeta, cur fata sui operis a se prædici monitor exspectet. *Min'* pro mihinc, extrusa adspiratione (ut me pro obsoleto mehe, nil pro nihil &c.) et abiecto c per apostrophum dialogo frequentem, ut 1, 22. 29. 88. 119. 4, 25 &c. Veram illam grammaticorum observationem esse, quod „iste" plerumque contemptum exprimat, *istud* sequens probat. Nec aliter seq. v. 9. 81. et 3, 94. cf. Hor. Sat. 1, 6, 92. 1, 10, 18.

*) Allg. Lit. Zeitung. Apr. 1823.

**) Vita Persii cit.

„*Nemo Hercule!*“ Verba non poetæ, ut Passowio et Orellio videtur, sed monitoris, interrogationem præcedentem iam diserte confirmantis. *Hercule* non quidem vocativus nominis, qui ad formam Græcam relatus dubito num verus sit dactylus, sed adverbium iurandi apud Plautum et Terentium frequentissimum. Ita etiam Horatius Ep. 1, 15, 39. Regularem vocativum verba Evandri exhibent Liv. 1, 7. „Iove nate Hercules, salve &c.“ *Nemo?* Interrogatio poetæ, quem cum Casaubono non εἰρωνευόμενον dixerim, sed re inopinata commotum, utpote qui corneæ non erat fibræ (v. 47.) nec vaporata aure lectorem (v. 126.) recusabat.

3. „Si vel maxime unus et alter legerit, miseranda tamen scriptoris conditio a multitudine neglecti!“ Responsum monitoris, lectorum numerum, non peritiam æstimantis. Cui poeta, iam se recipiens veriusque iudicans: *Quare* &c. Græcismum: *vel duo vel nemo*, ἢ τις, ἢ οὐδεις, Casaubonus et Passow ad h. l. bene illustrarunt.

4. *Ne* codd. quinque Haun. Lectio „næ“ 1 Haun. et Achaintrii apud Orellium, adverbium sc. affirmandi, simplicior quidem videtur; at Græca ironici huius loci phrasis proverbialis et abrupta vocem „vereor“ intelligendam et coniunctionem postulat. Adverbium imperandi sensus respuit. „Ego quidem timerem, ne censor Romanus eiusque populares, inepte iudicantes, Labeonem mihi præposuerint?“ *Polyda-*

mas et Troïades referenda ad verba Hectoris: „Hei mihi . . Polydamas me primus probris onerabit . . vereor Troianos et Troianas.“ Homer. Il. 22, 99. 100. 105. *) Posteriora ex Il. 6, 442. sunt repetita. Eadem sua facit Cicero Ep. ad Atticum 2, 5 (Ed. Schützii 2, 30.) ubi dicit se vereri, ne populus Romanus sibi vitio vertat, quod hoc tempore Roma discedat, et timere convicium Catonis, ut Polydamantis Hector, si certamen cum Achille recusaret. Ita et ad Atticum 7, 1. *αἰδεομαι* non Pompeium modo, sed *Τρωας και Τρωαδας, Πολυδαμας* cet. ubi ad eosdem versus Homericos respicit. Huius loci testimonio utitur et Aristoteles Ethic. 3. cum de fortitudine civium eiusque stimulis agat. Tantum scilicet honoris antiquitas Homero habuit, ut versus illius in proverbia abirent. „Homerus omnem poesin suam ita sententiis farsit, ut singula eius *ἀποφθεγματα* vice proverbiorum in omnium ore fungantur.“ Macrob. Saturn. 5, 16. Cum omisso Polydamantis nomine proverbium mancum foret, observatio Scholiastæ veteris de Nerone hic notato æque dubia, ac argumentatio, qua utitur, inepta videtur; at antiquam esse opinionem de Nerone his satiris perstricto, certe ostendit. Troïades generis fem. ut *Αχαιιδες*, quod *Αχαιοις* Il. 2, 235. et Phrygiæ,

*) *ὡμοι ἐγων . . . Πολιδαμας μοι πρωτος ἐλεγχειην ἀναθησει, & αἰδεομαι Τρωας και Τρωαδας.*

quod Phrygibus Æneid. 9, 617. opponitur: vocabulum opportunum cum ad affectationem nobilium Romanorum, originem Troianam iactantium *) seque Troiugenas vocantium (Iuvenal. 1, 100. 8, 181. 11, 95.) tum ad mollitiem, qua feminæ potius quam viri essent, exsibilandam: quod tamen ex Homero desumptum nemo in se dictum facile reprehenderit. Apud Iuvenalem 2,65. „Stoicidæ" itidem contumeliose dicuntur, qui Stoici fortes, ἀπαθεῖς, videri vellent, cum essent trepidæ feminæ. Vid. Schol. vet. ad hunc Iuvenalis locum. De *Labeone* et ineptissima eius versione Iliados, præter Persii et vetusti interpretis testimonium, nihil compertum habemus. An scriptor ille sit librorum, qui appellantur de Diis Animalibus, Serv. ad Virg. Æn. 3, 168. idemque, de cuius ineptiis I. L. Lydus in libro de Ostentis, ed. a C. B. Hase Paris. 1823. p. 164. in medio relinquendum. Labeonem disciplinas Etruscas Tagetis quindecim voluminibus exposuisse, retulit vetus scriptor ad Chalcidium.

5. *Nugæ!* interpretum aliqui ad monitorem perperam referunt. *Non* pro „ne," contra regulam

*) Troianos vel Hercule vel Æneæ ducibus in Italiam devenisse, fama inde ab antiquissimo tempore inter Romanos ferebatur. v. Oct. Ferrarium de origine Romanorum. Neronem huius affectationis arguit distichon in eum apud Svetonium Ner. 39. „Quis negat Æneæ magna de stirpe Neronem? Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem."

Quinctiliani: „Qui dicat pro illo Ne feceris, Non feceris, in idem incidat vitium (soloecismum) quia alterum negandi est, alterum vetandi.“ Inst. Or. 1, 5, 50. Quod tamen vitium scriptores Romanorum optimos non omnino effugisse constat. Vide Heindorfium ad Hor. Sat. 2, 5, 91. *Turbida Roma.* „Multitudo semper discors, seditiosa, impotens.“ Seneca de Clem. 1, 1. At populus Romanus ex magna variaque peregrinorum copia conflatus, longe ceteris erat mobilior, tot sensuum quot capitum, qui quidquid animo male sobrio se obtulisset, inconsulta temeritate arripuit. Recitationes inprimis, quas h. l. forsan spectat, in sequentibus certe respicit poeta, discordia, diducto in partes audientium studio, non caruisse, discimus ex Plinio Ep. 1, 13. 2, 19.

6. *Elevet.* „Quod frangit adversarium, quod impedit, quod *elevat*, quod deterret, quod refutat.“ Cic. de Oratore 2, 58. *Examenque:* Codd. Haun. 1. 5. 6. Goth. Dresd. Brem. Monach. Vimar. Tig. Achaintr. *Examen et*, lectio cod. Haun. 2. nec a versu absona. Vulgata: *Examenve*, Haun. 3. 4. qua uterque coniunctivus: *accedas* et *castiges* ad *non* pertineant, Casaubonum et multos, qui eum secuti sunt, interpretes induxit, ut hortamen ad æquitatem in falsis aliorum sententiis diiudicandis, et ad dissimulationem verioris sui iudicii his in verbis viderent, quod alienum esse a sensu loci: iudicium scilicet nostri non metiendum ex opinione vulgi, et suo cuique utendum iudicio, quin a totius satiræ argumento abhorrere, Passowius, Orel-

lius et censor ante laudatus Ienensis sole clarius probaverunt.

7. Comparationes e *trutina* petitas Persio familiares esse 1, 86. 4, 10. 11. 5, 100. 101. 121. bene observavit Meister. *Nec te quæsiveris extra.* Hac Stoicæ philosophiæ sententia interpellatorem monet, neminem oportere in rebus gerendis famam popularem captare et alieno vivere iudicio. Eiusdem tenoris illud Virgilii: „Sit vir bonus et sapiens iudex sui;" Horatii: „Nemo aliis de se plus, quam sibi credat," et Ciceronis: „Tuo tibi iudicio est utendum; nemo enim debet se extra et ex alieno iudicio æstimare, sed populare iudicium et plebeculæ famam floccipendere." Cf. Senec. Ep. 7 et 29. Plin. Ep. 1, 3.

8. *Nam Romæ quis non — ?* Variis, quæ habentur, lectionibus *) illa Reizio, Nassero et Orellio recepta, ut sententiæ huic ellipticæ aptior, videtur præferenda. Si verba: *auriculas asini habet*, quibus v. 121. non abstinuit Persius, per aposiopesin hoc in versu represserit, ut existimat Casaubonus, lectioni *est*, quam ipse tamen adoptavit, multo minus esset locus. *Roma*, ubi (tam in æstheticis quam in ethicis) „iam pridem non minora præmia, immo maiora, nequitia quam virtus habet." Plin. Ep. 2, 20. *At si fas dicere!* Marcilius, Herder et Passow monitori haud

*) „Romæ est aliquis? non." Cod. Gothanus. „Romæ est quis?" Haun. 5. 6. Tigurinus &c.

ab re tribuunt. *Ac*, Casaubono frigidum, lapsu librariorum scriptum videtur pro *at*, quod obiectionem involvit, et lectionibus codd. Luneb. Goth. Monach. Tig. respondet.

9. „Cum nostri ævi homines *adspexi* *) luxuria diffluentes, senes ante diem et enervatos vitam trahere infelicem.“ *Canitie* alii canos Persii, alii senium Romanorum sensu proprio significari putant. Censor Lipsiensis (Lit. Z. 1825. n. 155.) *adspexi* non ad *canitiem*, sed ad sequentia, referens ita interpretatur: *Cum ad canitiem* i. e. usque ad senectutem *adspexi et nostrum istud vivere triste et quæcumque facimus.* Rectius Passow, qui collatis vocibus *vetule* v. 21. et *senium* v. 26. *nostros nostrumque* 2, 62. 6, 39. et „canities“ Iuv. 10, 208. mores Romanorum dissolu-

*) *Adspexi.* In scriptura compositorum secutus sum codices in præfatione dictos, qui ultimam præpositionis consonam nunc servant, nunc abiiciunt, nunc etiam in primam verbi simplicis convertunt. Hinc Prol. v. 7. *affero*, non adfero; Sat. 1, 6. *accedas*, non adcedas, et h. l. *adsp.* non asp. Enimvero Augustea quidem ætate præpositiones plerumque integras scribebant antiqui; id quod ex inscriptionibus, nummis et vetustioribus membranis constat; quam normam Heinsius in Virgilio suo, Bentleius in Horatio, alii in aliis secuti sunt. Quoniam vero illæ literarum permutationes ævo mox sequenti consuetudine invectæ videantur, et ista scriptura: adcipio, inlino, inmurmuro, obpeto &c. alienum quid et nostris auribus absonum habeat, scrupulosior hac in re diligentia vix affectatione et moleste sedula curiositate caruisset

tos indeque contractam animi et corporis debilitatem et enervationem intelligi ostendit. *Nostrum istud vivere triste*, istius Romanæ perversitatis infelicitatem. Græcismus το ζην ἡμων ne Ciceroni quidem insolens. Quinctilianus, cum hunc versum citat exemplum infiniti verbi pro appellatione adhibiti, addit: „nostram enim vitam intelligit.“ Inst. Or. 9, 3, 9.

10. *Nucibus relictis.* Proverbialis eadem phrasis est Martiali 5, 86, 1. Romanorum pueri, haud secus ac nostri, delectabantur *nucibus*, quorum ludorum genera describuntur in Nuce, quæ Ovidiana dicitur, v. 75 sq.

11. *Patruos sapere*, intransitivum cum accusativo, græcissantis est, ut „bacchanalia vivere“ Iuvenal. 2, 3. et „vivere Nestora totum,“ 12, 128. Patruorum in nepotes severitas Hor. Od. 3, 12, 3. Sat. 2, 2, 97 et 3, 88. Catull. 74, 1. Cic. pro Cælio c. II. Sveton. Tib. 9, 3. in proverbium abiit, ex antiqua comoedia et ipsa communi vita petitum, quod illi, immoderato patrio affectu incorrupti, si quid delinquant liberi, acrius reprehendunt. *Tunc, tunc*, asseveratio valde dolentis, ut Virgilianum: „Tunc, tunc o liceat crudelem abrumpere vitam!“ Schol. *Nolo*, codd. Haun. omnes. Marcilius suspicatur, scriptum fuisse „Nolont,“ ut in membranis Horatii Sat. 1, 1, 19. „Quid statis? nolont,“ indeque natum esse *nolo* in vulgaribus; quæ coniectura, cum antiquiores Romanos *o* pro *u* usos fuisse constat, vellem ut firmari posset codicibus

si vox illa, ut commentariis receptum, monitori tribuatur. Cum vero lectio, utcumque fuerit, frigida hoc sensu videatur, eam sequentibus connectere et Persio assignare malui. *)

12. *Quid faciam?* formula incerti et hæsitabundi, ut Hor. Sat. 2, 1, 24. Cic. Off. 3, 14. „Risus secundum physicos et medicos in *splene* est, amor vel libido in iecore, iracundia in felle.“ Servius ad Æneid. 6, 595. et 8, 220. ubi nostrum locum citat. Vulgaris interpretatio: „natura sum derisor petulans,“ quod nomen Persius, „virtutis veræ custos rigidusque satelles,“ non nisi sui ingenii ignarus sibi vindicare visus est. Verior illa Meisteri: „Splenis sum vehementis et irritabilis, natura melancholicus, ad risum sardonium pronus;“ quem sensum perspicacissimus ille Persii interpres e notionibus veterum physicis erudite expedivit. Cum eodem *cachinno* a ceteris vocibus interpunctione distinxi, ut hoc verbum absolute positum idem sit ac: effuse rideo, risum non teneo.

13. „Inclusus numeros ille:“ Passow secundum Markland. *Inclusi numeros illi*: Orellius secutus Gronovium. Textum Casauboni: „Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,“ codicibus et editionibus tantum non omnibus receptum, facile prætulissem, inoffensus et secessus poetici mentione, Iuv. 7, 28. Hor. A. P. 298. Ovid. Trist. 1, 1, 41. itidem obvia, et

*) Da Herder: „Ich wollte nicht spotten, aber ich muss.“

structuræ sequentium membrorum varietate, nisi istud „scribere numeros“ respueret latinitas. Sequor ergo emendationem Gronovianam, qua textus vulgaris levius immutatur. Exemplum accusativi poetici, intransitivo Græcorum more adiecti, v. 11. iam exhibuit. *Numerus* de modis lyrici cantus Virg. Ecl. 9, 45. sed h. l. de pedibus cuiusque carminis usurpatus, opponitur sermoni legibus rhythmi soluto. Carpitur prurigo scribendi, iam in fine prologi taxata, de qua Hor. Ep. 2, 1, 117. Iuv. 1, 17. 7, 51.

14. *Grande aliquid*, genus dicendi, positum in rerum tumore et sententiarum vanissimo strepitu,“ Petron. I. quo nihil Nostro et scriptori, quo usus est familiarissime, Horatio fuisse odiosius, testantur etiam loca Pers. 1, 68–82. 5, 1–20. Hor. Sat. 2, 5, 39–41. cf. Quinctil. Inst. Or. 8, 6, 17. Tumorem animique fastum in *pulmone* collocabant veteres, unde Græcorum *μεγαπνευειν*.

15. sq. Pingitur scena recitationis, cui varia de illo Romanorum commercio literario juvat præmittere. Pollionem Asinium primum omnium Romanorum, advocatis hominibus, scripta sua recitasse, tradit Seneca in procemio Controv. Quod eum in bibliotheca, ab ipso in atrio libertatis publicata, auspicatum fuisse, existimat Nardinus, nisi id in gratiam Augusti in Palatina fecerit, quam hic publicaverat, ubi usque ad Claudii principatum recitari solitum esset. De illa Palatina seu Apollinis Palatini templo, quod Au-

gustus, devicto Antonio et Cleopatra, ex marmore Lunensi ædificavit, ita G. Fabricius in descriptione Urbis Romæ 9: „Nullum fuit poctis celebrius, nullum donis opulentius, siquidem Augustus aureas argenteasque statuas, sui honoris gratia positas, huic templo donavit“ &c. Ad hoc templum recitationes Hor. Sat. 1, 10, 38. et Ep. 2, 2, 94. commemoratas refert Alex. Donatus de Urbe Roma 3. Hinc recitationes postea sublatæ videntur sub Nerone, cum auream domum construeret, quo strepitus et applausus acclamationum longius a palatio et auribus imperatoris removerentur. Postea certus nullus locus fuit*), ita ut recitaturi atria et auditoria conducere vel precibus acquirere coacti fuerint, donec ab Hadriano Athenæum ædificaretur. „Domum mutuatur (poeta recitaturus) auditorium exstruit, subsellia conducit et libellos dispergit.“ Dial. de Causis Corr. Eloqu. 9. Splendidas et magnificas ædes mutuas aut ultro commendatas poetæ petierunt. Iuvenal. 7, 59. 1, 12. Ita Titinius Capito domum suam recitantibus præbuit, auditoria ipse frequentans. Plin. Ep. 8, 12. De conductis subselliis Iuvenal. 7, 45. Tandem cum et Athenæum recitatoribus compleretur, in bibliotheca Ulpia, libris iam vacua, quos Diocletianus in ther-

*) Ævo saltim Venantii Fortunati non alio in urbe loco frequentius recitata poemata videntur, quam in foro Traiani, id quod testantur versus huius poetæ l. 3, 23. „Vix modo tam nitido pomposa poemata cultu Audit Trajano Roma verenda foro.“

mas suas transtulerat, recitationes publicas fuisse redintegratas, putat Fam. Nardinus, Roma vetus 5, 13. „Augustus recitantes benigne et patienter audivit.“ Sueton. Aug. 89. „Claudius ipse recitavit.“ id. Claud. 41. et „recitantibus interfuit.“ Plin. Ep. 1, 13. „Nero carmina recitavit domi et in theatro.“ Suet. Ner. 10. Plin. Ep. 5, 3. Tac. Ann. 16, 4, 5. „Domitianus publice recitavit.“ Suet. Dom. 2. „Huius etiam tempore certabatur prosa oratione Græce Latineque.“ ib. 4. Plinius toto mense Aprili nullum fuisse diem, ait, quo non recitaret aliquis poetarum.“ Ep. 1, 13. Lectio poematum a solutæ orationis numeris erat diversa, historiæ vero et orationes itidem alio tono, alioque ingenio legebantur. Ita Plinius de Zosimo, liberto suo: „Pronuntiat acriter, sapienter, apte, decenter .. tam commode orationes et historias et carmina legit, ut hoc solum didicisse videatur.“ Ep. 5, 19. Laudat idem in Proculo talem lectionis peritiam, ut per eam suspicetur operi ipsi pretium additum, velut fucatum. Ep. 3, 15. Nimirum recitatio, cum egregium lucubrationum examen esset, tamen auditoribus, qui, ut ait Plinius, auribus ducerentur, facile imponere poterat, adeo ut omnes iudicii eorum aculei lectionis delinimentis refringerentur. Distincte de versuum lectione idem Ep. 9, 34. ubi novum et minus exercitatum lectorem fastidit. Et habebant ei rei proprios lectores, ut Plinius Encolpium, quem „seria sua et delicias“ dicit, et omnem studiorum suorum gratiam in eo homine stetisse me-

morat Ep. 8, 1. Hisce recitationibus quantopere literæ iuvarentur, discitur ex Plinio, qui Ep. 5, 3. rationes, quibus ad recitandum moveretur, ita explicat: „Mihi modestior constantia est, quam ut satis absolutum putem, quod a me probetur. Itaque has recitandi caussas sequor: Primum quod ipse qui recitat aliquanto acrius scriptis suis auditorum reverentia intendit, deinde quod de quibus dubitat, quasi ex consilii sententia statuit. Multa etiam a multis admonetur, et si non admoneatur, quid quisque sentiat, perspicit ex vultu, oculis, nutu, manu, murmure, silentio, quæ satis apertis notis iudicium ab humanitate discernunt. Atque adeo, si cui forte eorum, qui interfuerunt, curæ fuerit, eadem illa legere, intelliget, me quædam aut commutasse, aut præteriisse, fortasse etiam ex suo iudicio, quamvis ipse nihil dixerit mihi.“ De fructu, quem ex recitationibus perceperint Romani, plura vide Plin. 7, 17. 8, 21. 9, 27. Verum languescente illo literarum studio, recitaturis haud raro defuerunt, qui audirent. „Ad audiendum pigre, ut ait Plinius, coibatur, plerique in stationibus sedebant, tempusque audiendis fabulis conterebant, ac subinde sibi nuntiari iubebant, an iam recitator intraverit, an dixerit præfationem, an ex magna parte evolverit librum; tum demum, ac tum quoque lente cunctanterque veniebant, nec tamen permanebant, sed ante finem recedebant, alii dissimulanter et furtim, alii simpliciter et libere.“ Ep. 1, 13. Item: „Recitabatur liber absolutissimus; hunc duo aut tres, ut

sibi et paucis videntur diserti, surdis mutisque similes, audiebant. Non labra diduxerunt, non moverunt manus, non denique assurrexerunt saltim lassitudine sedendi." Ep. 6, 17. Et: „Numquam aut valde raro vacat Romæ aut commodum est, audire recitantem." Ep. 3, 18. Hinc turpis illa auditores corrogandi conducendique et acclamationes prece et pretio redimendi consuetudo, primum, teste Plinio Ep. 2, 14. a Largio Licinio inducta, de qua idem: „Heri duo nomenclatores mei (habent sane ætatem eorum, qui nuper togas sumpserint) ternis denariis ad laudandum trahebantur. Tanti constat, ut sis disertissimus. Hoc pretio quamlibet numerosa subsellia implentur, hoc ingens corona colligitur, hoc infiniti clamores commoventur, cum μεσοχορος dedit signum. Opus est enim signo apud non intelligentes, ne audientes quidem. Nam plerique non audiunt, nec ulli magis laudant. Si quando transibis per basilicam, et voles scire, quomodo quisque dicat, nihil est, quod tribunal ascendas, nihil, quod præbeas aurem; facilis divinatio: scito, eum pessime dicere, qui laudabitur maxime." Ep. 2, 14. Et paullo ante: „Seqvuntur auditores actoribus similes, conducti et redempti mancipes; convenitur in media basilica, ubi tam palam sportulæ, quam in triclinio, dantur. Inde iam non inurbane σοφοκλεις vocantur; iisdem Latinum nomen impositum est Laudiceni*); et tamen crescit indies

*) Σοφοκλεις, ἀπο τῦ σοφῦ και τῦ καλεισθαι, ab eo quod Sophi

foeditas utraque lingua notata.“ Miseram poetæ conditionem, cui ventosæ plebis suffragia et res acquirendi et animus floccipendendi deerat, scriptor dialogi de Caussis Corr. Eloqu. c. 9. describit. „Cum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte, unum librum extudit et elucubravit, rogare ultro et ambire cogatur, ut sint, qui dignentur audire, et ne id quidem gratis.“ Inde illa affectatio, mollities, ceteraque recitantium pariter ac audientium vitia, quæ hoc loco Persius velut oculis conspicienda nobis præbuit. cf. Hor. Sat. 1, 3, 89. 1, 4, 23. 73 sq. 1, 10, 38. Ep. 1, 19, 42. A. P. 474.

Populo. Contra Horatius, illius ambitionis alienus: „Non recito cuiquam, nisi amicis, idque coactus.“ Sat. 1, 4, 73. *Pexus* de comæ cultu apud Romanos v. Claudian. in nupt. Honorii 102. et in Eutrop. 1, 105. Ovid. Fast. 1, 405. Tibul. 2, 5, 26. cf. librum Böttigeri: Sabina oder Morgenscenen im Putzzimmer einer reichen Römerin, Lips. 1803. p. 330 sq. Laudat pexum Hadrianum Spartianus Hadr. 26. Quandoque tamen et mollitiei argumentum inde desumptum, quod quis se pexum ostentasset, ut Cic. Catilin. 2, 10. „Hi sunt, quos pexo capillo nitidos videtis.“ Hæc ad *pexus* illud Persii, quod interpretes, præeunte Lipsio Elect. 1, 13. perperam ad to-

dicuntur. *Καλως και σοφως*, acclamationum voces. Laudiceni, qui cenas aut sportulas exspectantes acclamationibus operam dabant.

gam trahunt. *Togaque recenti.* ἐν κομψῷ στολίῳ ἢ τριβωνίῳ recitaturum proponit Arrianus ad Epict. 3, 23. Quanta Romanorum, antequam verba publice facerent, cura fuerit togæ, eiusque compositionis, docent verba Macrobii Saturn. 2, 9. de Hortensio: „vir alioquin ex professo mollis et in præcinctu ponens omnem decorem; fuit enim vestitu ad munditiem curioso, et, ut bene amictus iret, faciem in speculo ponebat, ubi se intuens togam corpori sic adplicabat, ut rugas non forte sed industria locatas artifex nodus constringeret, et sinus ex composito defluens nodum lateris ambiret." cf. Quinct. Inst. Or. 11, 3, 156. Color in omni toga niveus sordes usu trahebat et squalorem, quem non ferebat recitationis celebritas. Huc *albus* v. seqv. referendum. Ex quo aliisque locis, v. c. 2, 40. Hor. Sat. 2, 2, 61. Ovid. Trist. 3, 13, 14. 5, 5, 8. Octavius Ferrarius (de Re Vestiaria Rom. 22.) colligit, togas communes non fuisse albi coloris, quod alias scriptoribus haud notatum fuisset, eos aliquoties usos esse veste alba. Verum inde modo efficitur, Romanos per dies privatim aut publice lætos sumpsisse togas aut usu nondum sordidas, aut dealbatas. v. Lipsii Elect. loc. cit.

16. De Romanorum more, *natalitia* munera accipiendi, quin poscendi Plaut. Epidic. 5, 1, 33. Martial. 8, 64. 9, 54. Hic tamen queritur, annulorum dona, ante frequentia, iam rara fuisse, 14, 122. *Cum sardonyche.* Annuli Romanorum, qui „olim ferrei sponsis mittebantur," quosque „longo tempore

ne senatus quidem habuit aureos," et qui „modo legatis ad exteras gentes ituris publice dabantur," Plin. H. N. 33, 1. iam „densi *sardonyche* in digitis mulieris musicæ radiabant testudine tota." Iuvenal. 6, 380. „Conducta sardonyche Paullus caussidicus agebat, atque ideo pluris, quam Gallus, quam Basilus, agebat." 7, 143. Quin eo processerunt mollitiei, ut annulos haberent et hibernos, maioris ponderis, et æstivos," levioris. Ita Crispinus ille verna Canopi delicatus Iuvenal. 1, 28. „ventilat æstivum digitis sudantibus aurum, cum non sufferre queat maioris pondera gemmæ." cf. Plin. H. N. 33, 4 et 6. Martial. 5, 11. 5, 62, 5. 11, 60. item Kirchmannum de Annulis c. 15 sq. Gorlæi Dactyliothecam p. 12. et Böttigeri Sabina oder Morgenscenen &c. p. 412.

17. 18. *Legens:* Codd. Haun. 1. 2. 4. 5. 6. Norimb. Luneb. Tig. Casauboni aliquot et Orellii plerique cum Pithoeo et Passowio. *Collueris:* codd. item Haun. 1. 4. aliique, qua structura v. 19. cum præcedentibus, ut poscit sensus, coniungatur. *Sede celsa.* In auditorio erat pulpitum recitantis, sedes ceteris altior, anabathrum, tamquam gradus theatri. Iuv. 7, 46. „In auditoriis subsellia proprie fuere, quæ in medio locabantur, communi et vulgari usui, sicuti anabathra, quæ parieti infigebantur, per gradus scansiles subeunda. Orchestra in fronte ante suggestum dicentis, clarissimo scilicet loco, ubi cathedræ aut sedes honestiorum dispositæ. Cathedræ, quas in fronte flos populi atque edecumata audientium cohors

occupabat. At ipsius quoque rhetoris sedes ante has ipsas proxime locatas audientium digniores, eaque paullulum eminentior, ut videri exaudirique ab omnibus posset. Sedebant, qui recitabant, h. e. qui de scripto pronuntiabant, at dicentes, sive memoriter alloquentes, stare solebant. Plin. Ep. 6, 6. Dicenti mihi sollicite adsistit, adsidet recitanti.“ Val. Chimentellii Marmor Pisanum. c. 23. De gradibus cuneorum vid. et Vitruv. 5, 6. *Liquido . . collueris.* „Quum molli et tenera fictaque vocula poema eliquaveris udo gutture.“ Turnebus. „Est *plasma*, quum vox est tenera et mollis. Plutarchus de voce Ciceronis: ἡ δε φωνη, πολλη μεν και ἀγαθη, σκληρα δε και ἁπλαβτος. Iterum: ἡ τε φωνη λαμβανουσα πλασιν. (Vitt. parall. Cic. 3 et 4.) Quum enim dulcis et suavis vox effunditur, guttur liquida, cum exeat, colluere videtur, unde et Persius (v. 35.) eliquare dicit.“ Idem Advers. 28, 26. Quocum facit Salmasius (Plin. Exerc. in Solinum) qui *plasma* pro voce sumit sic eliquata et molli, ut per omnes sonos intentionesque variari possit, et reprehendit Casaubonum, cui plasma est medicamenti genus, leniendis faucibus factum. Casauboni tamen interpretationem adoptarunt recentiorum haud pauci, quorum Koenig et Passow. At plasis in musica est varietas soni, unde phonasci πλαττειν φωνην dicebantur, et illi formandæ vocis magistri, quorum unum Neroni, serio iocoque quidquid agenti, semper adstitisse, ex Suet. Ner. 25. discimus, ἐυπλαβτον φωνην vocabant facilem tractabi-

lemque vocem, et quæ per omnes intensionum remissionumque numeros flecti ducique posset, ut contra ἁπλαστον rigidam et monotonon, quæ variari versarique non posset. Sic μετα πλασματος ἀυλειν Græcis est: πολυκαμπτως ἀυλειν και πολυτροπως, multa varietate soni tibia canere, cui contrarium: ἁπλαστως ἀυλειν, sine ullo sonorum flexu et varietate. Theophrastus Hist. Plant. 4, 12: ἡνικ' ἠυλουν ἁπλαστως, quod Plinius H. N. 16, 36. sic reddit: „cum adhuc simplici musica uterentur." Paullo post Theophrastus: ἐπειδη δε εἰς την πλασιν μετεβησαν, quæ Plinius ita transfert: „postquam varietas accessit et cantus quoque luxuria." Hoc sensu verba Quinctiliani Inst. Or. 1, 8. interpretanda: „Sit inprimis lectio virilis et cum suavitate quadam gravis, et non quidem prosæ similis, quia carmen est, et se poetæ canere testantur: non tamen in canticum dissoluta, nec *plasmate*, ut nunc a plerisque fit, effeminata;" ubi, si cum Casaubono, et qui eum sequuntur omnibus, de potione cogitaveris et sorbitiuncula, qua colluebantur fauces, ne raucedine asperæ vocem corrumperent, plasma vix esset ferendum. De ista in carminibus recitandis affectatione Seneca: „Quid illi, qui in componendis, audiendis, dicendis canticis operati sunt: dum vocem, cuius rectum cursum natura et optimum et simplicissimum fecit, inflexu modulationis inertissimæ torquent? Quorum digiti aliquod inter se carmen metientes semper sonant; quorum cum ad res serias, sæpe et tristes, adhibiti sunt, exauditur tacita modu-

latio? Non habent isti otium, sed iners negotium.“ de Brev. Vitæ 12, 3. *Patr. fractus ocello*, oculis in lasciviam resolutis. *Fractus*, hoc sensu insolitum, ex analogis Græcis κε κλασμενος, κλαδαρος, κατεαγως, mollis, effeminatus, clumbis, interpretandum. Philo de Gigantibus voluptatem dicit effeminatam et fractam, την ἀνανδρον και κεκλασμενην ἡδονην. Idem alibi: κεκλασμενῳ τῳ βαδισματι, incessu fracto præ mollitie; unde Petronius: „Omnibus ergo scorta placent, fractique enervi corpore gressus.“ Satyric. 119. Sensus *tu patranti* venereus dubitationi, si qua superest, rem propositam eximit, adeo ut nullum verbum temere positum esse et suo carere pondere videatur. Nec, ut tabulæ illi absolutissimæ color quisque suus maneat, omittendus *ocellus*, quem Apuleius „udum et tremulum, prona libidine marcidum, iam iamque semiadopertulum“ describit. Græci dicunt ὑγρον ὀμμα, κεκλασμενον ὀμμα, κλαδαρομματος, et Horatius: „Omnes in Damalin putres deponent oculos.“

19–21. *Heic* &c. In hoc auditorio nobiles videbis Romanos inhonesto et lascivo gestu tremulisque gannitibus se motos profiteri, cum carmina ad lumbum, libidinis sedem (4, 35.) penetrant, et interiora viscera versu obsceno, voce tremente et effeminata a poeta pronuntiato, titillantur. Post *ocello* v. 18. ponendum (,) et *videas* v. 19. cum præcedentibus construendum, bene monet censor ante laudatus Jenensis, adeo ut, adscitis lectionibus codicum consensu satis firmatis: *legens* et *collueris*, contextus sermonis hic fiat: Sci-

licet hæc legens, cum guttur collueris, videas cet. quæ est antiqua Salmasii interpretatio, a Kœnigio iure, ut videtur, nullo reprehensa.

20. *Ingentes Titos* Marcilius Augustianos, auditores et plausores Neronis (Suet. Ner. 20 et 25.) intelligit, qui cum „robustissimæ essent iuventutis," *ingentes* dicuntur, et *Titi*, quod equites plerique sive, ut ait Suetonius, „adolescentuli equestris ordinis," a Tito Tatio, Sabinorum rege, haud secus ac „celsi Rhamnes" Horatii a centuria equitum Romuli dicebantur. Cum quæstio, an loca Persii nonnulla ad Neronem pertineant, non ita, ut commentariis plerisque recentioribus videtur, ad liquidum perducta sit, his tanto minus illa antiqui interpretis observatio fuisset prætereunda.

22. 23. *Vetule.* Senex quidem in antiqua comoedia est credulus, obliviosus, stolidus. „In fabulis stultissima persona est improvidorum et credulorum senum." Cic. Læl. 26. Senum varias personas, quales in usu fuerunt apud veteres comicos, descripsit Scaliger Poetica 1, 14. Verum vocabulo *vetuli*, a „vetus" per contemptum formato, aliud senii et stoliditatis genus spectari, quod nimirum homines dissolutos et libidinosos ante diem enervat, iam ad vocem *canitiem* v. 9. dictum, et h. l. ostensum est a Passowio. Illam nimirum significationem, lexicis ignotam, probavit locis Petron. 28. „puer vetulus, lippus," et Martial. 1, 42, 13. „bucca vetuli loquax cinædi." Quo

forsan etiam referendum Ciceronis: „mi vetule," Ep. ad Divers. 7, 16. quandoquidem Trebatius, ætate inferior Cicerone, et ipsi quidem amicissimus, in hac et Epp. 6. 8. 10. 17. mollitiei et deliciarum ab eo incusatur. Eodem *cute perditus* v. 23. pertinet, quo summum perversitatis et enervationis gradum significari, Passow, collatis locis 3, 63. et 95. bene observavit. Lectio *auriculis* contra „articulos" Prisciani (apud Putschium col. 613.) tanto magis tuenda, quanto familiarior Persio est usus *aurium* sensu æsthetico: 1, 108. 121. 126. cet. *Ohe!* „Interiectio, satietatem usque ad fastidium designans." Donatus in Terent. Heaut. 5, 1, 6. Car. Fea ad Hor. Sat. 1, 5, 12. ex mss. suis pro *ohe!* legit „hoe!" „Dum recitas, vetule, id te sollicitum habet, quomodo placeas auditoribus tuis; et quibus auditoribus? iis nimirum, qui ita effuse et sine iudicio acclamant, ut cogaris vel invitus silentium eis imponere, et tamquam satur identidem repetere: ohe! ohe! iam satis est!" Franc. Ferrarius de veterum acclamationibus. Respexit poeta ad Horatii verba: „Importunus amat laudari? donec ohe! iam ad cœlum manibus sublatis dixerit, urge." Sat. 2, 5, 96. eodemque spectavit Iuvenalis: „Satur est, cum dicit Horatius: ohe!" 7, 62.

24. 25. *Quid didic*: codd. Haun. omnes, Uratisl. Norimb. Luneb. Monach. Tig. omnes Achaintrii cum vet. Scholiaste, Murmellio et Passowio. *Quid* cum infinitivo minus quidem solitum, ac „quo," non ita tamen ab elegantia Latina abhorrens, ut potiorum co-

dicum auctoritas non esset servanda. *) Transitus ab una nondum perfecta similitudine ad alteram alius generis sensum obscurum reddit: „Quis est," ita obiicit interpellator, „studiorum fructus, nisi scientia, quæ tamquam fermentum massam inflans, et caprificus, muris innata, prodire cum impetu gestit, ab aliis cognoscatur?" Caussam agit hominis ambitiosi, qualis erat Nero, „subinde inter familiares Græcum proverbium iactans, occultæ musicæ nullum esse respectum." Sueton. Ner. 20, 2. **) Ad eandem quæstionem scite respondet Seneca Ep. 7. ubi tria egregie dicta Democriti, Heracliti et Epicuri afferuntur huc facientia. De *caprifico* vid. Plin. H. N. 15, 19. Martial. 10, 2, 9. Iuvenal. 10, 145. *Iecur* Persius dixit, ut 5, 129. quod in eo, non tantum in corde, sensa animi collocata et affectus, idque sanguinis officinam existimarent veteres. Quo referenda, quæ e psychologia Platonica habet Claudianus de 4 cons. Honorii 249. cf. Æschyl. Agam. 444. 801. Eurip. Hippol. 1070. Hor. Od. 1, 13, 4. 1, 25, 15. Sat. 1, 9, 66. Iuvenal. 1, 45. 6, 647.

*) Cum Heinsio in loco simili non ausim dicere: „Omnino scribendum, vel contra libros, „quo tibi?" eleganter enim id cum infinitivo iungitur." Ovid. Art. Am. 1, 303. ed. Burm. Enimvero critici est, scriptorem verum sistere, non elegantiorem refingere.

**) *Της λανθανουσης μουσικης ἐδεις λογος*, quod ita effert Lucianus: *Οὐδεν γαρ ὀφελος ἀπωθεῖσθαι, φασι, και ἀφανες της μουσικης.* Harmonides c. I. Cf. Gellii N. A. 13, 30.

26. *En pallor seniumque!* Vid. quæ ad v. 9. et 22. dicta sunt. *O mores!* Exclamatio post Ciceronem solemnis: Or. Catil. 1, 1. Martial. 9, 71.

27. „Hæc periodus apud Lucilium posita est: ut me scire volo mi mi conscius sum, ne damnum faciam. Scire hoc se nescit, nisi alios id scire scierit.“ Vet. Schol. Marcilius existimat, Lucilium ita scripsisse: — id me Nolo scire, mihi cuius sim consciu' solus, Ne damnum faciam. Scire est nescire, nisi id me Scire alius scierit. — Totum Persii locum citavit Quinctilianus Inst. Or. 9, 3, 42. exemplum crebriorum sententiarum mutata declinationibus iteratione verborum.

28. *Digito monstrari*, quod pulchrum interpellatori videtur, de iis, qui insignes sunt, vulgari proverbio dicitur, ut Hor. Od. 4, 3, 22. Martial. 6, 82, 2. 3. 9, 98, 4. Plin. Ep. 9, 23. Cic. Tusc. 5, 36. In *pulchro* h. etiam nolentes retinemus. „Pulchrum Varro aspirari debere negat, ne duabus consonantibus media intercedat aspiratio, quod minime rectum antiquis videbatur; unde et sepulcrum hodieque manet.“ Sosip. Charisius apud Putschium col. 56. At manebat tamen aspiratio Latini sermonis naturæ adversa, vide Ter. Scaurum ibid. c. 2256. et Marium Victorinum c. 2467. Ipse Cicero hac in voce usum loquendi populo concessit, Orator 48.

29. „Optime institutum est, ut ab Homero atque Virgilio lectio inciperet.“ Quinct. Inst. Or. 1, 8, 5. quod totum caput methodicam poetarum lectionem

docet. „Themata poetica iuvenibus pertractanda“ proponebantur, ib. 2, 10, 5. „In ipsis ludis vilibus carmina dictabantur,“ Hor. Sat. 1, 10, 75. Ep. 1, 20, 17. deficientibus scilicet exemplis chirographi. cf. Hor. Ep. 2, 1, 71. *Cirratorum centum* est „matutini cirrata caterva magistri“ Martial. 9, 30, 7. vel „grex capillatus“ 2, 57, 5. vel „capillati et delicatæ chorus mensæ“ 10, 62, 2. Pueros ingenuos puellarum more aluisse cirros aut cincinnos usque ad annum quartum decimum, hoc vero elapso puberes declaratos et tonsos fuisse, discimus ex Acrone ad Hor. Od. 4, 10, 3. Quo Horatii loco, alioque Martial. 3, 58, 30. et illo apud Ambrosium adagio: „nullus comatus, nisi idem cinædus,“ monemur de pueris Romanorum cinædis, quos Persius, mollitiei sui temporis severus censor, forsan notaverit. „Occulte tangit Neronem, cuius carmina, quia imperabat, per scholas celebrabantur.“ Vet. Schol. *Centum* pro numero magno, ut 5, 1. 191. 6, 48. Ita „trecenti“ et „sexcenti“ Hor. Od. 2, 14, 5. 3, 4, 79. Sat. 1, 5, 13. Virg. Georg. 1, 15.

30. sq. Concedit adversario poeta, adesse scribendi incitamenta, eademque ironica, at præsentissima imagine exponit, ut quam futilia sint, appareat. *Inter pocula*, „inter lances mensasque nitentes, Cum stupet insanis acies fulgoribus, et cum Acclinis falsis animus meliora recusat.“ Hor. Sat. 2, 2, 4. Exemplum hujusmodi colloquii inter pocula habiti de Homero dedit Petronius 59. de Virgilio, Iuvenalis 6, 443.

31. *Romulidæ saturi*, „cum ne mente quidem recte uti possunt, multo cibo et potione completi.“ Cic. *Dia*, divina; i ante vocalem producitur ob Græcam originem. Codd. nostri *narrent*. De narrare per unum r scribendo ex præcepto Grammaticorum Putschii c. 2238 et 2290. vid. K. L. Schneider Formenlehre p. 429.

32. Cum scurræ, cinædi et moriones divitum quorundam Romanorum mensis inerrarent, aliorum conviviis inducebantur lectores, qui pronuntiatione poematum delectarent discumbentes. Plin. Ep. 1, 15. 9, 17. Iuvenal. 11, 177. Augustus utroque genere usus fuisse videtur. Suet. Aug. 74. Invitator quandoque recitavit, Plin. Ep. 8, 21. quam odiosam lectionem carpit Martialis 3, 44–50. seque, cum ipse invitet, nihil recitaturum pollicetur. 5, 79. 11, 55. *Hyacinthina* vel „ianthina“ (codd. Haun. 3. 5. 6.) vestimenta violacea purpura erant infecta. „Violæ purpureæ solæ Græco nomine a ceteris discernuntur, appellatæ ia (ab *ἰον*) et ab his ianthina vestis.“ Plin. H. N. 21, 6. „Coccina famosæ donas et ianthina mæchæ.“ Martial. 2, 39. Quæ si vel maxime ab hyacinthino colore differre videantur, coll. Plin. 37, 9. et Laz. Bayfio de Re Vestiaria 3. falluntur utique, qui cum Passowio existimant, hunc Persii locum unicum esse, in quo color hyacinthinus vestibus tribuatur. *) Cultu coccineo vel amethystino molles et de-

*) Subligacula Medica et stolæ hyacinthino colore tinctæ

licati Romani, qualis huius loci recitator, utebantur non sine nota hominum severiorum, „qui coccinatos non putabant viros esse, amethystinasque mulierum vocabant vestes.“ Martial. 1, 97, 6. Adde, quod effeminatus ille lector veste vetita incedebat; nam interdictum vulgaris usus purpuræ, iam a Cæsaribus, Iulio Cæsare (Sueton. 45, 5.) Octavio (Dio Cass. 49.) Tiberio (ibid. 57.) emissum, a Nerone renovatum erat et severe adeo habitum, ut „inter canendum animadversam matronam e spectaculis, vetita purpura cultam, demonstrasse procuratoribus suis crederetur, detractamque illico, non veste modo, sed et bonis exueret.“ Sueton. Ner. 52, 5. 6. *Læna*, „toga duplex, amictus auguralis, Ciceroni *χλαινα*.“ Servius ad Æneid. 4. „Romanis in convivio et triclinio habere *lænas* licebat, non licebat in foro; ita cenatoriæ et triclinares aut domesticæ vestes erant, non forenses neque publicæ.“ Turnebus Adv. 28, 26.

(*ἀναξυριδες Μηδικαι και στολαι ὑακινθινοβαφεις*) sepulcrum Cyri circumdedisse dicuntur in descriptione huius monumenti apud Arrianum de Exped. Alexandri. l. 6. et Athenæus Deipnos. 12, 29. de Ephesiorum luxuria calasires, opere Corinthio confectas, ita describit· „earum aliæ purpureæ sunt, aliæ violaceæ, aliæ hyacinthinæ (*εἰσι δε αι μεν πορφυραι τετων, αι δε ἰοβαφεις, αι δε ὑακινθινοι*) Vid. eruditum de Persio Donneri iudicium censoris Jen. A. L. Z. 1822. n. 198. ubi ostenditur, luxus illius consuetudinem ab oriente ad colonias Græcas Asiæ minoris, et inde Romam pervagatam, longo post tempore obtinuisse, et ad eam respexisse Hieronymum Ep. 10. ad Fulviam.

33. *Ranc. locutus.* Martiali 7, 33, 7. phrasis similis. *Balba de nare*, ἐν ῥινὶ φθεγγόμενος Græcis. Naturalem vocis modum præ mollitie adeo effeminat, ut de nare loquatur. „Tametsi rancide et insuaviter, et odiose et putide non tam ore quam balba nare ipse loquitur, quod evenit plerisque senibus, tamen mollicula et liquida conatur voce eliquare versus tragicorum in convivio.“ Turnebus. *Nares* sing. h. l. et v. 109. ut a poetis frequentius pro naso adhibetur; verum apud alios scriptores sensu etiam proprio organa olfactus significat.

34. *Phyllis*, Thracum regina, a Demophoonte, *Hypsipyle*, Lemni regis filia, a Iasone deserta, Ovidio materiam Heroidum 2 et 6. utraque præbuit. „Hypsiphylas“ Turnebus Adv. 28, 40. legit, et inde probare voluit, Latinos aspirationibus anhelantisque vocibus in p litera delectari, ut gryphes, γρυπες, trophæum, τροπαιον, Cleophas, κλεοπας. In codicibus Persii, haud perfunctorie collatis, mihi ista lectio non obvenit. Pro *vatum* cod. Haun. sextus legit „varium“, tertius „votum“ et L. Pithoei: „vanum . . si quis“. Ceteri cum Prisciano c. 8. (Putschii c. 800) vulgatum tenent. *Plorabile* nescio an ambiguitatis aliquid habeat, ut responsum illud Philoxeni, qui versus tyranni Dionysii, miserabiles affectus exprimentes, dixit „miserabiles“. Diod. Sic. 15, 6. Loca certe huc referenda Horatii: „lacrimosa poemata Pupi“, et Claudiani: „verbis sonat plorabile quiddam

ultra nequitiam fractis", quando de versibus ad teneros et molles affectus movendos aptis sermo est.

35. *Eliquat.* vid. quod de *plasmate* dictum v. 17. „Translatum est a sacco vel colo vinario; eo enim vinum transmissum defæcatur et liquidum redditur; voces igitur veluti percolat." Turneb. l. c. C. Barthius Adv. 55, 3. ad verba refert venuste ficta, qualia emasculare, evirare, elimpidare, erugare &c. Cadentis quidem Latinitatis est, Apuleio et Prudentio frequens, non vero insolens meliori ætati Columellæ et Senecæ. „*Supplantare* est ὑποσκελίζειν in lucta, unde et translatio, quod verba non fortia et recta, et virili plenaque voce animata foras efferat, sed effeminata pronuntiatione et fracta, velut supplantata et suppressa ac subversa, nec recto cursu et tenore euntia, sed deiecto et devoluto labentia, et languido enervatoque, non satis expresso sono." Turneb. l. c. Ridet ita loquentem Horatius: „Quid? cum balba feris annoso verba palato, Ædificante casas qui sanior?" Sat. 2, 5, 274. Antiquiores interpretes semivirum illum hyacinthinum, qui molles versus molliter eliquat, Neronem esse existimant. Recentiores negant. Sufficiat h. l. notavisse, quæ habeat Tacitus de Neronis affectatione studii poetici et prurigine versus pangendi Annal. 13, 3. 14, 6. et Suetonius Ner. 10. 20. 25. item Dio Cassius 61, 20. 62, 29. de illius recitationibus publicis et privatis, canendi et declamandi exercitiis, et formandæ vocis remediis præter naturam adhibitis, quibus frivolæ mollitiei et

ineptæ vanitatis speciminibus se ævi sui satiricis ipse proposuit deridendum. *)

36. *Assensere.* Adde sis: „tanta universorum lætitia, ut ob recitationem supplicatio decreta sit, eaque pars carminum aureis literis Iovi Capitolino dicata." Sueton. Nero 10, 9. *Assensere viri.* „Magno hoc cum delectu. Primum enim hi *viri* vocantur, qui, cum idem sentiant, quod ille mollis, effeminatis moribus se produnt**); deinde illud *assensere*, grave aliquid sonans, et in gravibus rebus plerumque adhibitum (Ovid. Metam. 9, 260. 14, 592. Virg. Æn. 2, 130.) h. l. in re futili usurpatum, ironiæ vim vehementer augere videtur." Kœnig. Suadet *cinis*, et quæ sequuntur, locum non de ipsius recitatoris versibus intelligendum, sed de alius iam mortui poetæ tenera quadam et plorantibus apta elegia, cujusmodi carminis studio molles istius ætatis homines maxime tenerentur. vid. v. 51. Codd. Haun. 5. 6. legunt: „Num nunc cinis", et v. sequ. „num levior". Ceteri lectionem vulgatam sequuntur.

---

*) „Ipse imperator et Augustus (αὐτοκρατωρ) cecinit Ai in quendam et Bacchas, circumstante magno militum numero, et coram universo populo assidente, quantum sedes capiebant, καιτοι και βραχυ και μελαν φωνημα ἐχων, ὡςε και γελωτα ἁμα και δακρυα πασι κινησαι. Dio Cass. 61, 20.

**) Herder· Die Helden iauchzen ihr Beifall. Werke, eilfter Theil. p. 142.

38. Versus non quidem prorsus otiosus, nam convivæ, plus poti et calidiores facti, iam ipsi laudant, quod ante laudatori assenserunt, videtur tamen interpretamentum sapere, nec Persianæ brevitati convenire; at interpretamentum non librariorum, cum versum omnes codices habeant, sed ipsius dixerim auctoris, cui schedium huius loci curatius elaborare haud contigerit. „Hunc ipsum librum imperfectum reliquit". Vita Persii apud Suetonium. Vid. Passow. p. 135. et Stieber Coniectanea in nonnulla Ovidii, Iul. Obsequentis et Persii loca. Erl. 1786. De *cineris felicitate* et ratione, quæ mortuis cum vivis intercederet apud veteres, vid. quod Passow ad h. l. erudite disseruit, et de *violis e tumulo nascentibus* itidem Kœnig, cui addendus locus ille pulcherrimus Iuvenal. 7, 207. „Dî maiorum umbris tenuem et sine pondere terram, Spirantesque crocos, et in urna perpetuum ver, Qui præceptorem sancti voluere parentis Esse loco!"

40–43. *Ait* de interpellatore, ut Hor. Ep. 1, 19, 43. et alias sæpe. Bene quidem Kœnig: „Non animadvertit adversarius, Persium non laudem omnino, sed falsam illam et inanem, non scripta omnino, sed ea tantum vituperare, quæ corrupto multitudinis iudicio accommodate concinnata sint;" at verius, ut Passowio videtur, speciem non animadvertentis præbet, et animi iusto tristioris et austerioris Persium incusat, quo hic ad severam suam, levitati huius ævi contrariam, mentem exponendam provocatur.

40. *Nasus* Persio est sedes iræ et irrisionis (v. 118. 3, 87. 5, 91.) ut antiquis omnibus. „*Naribus* derisus, contemptus, fastidium significari solet.“ Quinct. Inst. Or. 11, 3, 80. cf. Hor. Sat. 1, 6, 5. 2, 7, 38. 2, 8, 64. Græci: *σιμα γελαν, διασιμαν, σιλλαινειν.* v. interpr. ad Hesych. verbi *διασιμαν.* cf. Heind. ad Hor. Sat. 1, 6, 5. et Bothium ad Hor. Feæ Sat. 2, 8, 64. Plinius quidem de naso H. N. 11, 37. eum „novos mores“ subdolæ irrisioni dicavisse dicit; verum tamen Græcis *μυκτηριζειν, ἀντιμυκτηριζειν* est irridere, *ἀπο τϑ μυκτηροϛ*, a naso, eademque notio Hebræorum אף sollemnis.

42. Horatius itidem: „Carmina linenda cedro.“ Eam Plinius „æternam materiam“ dicit, eiusque succo illitos Numæ libros, terræ infossos, credulus tradit duravisse ad annos 535. H. N. 13, 5. 13. 16, 39. Servius ad Æn. 7, 178. nostrum locum citat, additque: „Hoc genus ligni tineæ nescit corruptionem, quod et antiquitatem non sentit, et cedria per cuncta ligna custodita conservat.“ cf. Vitruv. 2, 9. Ovid. Trist. 1, 1, 7. 3, 1, 13. Martial. 3, 2, 7.

43. Explicatur locus epigrammate modo citato, in quo Martialis libellum suum monet, vindicem sibi parare, „ne nigram cito raptus in culinam, cordyllas madida tegat papyro, vel turis piperisque sit cucullus.“ *)

*) „Scribendum *thus* cum aspiratione, non tus, tum ex optimis mss. tum ex marmoribus scriptis passim, ut apud

46. Totum omittunt codd. Bongarsii apud Casaubonum, Bernenses apud Sinnerum, et duo Paris. apud Achaintrium, forsan ob similem clausulam; Haun. omnes habent. Quinctilianus Inst. Or. 12, 10, 26. utrumque versum videtur legisse et totidem verbis expressisse: „Si quid exierit numeris aptius; fortasse non possit; sed tamen si quid exierit.“ *Exit* tamquam ex officina. Hor. A. P. 22. cfr. Persii 6, 60. *Rara avis* item ut Iuvenal 6, 164. de re quavis nova et inventu perrara dicebatur proverbio, nato a fabula Phœnicis avis Ægyptiacæ originis, de qua Plinius H. N. 10, 2. Ovid. Metam. 15, 392. sq. Senec. Ep. 42, 1. al. Aquilæ eam hieroglyphice assimilarunt Ægyptii in picturis, quingentesimo quovis anno in Ægyptum

---

Gruterum p. 288. Fabrett. p. 752. n. 594. Marin. Arvali p. 337 sq.“ Car. Fea ad Hor. Od. 1, 19, 14. cf. Od. 4, 5, 31. At Sosip. Charisius apud Putschium c. 58. „Tus a tundendo sine aspiratione dicitur, quamvis Julius Modestus *ἀπο τυ θυειν* tractum dicat;“ et Servius ad Virg. Georg. 1, 57. „Sane tus modo sine aspiratione dicimus: nam antiqui thus dicebant *ἀπο των θεων*, quod displicuit, vel a *θυω*, quod est sacrifico. Tura enim a tundendo dicta esse voluerunt, a glebis tusis, cum quibus dicitur fluens de arboribus coalescere.“ cf. eundem ad Æn. 6, 3. et inprimis K. L. Schneider Elementarlehre. Berol. 1819. p. 200. Hic enim *tus*, quod cum aspiratione Servio obsoletum, a *θυω* quidem deducit, sed ad voces refert, in quibus *θ* mutatum fuerit in t, quales sunt menta, triumphus, lateo, patior cet. et ipsos antiquos Grammaticos, cum in hac voce a tundo, tusum perperam deducenda fere omnes consentiant, scripturam aspirationi adversam tuitos esse iudicat.

ex remotissima orbis parte redeuntem, teste Herodoto 2, 73. qui talem picturam apud Heliopolitanos vidit.

47. Respicit ad calumniam ἀπαθειας Stoicæ, negans sibi *fibram* esse *corneam*. *Fibræ* veteribus erant extremitates iecoris: Servius ad Virg. Æn. 6, 600. 10, 176. et in iecore sedes sensus et το ἐπιθυμητικον. Qui carent humanis affectibus, robur, adamantem, silicem, ferrum, cornu in pectore gestare dicuntur. At corneos Romani inprimis vocabant homines, quorum „ossa natura concreta" et vasa medulla vacua credebantur, quo fierent torvi, inflexibiles, rigidi, ἀπαθεις. Plin. H. N. 7, 19. Idem 31, 9. corpora piscatorum, των ἐξωθεν ἀπαθη, *cornea* dicit.

48. *Recti finemque extremumque* sapit terminologiam Stoicam multinominem τε τελεος vel summi boni.

49. *Euge*, *belle*: acclamationes recitantibus poetis usitate fieri solitæ, ut infra v. 84. *decenter* *) et Hor. A. P. 428. „pulchre, bene, recte." Martialis 2, 27, 5. multas in unum conducit: „Effecte, graviter, cito, nequiter **), euge, beate." Dicenti Ciceroni, quæ solerent crebro acclamari, quam ipse acclamationem aspernaretur, quam item summe cuperet, discimus e libro de Oratore 3, 26: „Bene et præclare"

*) *Decenter*, Græcis πρεποντως, cuius acclamationis Plutarchus mentionem facit in libro de auditione.

**) Nequiter, amatorie, Græcis ἐρωτικως.

quamvis nobis sæpe dicatur, „belle“ et „festive nimium“ sæpe nolo, quamquam illa ipsa exclamatio: „non potest melius“ sit velim crebra.“ De acclamationum usu, earumque personis et rebus, quibus fierent, minime convenientibus formulis ita Plutarchus de Auditione 9. „Qui nunc inusitatas in auditoria introducunt voces, dum acclamant: „divinitus, divino instinctu, inimitabiliter (θειως, θεοφορητως, ἀπροσιτως) quasi ea non sufficiant, quibus Plato, Socrates et Hyperides usi sunt laudum indiciis: pulchre, sapienter, vere (καλως, σοφως, ἀληθως) ii supra modum indecenter agunt, dicentesque traducunt, quasi hi superbia impulsi nimias laudes affectarent. Vehementer etiam molesti sunt, qui iureiurando adhibito, velut in foro, testimonia dicentibus reddunt. Neque his minus ii, qui personarum decorum non servant, dum philosopho acclamant: acriter (δριμεως) seni: ingeniose (ἐυφυως) aut floride (ἀνθηρως) . . orationique seriæ amatoriam laudem accommodantes, perinde ac si quis athletæ sertum liliorum rosarumque, non lauri aut oleastri coronam imponeret.“ Σοφως dixit Plutarchus. Frequentissima hæc fuit in Latinos recitantes emissa acclamatio. Commemorat eam non uno in loco Martialis, v. c. Epigr. 1, 4, 7. 1, 50, 57. 1, 67, 4. 1, 77, 10. 3, 46, 8. 6, 48, 1. Grande, magnum, tergeminum, insanum appellat hoc Sophos, quod non sine magna et contenta voce fierent acclamationes. *)

*) De plausu Neroni dato ita Tacitus Annal. 16, 4. 5: „Et

50. 51. *Quid non.* Emendatione Nasseri in „numnam“ haud opus esse, Passow ad h. l. et censor Ienensis *) bene monuerunt. *Quid non* in se habet vanitatis et stultitiæ? *Non heic* et sequentia: *non si, non quidquid* interrogative sumenda. Nonne illud Euge et Belle, Iliadi insipientis Accii acclamatum, hoc abusu insipidum est redditum? Plerique interpretes veteres a scopo aberrarunt. Præstantissimus ipse Turnebus, cum locum ita interpretatur: „Mea carmina gloriam et laudem non avent, ut insana Ilias Atti“ &c.

---

plebs quidem urbis, histrionum quoque gestus juvare solita, personabat certis modis, plausuque composito. Crederes lætari, ac fortasse lætabantur, per iniuriam publici flagitii. Sed qui . . cum manibus nesciis fatiscerent, turbarent gnaros“ &c. Quo loco collato cum verbis Suetonii Ner. 20, 6. „Neque eo segnius adolescentulos equestris ordinis, et quinque amplius millia e plebe robustissimæ iuventutis undique elegit, qui divisi [in factiones plausuum genera condiscerent (bombos et imbrices et testas vocabant) operamque navarent cantanti sibi,“ haud dubium est, Neronis tempore exstitisse artem quandam plaudendi manibus, quam nossent alii, alii ignorarent, vel fuisse, artificiosam plausuum doctrinam qui traderent et qui condiscerent. Vide Franc. Bernard. Ferrarium de Veterum Acclamationibus. De „bombo,“ apum sonitu, Plinius H. N. 11, 10. De „testis“ crepitantibus Iuvenalis 11, 170. „Imbrices,“ quæ ad testarum modum percussæ aut collisæ certum redderent sonum (Ferrarius); plausus genus, ad similitudinem crepantis super tegulas pluviæ commentum. (Casaubonus.)

*) Allg. Lit. Zeitung 1807. n. 218.

vim sententiæ poeticam extenuavit. Melius ille de sequentibus: „Quod porro illam dicit *ebriam veratro*, perinsanam significat, quæ tantum illius pharmaci epotarit; parcius enim poculum medicamenti parva desiderat insania, largius magna. Quod de poemate dicit, de poeta accipiendum est.“ Nominis *ebrii* ad alia quædam a vino eleganter translati exempla v. Mureti Var. Lect. 5, 16. Kœnig haud incongrue de poeta cogitat, cui in Heliconem rapto non licuerit fontem attingere Hippocrenen, potione nigri hellebori contento. Nam helleborum nigrum, candido vehementius et insaniam afferens, hoc in monte optime provenisse, novimus ex Plinio H. N. 25, 5. Ad locum Persii explicandum faciunt verba Plinii sequentia: „Plerique studiorum gratia ad pervidenda acrius, quæ commentabantur, sæpius sumtitaverint. Carneadem responsurum Zenonis libris &c.“ De Carneade fusius Val. Maximus 8, 7. Ext. 5. „Cum Chrysippo disputaturus helleboro se ante purgabat, ad exprimendum ingenium suum attentius, et illius refellendum acrius, quas potiones industria solidæ laudis cupidis effecit appetendas.“ cf. Gellii N.A. 17, 15. Nomen veratro ebrii poetæ varie scribitur. Turnebus in antiquis libris legit Ilias „Atti“ vel „Ati.“ Eandem lectionem cod. Norimb. exhibet; alius item „Acti,“ plerique vero *Acci*. Ita Haun. quinque. De Labeone v. 4. dicto intelligunt aliqui, prænomen Accii, auctoritate, ut videtur, antiqua, illi tribuentes. Vetus Scholiastes, cum ad v. 4. ridiculam Iliadis et Odysseæ versionem

Labeonis commemorat, nullum adiicit prænomen. Utor scilicet collectione scholiorum, cura Eliæ Vineti ex tribus variis, quotquot tunc temporis suppeterent, codicibus conflata, et sub titulo: L. Annæi Cornuti, Grammatici antiquissimi, Commentum in A. Persii Flacci Satyras, Lutetiæ 1601 edita. At Gyraldus in Dialogo 8. de poetarum historia pravum eundem Homeri interpretem „Actium Labeonem“ nominavit, adiectis verbis: „si Cornuto, vel ut quidam volunt, Probo, in Persii commentariis fidem præstemus.“ Hic ergo aliud et accuratius scholiorum exemplar secutus videtur. Auctor ille insipidæ Homericæ versionis, cuius versum: „Crudum manduces Priamum Priamique pisinnos“ Scholiastes refert, certe non est L. Accius vel, nomine varie scripto, Actius, item Attius, poeta a Quinctiliano Inst. 10, 1, 97. laudatus, et a Gellio N. A. 17, 21. inter illustres Romanorum scriptores numeratus. *Crudi.* Quod de rebus dici solet, Noster pro more suo dicit de personis. Idem vocis usus Hor. Sat. 1, 5, 49.

52. 53. De more Romanorum, inter cenam versus vel, ut per contemptum dicuntur, *elegidia* dictandi v. Hor. Ep. 2, 1, 110. Catull. 51. Petron. 55. Scilicet ad mollitiem hominum huius ævi pertinebat, potius dictare quam scribere. Quinct. Inst. Or. 10, 3, 18. *denique,* saltem, ut Hor. Sat. 1, 2, 133. ad quem locum vide Heindorfium. *Lectis*, cf. Hor. Sat. 1, 3, 90. Sedilibus iam tunc utebantur altioribus, quibus posthac accubita cum stragulis accubitalibus succede-

bant. „Apud veteres accubitorum usus non erat, sed in lectulis discumbentes manducabant.“ Schol. vetus ad Iuvenal. 5, 17. Accubita commemorat Lampridius Vita Heliog. 19 et 25. Si lectulos lucubratorios malueris, Suetonius Aug. 78. Ner. 73. Ovid. Trist. 1, 10, 37. Hor. Sat. 1, 4, 133. et Heindorf ad h. l. adeundi. Ex *citro* lecti et mensæ fiebant, postquam illa arbor circa Ciceronis tempora Romanis innotuit. Theophrastus Hist. Plant. 5, 5. magnum iam huic arbori honorem tribuit. Plinius citrearum mensarum insaniam feminas viris obiicere dicit, ut margaritarum luxum viri feminis vicissim exprobrabant, et hæc de immenso earum pretio adiicit: „Exstat hodie M. Ciceronis in illa paupertate et, quod magis mirum est, illo ævo emta sestertiûm decies cent. mill. Memoratur et Galli Asinii, sest. undecies cent. mill. Venundatæ sunt et duæ a Iuba rege pendentes (cum sub hasta venirent) quarum alteri pretium fuit sest. duodecim cent. mill. alteri paullo minus“ &c. H. N. 13, 15. Subiungit, hanc arborem inter pauca nitidioris vitæ instrumenta fuisse, cum ante eam cognitam nucinæ mensæ in pretio essent. At *lecti* apud Persium fortassis ne vere quidem citrei fuerint. Procedente luxu citrum dedignari coeperunt Romani, nisi pretiosius fieret, quam nasceretur. Itaque citri colore picta testudo secta. „Hæc prima origo luxuriæ, arborum alia integi, et viliores digno pretiosiores cortice fieri . . . Nec satis coepere tingi animalium cornua, dentes secari, lignumque ebore distingui, mox operiri.

Placuit deinde materiam et in mari quæri. Testudo in hoc secta. Nuperque portentosis ingeniis principatu Neronis inventum, ut pigmentis perderet se, plurisque veniret imitata lignum. Sic *lectis* pretia quæruntur; sic terebinthum vinci iubent; sic *citrum* pretiosius fieri; sic acer decipi. Modo luxuria non fuerat contenta ligno: iam lignum enim e testudine facit.“ Plin. H. N. 16, 43. Scilicet testudo, picta terebinthini ligni colore, terebinthum ipsam vincebat; eadem citri instar picta factitium erat citrum, vero pretiosius; sicque citrum fiebat pretiosius, quam nasceretur &c. Vid. etiam Seneca de Benef. 7, 9. Petron. 119. Martial. 9, 60, 9. 10.

53. 54. Locis Horatianis ab Heindorfio ad Sat. 2, 2, 23. citatis, in quibus verbo *ponere* notio apponendi tribuatur, addendus hic noster et 3, 111. 6, 23. Romæ olim in summis deliciis habitum erat *sumen* suis, „neque alio ex animali numerosior materia ganeæ.“ Plin. H. N. 8, 51. Hoc quo magis lacteum erat, eo amplius commendabatur. Martial. 13, 44. cf. 2, 37, 2. 7, 77, 3. Iuvenal. 11, 138. Genus aliquod farciminis fuisse videtur.

De cenis, seu sportulis cenarum loco acclamantibus datis, vestium largitione cet. Horatius: „Non ego ventosæ plebis suffragia venor Impensis cenarum et tritæ munere vestis.“ Ep. 1, 19, 37. et: „Si vero est, unctum recte qui ponere possit.“ A. P. 422. item Petronius: „Multo me turpior es tu, qui ut foris cenares,

poetam laudasti.“ Satyric. 10. Martialis itidem Epigr. 2, 27. Selium laudantem cenæ retia tendere infert, et cum effuse laudaverit, cenam illi iam factam, et 3, 50. Ligurino, qui convivas cogebat, ut putidos suos versiculos recitaret, minatur fore, ut solus domi cenet. Cenam, qua Pomponius suffragia et acclamationes acquirebat, „disertam“ idem dicit 6, 48. quemadmodum Iuvenalis 13, 32. sportulam „vocalem“ dixit, cum alias comites sine spe cenæ vel sportulæ obmutescerent. Recitaturo domestici aderant, prodeuntem comitabantur, ad plausum dispositi. Quod respicit Noster: *Scis comitem* &c. et Iuvenalis, qui 7, 43. poetam facit libertos suos in extremo audientium ordine sedentes habere, ut illi reliquos etiam intermedios ad plausum invitent, et „magnas comitum disponere voces.“ De his comitibus Plinius Ep. 2, 14. Vid. v. 15. et Heindorf ad Hor. Sat. 2, 5, 17. *Lacerna*, pallium laneum, apertum, quod ipsi quandoque togæ, et hac deposita loco ipsius togæ iniiciebatur tunicæ, nectebaturque fibula vel in humero, vel ad pectus, nativo lanæ colore, aut varia infectura. Prius vestimentum militare fuit, Græcis χλαμυς, μανυας et ἐφεστρις dictum. Usus eius, tantum militiæ et castrorum (Propert. 4, 3, 18.) Romanis ferme ignotus et probrosus, ætate Ciceronis (Or. Philip. 2, 30.) extremis reipublicæ temporibus iam in urbem irruperat. Toga alba, civibus olim necessaria, sub imperatoribus non nisi apud honestiores remansit. Augustus vestitum pristinum reducere statuens, „ne-

gotium Ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro circove, nisi positis lacernis togatum, consistere." Sueton. Aug. 40, 11. Hadrianus etiam „senatores et equites Romanos semper in publico togatos esse iussit, nisi a cena reverterentur." Spartianus in Hadr. Donatione igitur *lacernæ*, inferioris notæ vestimenti, et quidem *tritæ*, mens sordida et patroni et clientis perstringitur. Auget vim satiricam adiectum *horridulum*, quo homo designatur delicatus pariter atque inops, cultu suo tenui frigoris impatiens, se et laudem suam modico pretio vendens. Vid. ad h. l. Meister Letzte Studien p. 69.

55. Simulato veri amore, qualis ille Gallici apud Martialem 8, 76. et Pontici 5, 64. recitatores sententiam auditorum de suo ingenio et scriptis requirebant, ut laudis aliquid aucuparent. Verum ex altera parte ad amicitiam, quam Plutarchus sua ætate „voce valde exili ad liberas reprehensiones præditam, et loquacem in adulando, mutam in castigando" dicit *), nec ævo Persii videtur pertinuisse, verum dicere. Hoc scilicet ævum ita describit Seneca: „Non vides, quemadmodum illos in præceps agat exstincta libertas, et fides in obsequium servile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet, dissuadetque, sed adulandi certamen est, et unum amicorum omnium officium, una

*) — — ἡ φιλια ταυιν ἰσχνοφωνος γεγονεν ἐν τω παῤῥησιαζεσθαι, και το κολακευον ἀυτης λαλον ἐστι, το δε νουθετουν ἀναυδον. De capienda ex hostibus utilitate.

contentio, quis blandissime fallat.“ de Benef. 6, 30, 3. *Amo:* o finale verborum longum hoc loco, alibi breve, Nostro itaque commune est, ut omnibus inferioris ævi poetis, et ipsis Augusteæ ætatis, si gravioris argumenti poemata excipias, in quibus o producitur.

56. *Qui pote?* Servius ad Æn. 10, 481. hunc versum citat, *pote* et mage conferens, additis verbis: „propter metrum *pote* pro potis, quod adeo in usu venit, ut etiam in prosa inveniatur.“ *Vis dicam? nugaris.* Eiusdem tenoris ac illud Martialis 8, 76. „Vero verius ergo quid sit, audi: Verum, Gallice, non libenter audis.“ *Nugaris*, nugas i. e. nihil serii agis; laudem, non verum amas. Vulgaris idem verbi sensus Persii 5, 169. recurrit, a quo interpretes omnes recedunt explicando: Tu putidas et nullius pretii nugas et ineptias scribis.“ Inutile quidem poetandi studium patrono exprobrat Noster; non autem verbo *nugaris*, sed verbis sequentibus inest exprobratio. Nugas omnia, quibus sine incommodo carere possumus, dixerunt veteres, quin ipsa carmina, ut sua Catullus 1, 4. Horatius Ep. 1, 19, 42. Martialis 9, 1, 5. at quæ levioris essent momenti, ad lusum et iocum facta, non item putida et inepta. *Calve* ut ante *vetule* de poeta sene lasciviente v. 22. nomine per opprobrium a mimis tracto, „quod omnibus essent frustratui.“ Nonius. Caput nempe et faciem radebant mimici scurræ, ut essent ridiculosiores *). Recalva-

*) Inde ωμον ὁρας γαλαξον ex epigrammate Græco, et locus

stri etiam erant, auctore Festo, qui lenones agerent. Sunt, qui Neronem hac voce notatum existimant; at quæ de „calvo Nerone“ habent Iuvenalis 4, 38. et Ausonius in Cæsaribus, de Domitiano, Nerone altero, dicta sunt. Damus illis „ventrem veri Neronis projectum“ ex Suetonio Ner. 51, 1. ad versum sequentem trahendum.

57. *Aqualiculum* Turnebus in onomastico perantiquo Aureliani per ventriculum invenit explicatum, Adv. 28, 5. quo sensu et apud Senecam Ep. 90. reperitur. Proprie vas vel sentinam domus significat, in quam omnes sordes confluunt, unde per translationem pro enormi ventre helluonis, impuri et parum ingeniosi hominis, ponitur. cf. Barthii Adv. 51, 13. „Idem minus sollertes, quibus obesissimus venter.“ Plin. H. N. 11, 37. cui pervulgatæ sententiæ respondet senarius Græcus: παχεια γαστηρ λεπτον ου τικτει νουν. Lectionibus: „protenso“ (codd. Dresd. et Eliæ Vineti) atque „protento“, ut citant Grammatici apud Putschium, receptam *propenso* præferendam suadet cum auctoritas codicum, (Haunienses omnes ita legunt) tum simile loquendi genus Græcorum: γαστερες ἐκκρεμεις, γαστερες αἱ ἐξω κρεμανται. *Sesquipes* in proverbio videtur dictus de mensura æquo longiore. Ita „sesquipedalia verba“ Hor. A. P. 97.

Tertulliani de Spectaculis 23. „Placebit et ille, qui vultus suos novacula mutat? infidelis erga faciem suam, quam . . contumeliis alaparum obiicit?“

58. *O Iane:* „felix“ per ellipsin omissum. Ianus, sive naturæ illud symbolum cum Servio ad Virg. Æn. 6, 607. coll. Plin. H. N. 34, 7. fingamus quadrifrons, ut totius anni, in quatuor tempora divisi Deum, sive cum Hor. Sat. 2, 6, 20. (ad quem locum cf. Heindorfium) usitatiore forma bifrons, ut dominum diei, in quo ortus et occasus, oculos habuit et a fronte et a tergo, adeo ut in os laudantes cum a tergo ridere non ausi fuerint. „Stulta videt Ianus quæ post sua terga gerantur; Nil agis: en latebras respicit ille tuas.“ Ovid. Fast. 6, 125. Trium irrisionis generum, auctore vetere Scholiaste, primum erat, „manu significare *ciconiam.*“ Digitis scilicet omnibus collectis in unum, et ad ciconini colli similitudinem curvatis, inque eum directis, qui irridebatur, pinsentem rostro ciconiam frequenti motione exprimebant. Ita Hieronymus in prologo ad Sophoniam: „Qui si scirent . . . numquam post tergum meum manum incurvarent in ciconiam.“ Idemque Ep. 4. ad Rusticum Monachum: „Ne credas laudatoribus tuis . . si subito respexeris, ciconiarum deprehendes post te colla curvari.“ Quibus ex verbis cum Casaubonus ad h. l. argumentatur, ciconiam colli motu, non digitorum, exprimi solitam ab irridentibus, iure suo contradicit Ferrarius de Vet. Acclam. l. 2. eam enim, si utrumque locum contuleris, non motu colli expressam dixit Hieronymus, sed digitis, adinstar colli ciconini formatis et motis, exhibitam. Lectiones „pisat,“ „pisit,“ quarum utraque a Grammatico Diomede apud Putschium c.

570. citatur, ostendunt, veteris huius verbi apud Plinium et Varronem usitati formam fuisse piso, are 1 et ere 3. cf. K. L. Struve über die lat. Decl. u. Coni. p. 278.

59. Alterum sannæ genus veteri Scholiastæ est: „apposito temporibus pollice *auriculas* asininas significare". Apponebatur nimirum temporibus pollex, ceteri autem digiti ad auris asininæ similitudinem formabantur, ac subinde movebantur, quo stupidum et asinum ostenderent eum, qui irridebatur. Eandem sannam memorat Hieronymus in Epistola supra citata, cum verbis: „Si subito respexeris . . colla curvari" hæc addat: „aut manu auriculas agitari asini." Asinos irrisores esse, Marcilius proverbiis Græcorum: ὀνων ὑβριστοτερος, ὀνοι ὑβρισαι, ὀνοι καταγελωντες probare voluit; eos potius dixerim obiecta irrisionis, ut in fabula de Mida et satiricis descriptionibus Lucii Patrensis, Luciani et Apuleii. Mutationem Reizii et Nasseri *albas,* quæ vulgata codd. etiam Hauniensibus lectio, in „altas" non est quod admittamus. Auriculas asini introrsum plenas esse pilis albis, commentatores veteres, rerum naturalium studiosi, observarunt. Ita in transformatione Midæ aures asini „villis albentibus impleri" fingit Ovidius Metam. 11, 176. Bene Bondius: „Aures asini per synecdochen dicuntur *albæ,* sicut populus dicitur alba, cujus folia ex una parte album, ex altera viridem habent colorem." Verum illum alborem ignorant et Plinius et Buffon, qui asinum prolixe descripserunt. Liceat igitur citata loca

aliis illis annumerare, a Blumenbachio allatis, quibus efficitur, poetas veteres quandoque curatius, quam ipsos physicos, naturam perspexisse. *) Quæ quidem res si levior videtur, maioris certe momenti est, quod censor Ienensis, præeuntibus Heinsio et Burmanno, monuit, pro „imitata est“ legendum esse *imitari*, et hoc infinitivum cum *mobilis* copulandum, adeo ut sensus sit: „O Iane, quem nulla ciconia pinsit, nec manus pinsit, mobilis imitari (i. e. ad imitandas) auriculas albas.“ Lectionem viri illi eruditi optimis

*) Celeberrimus ille rerum naturalium investigator et conquisitor locum affert Metamorph. 6, 558. de excisa lingua Philomelæ trementc, et more mutilatæ cauda colubræ palpitante, quod contra interpretes de lingua vere dici, linguam bubulam recens præcisam experiundo ostendit. Citat idem descriptionem Homericam leonis irritati, latera et femora utrimque cauda verberantis, seque ipsum ad pugnam excitantis, Iliad. 20, 170. cui consentiunt verba Lucani de leone: „Mox ubi se sævæ stimulavit verbere caudæ.“ Phars. 1, 205. et docet, periculo ex mortua leæna facto, in pilis caudæ leoninæ spinam corneam latere; quo observatio Didymi, scholiastæ veteris Homerici, ab Eustathio repetita, verum a commentatoribus recentioribus explosa, de leone, cornea quadam spina sese irritante et ad pugnam stimulante, firmatur, et quæstio resolvitur, ab Alexandro Aphrodisiense, philosopho peripatetico in Problematibus proposita, cur cauda mota in leone et tauro sit index iræ, in ceteris animalibus blanditiæ. Vid. Specimen historiæ naturalis ab auctoribus classicis, præs. poetis illustratæ, eosque vicissim illustrantis.

membranis Leidensibus se debere, tradiderunt. Vid. Nic. Heinsii Advers. 1, 3. Burmanni Sylloge Epist. T. 4. p. 432. 434. et Ien. A. L. Z. 1822. n. 198. Si exceperis Casaubonum, qui supplemento parum idoneo: „ad quem irridendum" structuram verborum restituere conatus est, ceteri interpretes vulgatum textum ne corruptionis quidem suspectum habuisse videntur.

60. Tertium irrisionis genus veteri scholiastæ est: „*linguam sitientis canis* significare," quod Romanis usitatissimum fuisse, præter loca a Casaubono allata, etiam Plauti Mil. glor. 2, 1, 15. Iuvenal. 6, 305. Cic. de Oratore 2, 66. Gellii N. A. 18, 4. ostendunt. *Appulia* „siticulosa," Hor. Epod. 3, 16. cf. Sat. 1, 5, 78. Senec. Qv. Nat. 5, 17. Prima vocis syllaba a poetis geminato p. producitur; in prosa oratione corripi solet, v. Grut. p. 14. n. 12. p. 411. n. 1. p. 465. n. 5. „*Tantæ;* non aliter membranæ; puto tamen scripsisse Persium *tantum*, quæ lectio et elegantior longe est et planior; sic autem et quidam editi præferunt." Casaub. Suspicionem firmant membranæ in contentionem recentius vocatæ Gothana, Vinar. Tigur. Monach. duæ. Haun. quinque.

61. 62. „Qui, ut Ianus, in occipite oculos non habetis, date operam, ne deridcamini *postica sanna*, etsi vos tam prudentes esse debebatis, ut vel in occipitio quoque oculos habere crederemini, si quid saperetis." Turnebus. *Patricius sangvis;* ita Horatius:

„Pompilius sanguis," A. P. 292. *Sannæ* veteribus erant homines μωρολογοι et γελωτοποιοι, qui divitum mensas sectabantur, ridicularia quacumque occasione fundantes, et non solum dictis et salibus, sed etiam, immo facie magis quam facetiis ridiculi, rictu oris, labiorum ductu, totius vultus distorsione, corporisque motu atque gestu ridenda schemata monstrabant, aliorumque mores et gestus deridiculi gratia imitabantur; quales scurræ vel ludii Apinarii, qui sub Gallieno imperatore totum fabulæ Cyclopicæ argumentum peragebant, unde miranda quædam et stupenda eos monstravisse dicit Trebellius Pollio in Gallienis 8.

61–68. Transit Noster ad vulgaris iudicii adulationem et pravum sui temporis sensum æstheticum, omnia ad concinnitatem formæ poeticæ, lautam verborum pompam et mollem versuum iuncturam referentem; at indignatione pro more suo raptus in mediam rem, de accessu orationis seriei conveniente nil laborans.

63. 64. Pro *quis enim?* cod. Haun. sextus: „quid enim?" et septimus „quis nam?" pro *fluere* 5. 6. „effluere."

64. *Ut per leve severos effundat iunctura ungues.* cf. Hor. Sat. 1, 5, 32 et A. P. 294. quibus in locis interpretes antiqui, Porphyrion, Cruquius, al. ut et vetus Persii scholiastes cogitarunt de marmoribus affabre iunctis et perpolitis, quæ si pertententur unguibus accuratissime inquirentibus, hos transmittent, adeo ut

nulla iunctura sentiatur. Nec dissentiunt recentiorum sagacissimi: Passow ad nostrum locum, Fea, Heindorf et Doering ad l. cit. Hor. At dubium moverunt Winckelmann eiusque editores Meyer et Schulze (Werke, Vol. 5. Dresd. 1812. p. 586. Vol. 8. 1820. p. 372.) quos censor Hauniensis (Dansk Lit. Tidende 1824. p. 646.) secutus imaginem illam Horatianam retulit ad tabulas ceratas, in quibus veteres, quæ male scripsissent, stilo verso delebant, utque in melius refingerent, ungue levigabant.

65. *Scit tendere versum* &c. non secus ac faber lignarius, qui amussim extendit, et oculo uno, altero clauso (ut scilicet vis optica, in geminos oculos divisa, tota se in unum conferat) ad eam lignum exigit.

66. *Rubrica*, a minio rubente, quo amussis aut linea oblini solebat, ut discrimen faceret. Ut ad *unguem* Latinis frequens locutio de eo, quod exactissima cura elaboratum est, v. c. Hor. A. P. 293. Sat. 1, 5, 32. ita et Græcis ἐξονυχιζειν dicitur pro ἀκριβως ἐξεταζειν. De *rubrica* vel amussi itidem Homerus: Ξεσσε δ' ἐπισταμενως, και ἐπι σταθμην ἐθυνε, et alibi: Αλλ' ὡς τε σταθμη δουρυ νηϊον ἐξιθυνει Τεκτονος &c. *)

*) Sidonius Apollinaris cum Epist. 9, 7. Declamationes Remigii, Remorum episcopi, summis effert laudibus, Persii dicta fusius modo transscripsisse videtur; quem locum ex parte tantum a Casaubono allatum, iuvat integrum apponere, quod ipsum scribendi genus laudatoris, arte nimia laborans, rem a Nostro reprehensam velut oculis

67. 68. Codd. Haun. omnes: *et prandia.* Passow legit *an* pr. ob præcedens *sive*, cui aut aliud „sive", aut „an", præeunte Tacito Annal. 11, 26. 14, 59. coniungendum erat; verum ista emendatione, codicibus ignota, vix rem dubiam explanasse censendus est, cum „sive — an" soloecismus est Taciti minime commendandus (vid. Schelleri Præc. stili bene latini p. 765.) nec sententia eiusmodi ἀναντιποδοτος Latinis infrequens erat, v. c. apud Terentium Andr. 1, 2, 19. Eun. 2, 3, 20. et Tibulli 1, 6, 21. ubi „sive" et „seu" primo loco ponitur pro „si ve" o: „vel si", secundo coniunctio est mere expletiva, et tertio vim quidem habet disiunctivi, at membrum alterum menti poetæ, ad prius nnice attentæ, reservatur, quam omissionem lineola mentali (—) significare solemus. *Prandia regum* i. e. beatorum et potentium, qui Horatio aliquoties reges dicuntur: Sat. 1, 2, 85. 2, 2, 44.

---

conspiciendam præbet: „Structura fortis et firma, coniunctionumque perfacetarum nexa cæsuris insolubilibus; sed nec hinc minus lubrica et lævis, ac modis omnibus erotundata, quæque lectoris linguam inoffensam decenter expediat, ne salebrosas passa iuncturas, per cameram palatii volutata balbutiat. Tota denique liquida prorsus et ductilis, veluti cum crystallinas crustas, aut onychintinas non impacto digitus ungue perlabitur; quippe si nihil eum rimosis obicibus exceptum tenax fractura remoretur." Dolendum quidem foret, opus Remigii deperditum esse, nisi ista verborum lenocinia, quibus eum Sidonius permulcet, et fidem laudatoris et declamationum præstantiam suspectam redderent.

Epist. 1, 7, 37. A. P. 434. Sic et Noster, 3, 17. cf. Heinsdorf ad priorem Hor. locum cit. „Male plerique de Thyestis ac Terei tragicis epulis cogitant; nam quas nove dixit Sat. 5, 17. *mensæ Mycenæ*, huic loco, nullo præsertim epitheto adiuncto, obtrudendæ nondum erant.“ Orellius. Reizius et Passow, cum Prisciano versum citante, *dicere* et *res grandes* commate separant, quod, si simpliciorem sensum acceperis: sive opus sit o: ab illo institutum fuerit in vel adversus mores &c. vix textui vulgato præferendum. „Versabantur ineptissimorum poetarum carmina plerumque in omnibus luxuriæ instrumentis, vitæ elegantiis, epulisque lautissimis procerum describendis, hæque *res grandes*, ut putabant illi quidem, sententiarum tumore et verbis sonantibus distinguebantur.“ Kœnig.

Propius iam accedit Persius ad ipsa carminum sui temporis vitia describenda, et quidem v. 69–75. ad inanes tumores. Ad transitum molliorem faciendum bene supplet Kœnig: „Illam argumentorum vanitatem, ineptos tumores ac rerum grandium studium prope ab omnibus adamari, ne mireris: *ecce modo* &c.

69. *Heroas sensus*, argumenta gravissima, ab iis suscepta, qui Horatianæ obliti regulæ aureæ (A. P. 38.) ne humilibus quidem materiis dextere tractandis sufficerent. *Heroas*, enallage Græcis et Latinis poetis familiaris, qua duo substantiva ita iunguntur, ut alterum vim habeat adiectivi. Exempla Passow ad h. l.

attulit. Ipsum adiectivum „heroos“ codd. 1 Haun. et aliquot apud Achaintrium substituerunt. Ceteri Haun, *heroas.* Lectionem *videmus* collatione codicum recentiori, nostra etiam, firmatam, et a Reizio, Passowio et Orellio textui redditam, iam Casaubonus in vetustissimis libris invenit servatam.

70. „Iliadas scribit Nero et heroas effingit, qui ne cucurbitas quidem et communia illa ἐπεισοδια et pannos purpureos ponere et pingere potest, quæ possunt etiam illi, qui alia non possunt.“ Marcil. Hæc ridet Horatius A. P. 14. sq. *Artifices ponere* græcismis ante notatis annumerandum. *Ponere* familiare Latinis, ut τιθεναι Græcis de fictione. Hor. A. P. 34. Od. 4, 8, 7. Virg. Ecl. 5, 46. Haun. 2. 3. „lucos.“

71. *Rus saturum,* „omnes beati ruris copias“, quas Martialis 3, 47. ironice descripsit. *Corbes* ad „virgeam Celei vilemque supellectilem ruris divini“ Virg. Georg. 1. 165. sq. pertinebant. *)

*) Vasa de vimine facta, qualia *corbes,* cophini, Cereris utpote dona, Græcis et Romanis solemnia erant. vid. Servium ad h. l. Verum quærendum est, cur Iuvenalis 3, 14. 6, 541. Iudæos Romæ semper cophinos habuisse dicat in supellectile? Hallucinantur interpretes in re obscura explicanda, cui iam liber Philonis περι καρπαλλης εορτης, e bibliotheca Medicea Florentina nuper erutus, lucis aliquid affundere videtur. Inde discimus, Judæorum cuique ruricolarum cophinum, frugum primitiarum plenum, altari cum hymno apportandum fuisse. vid. Philonis Iudæi de cophini festo . . editore ac interprete Angelo Maio. Mediol. 1818.

72. *Focos.* „In medioque focos et Dis communibus aras parabant.“ Virg. Æn. 12, 118. ad quem locum Servius: „Quidquid ignem fovet, sive ara sit, sive aliud, focus vocatur.“ *Palilia,* sacra Palis Deæ. *Παλιλια, ἀγων, ὁι μεν τω Παλητι, ἐνιοι δε τω Πανι.* Hesychius. Describit prolixe Ovidius Fast. 4, 721. sq. Fiebant in agris 11 Cal. Maii seu 21 Aprilis, iuxta Calendarium, vel 12 Cal. seu 20 secundum Ovidium, quo die Romulus urbem fundasse existimabatur. Vellei. Paterc. 1, 8, 4. Ovid. Met. 14, 774. Propert. 4, 73. Pastor sub initium auroræ adolebat suffimentum e favilla vituli, sanguine equi et fabæ stramine, lustrabat pecus et stabula omnia aqua, incenso sulfure, admistis foliis lauri &c. quo pecora piari, morbos depelli et tabem putabant. Sacris exactis pastores aqua respergebantur, cenæ parabantur, quibus finitis sub noctem fœni et palearum accensi acervi certo ordine in loco plano collocabantur, quos transsiliebant, ut corpora sua expiarent. Inde Ovidius: „per ardentes stipulæ crepitantis acervos Traiicias celeri strenua membra pede.“ Fast. 4, 781. cfr. Tibul. 2, 5, 89. Propert. 4, 1, 19. De vario festi nomine adeundi Turnebus, Adv. 16, 12. 21, 3. Gyraldus, Opp. 1, p. 43 et 549. item Passowius ad locum Persii. In plerisque libris antiquis esse „parilia“, observavit Heinsius ad. Ov. Fast. 4, 721. et ad Plin. H. N. 18, 28. 19, 5. Harduinus, ubi vulgo „palilia“ et „palilicium“, in Mss. se legisse, ait, „parilia“ et „parilicium“ Codicum etiam Haun. tres legunt „parilia“, ceteri *palilia.*

Hinc vocem alii a Pale, pabuli Dea a rusticis culta, deducunt, alii a pariendo putant dici, quod sub parilicii sideris exortum cosmicum omnia parturire credebantur. Sit potius utrumque nomen unum idemque, variatum pronuntiatione eorum, qui Rho literam Græcam non efferre possent (ῥωβικοι dicebantur, ut Demosthenes Diog. Laert. 2, 108.) et λαβδακισμῳ vel λαμβδακισμῳ laborarent, quod λ substituerent τῳ ϱ, asperæ molliorem; de quo oris vitio Quinctilianus Inst. Or. 1, 11, 5. et Terentius Scaurus, Putsch. c. 2252." Cf. K. L. Schneider, Elementarlehre, B. 1. p. 299.

73. *Unde Remus* &c. Descriptiones poeticæ, quibus rerum levitatem versificatores iuvare studuerunt. *Remi*, rure nati, æque ac Cincinnati arantis, apta fit mentio; verum *sulco terens dentalia* plus habet artis quam elegantiæ. „Quinti" pro *Quincti* codices quidem omnes habent, at non in censum veniunt in scriptura, orta ex incuria orthographica, pronuntiationem molliorem sequente, qua c inter literam liquidam et t omittebatur. Græci item Κυΐντος et Κυϊντιλιος scribebant. Nummos et marmora, codicibus antiquiores, Quinctum, Quinctilium, Quinctilianum habere constat.

74. Legendum esse *quem . . dictaturam*, svadent codd. Haun. 4. 5. 6. 7. Luneb. Goth. Dresd. Norimb. Brem. Tig. Lips. Achaintr. &c. et ipsa lectionis concinnitas. Iure quidem suo Casaubonus: „Recte „cum," non ut alii „quem"; hoc enim vult, tunc ip-

sum arasse, cum advenerunt legati. Livius: „ibi ab legatis . . cum araret.“ At illi melior lectio *dictaturam* videtur fuisse ignota, cui, nisi *quem* præponatur, duram ellipsin „te“ adiungendam necesse est. Orellium, qui „dictaturam“ adoptavit, et „qvum“ retinuit, hac de re monuit censor Ienensis, *) imitationem afferens Sidonii Apollinaris 7, 384. „Sic quondam ad patriæ res fractas pauper arator, Cincinnate! venis, veterem cum te induit uxor Ante boves trabeam“ &c. *Trepida.* Livius 3, 26. „Togam propere e tugurio proferre uxorem Raciliam iubet“ &c.

75. *Lictor,* quem Cincinnatum, innixum aratro suo, in ipso opere deprehendisse dicit Florus 1, 11. „In vicinia Romæ, circiter ad primum milliare a porta del populo, etiamnum conspiciuntur rudera turris, nomine Quinctii Cincinnati Torre di Quinzio vocatæ, quod ille ager fuisse traditur, in quo Cincinnato aranti delata fuit dictatura.“ Friedländer Ansichten von Italien, Th. 2. Lips. 1820. p. 48, *Euge poeta!* Applaudit ita poetæ, grandia ista et sublimia invita Minerva aggredienti.

Pergit Noster in poetica vanitate describenda v. 76–84. ad nimium antiquitatis studium et inanem in captandis verbis priscis et dictionibus obsoletis affectationem, qua iuvenes, a puero usque ab ipsis patribus corrupti, vetustissimorum scriptorum vitia pro

*) Allg. Lit. Zeitung. 1823. April.

virtutibus æmulabantnr. Horatius quidem, nt h. l. Kœnig recte monet, non poetam improbavit, qui „Proferet in lucem speciosa vocabula rerum, Quæ, priscis memorata Catonibus atque Cethegis, Nunc situs informis premit et deserta vetustas," Ep. 2, 2, 11; nec inficiatur Quinctilianus Inst. Or. 1, 6, 39. „verba a vetustate repetita orationi maiestatem aliquam afferre, non sine delectatione, quod et auctoritatem antiquitatis habent, et, quia intermissa sunt, gratiam novitati similem parant"; verum addit: „opus est modo, ut neque crebra sint hæc, neque manifesta, quia nihil est odiosius affectatione, nec utique ab ultimis et iam obliteratis repetita temporibus" &c. Obsoletum dicendi genus isto tempore, ab ævo Persii non ita longe remoto, „assertores magnos habuisse," idem diserte dicit l. cit. Nec desunt alia recte iudicantium monita, v. c. Martial. 10, 21. 11, 91. Gellii N. A. 1, 10. Macrob. Saturn. 1, 5. Quinct. Inst. Or. Prooem. ad lib. 8. § 25. cf. Cic. de Oratore 1, 3.

76. *Brisæi.* Coniecturam Scoppæ „Briseis", feminæ Homericæ nomen, adoptavit Casaubonus ob eius casus, tragoediæ convenientes. Eum secuti sunt Reiz, Kœnig, Passow, Nasser, Orellius, quorum Passow emendationem potius excusavit quam defendit. Obstat, quod Accius nullibi referatur scripsisse tragoediam Briseidem, cum opera ipsius tragica circiter 50 a Cicerone, Macrobio, Prisciano &c. citentur, et quod vulgatæ lectionis, auctoritate codicum firmatæ, nulla opus sit emendatione. *Brisæi* vel Brisei (Brysæi

vel Brysei) est Bacchici et furentis, a Baccho, qui Brisæus, Græcis Βρισεύς, dicebatur e nomine Brisæ, nutricis Nymphæ, vel ex uva expressa (Brisa Columellæ 12, 39.) quam invenit, et quæ sunt ceteræ veteris Scholiastæ observationes etymologicæ. *Brisæus* vero epitheton est poetarum, qui in tutela Bacchi erant, et inflati numine „bacchari," sublime et obscure loqui dicebantur. Virg. Æn. 6, 78. Stat. Sylv. 2, 2, 257. Vide Censorem Ienensem A. L. Z. 1822. n. 198. E. G. Weber, cuius editio Persii (Lips. 1826.) dum observationes nostræ typis exscribuntur, modo huc advehitur, legit „Brysæi", cuius originem in Græco βρυειν, scatere, pullulare, plenum esse quærit. Prudens vocabulum insolens adhibuit Noster, obscuritatis affectationem notaturus. De nomine *Accii* varie scripto iam dictum est ad v. 50. „Attius" scribunt Hermann et Osann, Analect. p. 61. haud secus ac Passow h. l. „Accius" et „Attius" scriptum reperitur in lapidibus, vid. Collect. Pisaur. poet. lat. T. 4. p. LII. at vulgatam lectionem *Accî* codd. tantum non omnes exhibent. cf. K. L. Schneider, Elementarlehre, Abth. 1. p. 242. *Accius* huius loci diversus est ab ante dicto Iliadis insulso interprete; vellem etiam a L. Accio poeta, „qui in Camenarum æde maxima forma statuam sibi posuit, cum ipse brevis admodum esset": Plin. H. N. 34, 5. Egregius certe fuit poeta, dignus quem Cicero *) Or. pro Sextio 58. Horatius Sat. 1, 10, 53.

*) Locus qvidem est Cic. de legibus 1, 2. in qvo Atium

Ep. 2, 1, 55. Ovidius Amor. 1, 15, 19. Vell. Paterculus 2, 9. Quinctilianus Inst. 10, 1, 97. laudarent, et cuius carminibus Decius Brutus, vir literis satis eruditus (Cic. Brut. 28.) templorum et monumentorum suorum aditus exornaret. Cic. Or. pro Archia 11. Persius tamen clarissimi huius poetæ *librum* dicit *venosum*, i. e. deformem, cum „oratio, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venæ, nec ossa numerantur", ut dicit scriptor de Causis Corruptæ Eloquentiæ 21. Ei nimirum, æque ac Pacuvio, nitor ille orationis, quo venæ et ossa tegantur, summaque in excolendis operibus manus defuit, quem defectum Quinctilianus l. cit. temporibus magis quam ipsis tribuit, dum in utroque gravitatem sententiarum, pondus verborum et auctoritatem personarum laudat. Ipsum Pacuvium Accio asperitatem orationis obiecisse traditur. *)

---

loqvacitatis arguit; illum vero scriptorem alium fuisse, jam antiqviores critici suspicati sunt. Bayle (Hist. u. Krit. Wörterbuch. tit. Accius) „Atium" in „Attilium," et recentiores Ciceronis editores in „Macrum" emendatione mutarunt.

*) „Cum Pacuvius, inquiunt, grandi iam ætate et morbo corporis diutino affectus, Tarentum ex urbe Roma concessisset, Accius, tunc haud parvo iunior, proficiscens in Asiam, cum in oppidum venisset, divertit ad Pacuvium, comiterque invitatus, plusculisque ab eo diebus retentus, tragoediam suam, cui Atreus nomen est, desideranti legit. Tum Pacuvium dixisse ajunt, sonora quidem esse, quæ scripsisset, et grandia, sed videri ea

Satirici, cum obsoleta illustrium poetarum verba et imitatorum servum pecus explodant, rem ultra verum auxisse videntur, ut illud Martialis 11, 91. „Luceilei columella heic situ' Metrophanes't *) . . terrai frugiferai, Accius et quicquid Pacuviusque vomunt." Iam ad v. 1. observavimus, quod ad Persium attinet, eum imitatum esse Lucilium; hunc vero „in poematis Accii et Pacuvii obtrectandis clarum" olim fuisse, discimus ex Gellio N. A. 17, 21.

77. Sunt, *quos . . moretur.* Horatius scripturus fuisset „moratur" servato Græcorum antiquo indicativo post „sunt quos" et „quibus" (*εἰσιν ὃς τερπει*). Ita Od. 1, 1, 4. 21. 1, 7, 5. Sat. 2, 1, 1. cf. Heindorf ad Sat. 1, 4, 24. **) De *Pacuvio* supra dictum est.

---

tamen sibi duriora paullum et acerbiora. Ita est, inquit Accius, uti dicis, neque id sane me poenitet; meliora enim fore spero, quæ deinceps scribam; nam quod in pomis est, itidem esse aiunt in ingeniis: quæ dura et acerba nascuntur, post fiunt mitia et iucunda; sed quæ gignuntur statim victa et mollia, atque in principio sunt uvida, non matura mox fiunt, sed putria. Relinquendum igitur visum est in ingenio, quod dies atque ætas mitificet." Gellii N. A. 13, 2.

*) Pentametrum hunc Donatus ad Terent. Phorm. 2, 1, 57. ita citavit· „Lucili columella hic situs Metrophanes;" qui si verus sit, a Martiale depravatus videtur.

**) „Ubi *qui* indicat internum sententiarum nexum, sive caussa, sive finis, sive eventus significetur, coniunctivus ponatur necesse est; indicativus autem adhibetur,

Plerumque cum Accio, et non sine laude, citatur. De utroque Quinctilianus: „Virium Accio plus tribuitur, Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt.“ Inst. 10, 1, 97. et Horatius: „Ambi-

quando sententia additur, non pendens ab ea, quæ præcessit, neque cum ea necessario coniungenda, sed rem simpliciter indicans. Ut si dicas: „Fuerunt, qui dicerent“ quod nihil aliud est quam: Fuerunt homines eiusmodi s. tales, ut dicerent; ut adeo hoc ex illo consequi cogitetur tanquam effectus ex caussa, quæ quidem in eorum ingenio et moribus cernatur. Contra qui dicit: „Fuerunt, qui dicebant,“ is nil nisi rem factam esse affirmat, non facta significatione nexus illius interni, quo sententias copulare licet. Ex his autem sponte intelligitur, sæpenumero a scriptorum pendere arbitrio, coniunctivus an indicativus ponatur, neque hodie licere ubique certa manu restituere genuinam et ab ipsis scriptoribus profectam scripturam iis locis, in quibus codicum manu scriptorum magna est dissensio. Deinde vero etiam illud patet, non sine caussa idonea factum esse, ut poetæ indicativum præferrent coniunctivo. Nam poeseos est, sententias ita proponere, ut veluti ex ipsa rerum natura et humana vita repetita videantur. Eo enim fit, ut et clariores fiant et maiorem afferant delectationem. Subtilitatem autem illam, quæ est in sententiis logica ἀκριβείᾳ connectendis, etsi non negligit, tamen non ita sectatur, ut nolit vividiorem et iucundiorem dicendi rationem præferre. Quæ cum ita sint, temere profecto usum indicativi e sola imitatione poetarum Græcorum fluxisse arbitrantur, quæ nisi cum rei natura conveniret, ne locum quidem habere ullo modo posset.“ Ita bene hac in re G. Stallbaum ad Th. Ruddimanni Inst. Gram. Lat. II. p. 349. Lips. 1823. Cf. præter scriptores ab eo laudatos: C. G. Zumptium, Lat. Grammatik, Berol. 1824. p. 413.

gitur quoties, uter utro sit prior: aufert Pacuvius docti famam senis, Accius alti." Ep. 2, 1, 55. Tragoedias eius commemorat Medeam et Paullum Macrobius Saturn. 6, 1 et 5. Orestem, Pentheum et Hecubam Servius ad Æneid. 4 et 7. Teucrum Cicero de Oratore 1, 58. ubi „Teucrum Pacuvii ediscere" de re magni negotii dictum, tangere videtur verba poetæ sesquipedalia, memoriæ haud facile mandata, quorum unum Persius ex Antiopa retulit. Nepos erat Ennii, natus Brundusii, mortuusque est Tarenti, senex pene nonagenarius. *Verrucosa*, aspera, qualis verrucis tumida cutis. Lectio „varicosa" codicis Haun. 7. sensui quidem convenit, non metro.

78. *Antiopæ*, infinitis ærumnis vexatæ, longa est fabula, et rerum varietate ambigua apud poetas et mythologos: Hom. Odyss. 11, 259. Apollon. Rhod. 1, 735. 4, 1090. c. Schol. Pausan. 2, 6. 9, 17. Apollodor. 3, 5, 5. 3, 10, 1. Propert. 3, 14, 11. Hygin. fab. 7. 8. Suidas ad h. v. Antiopæ Euripidis supersunt fragmenta, a Barnesio et Musgravio collecta et a Valckenario Diatr. 7. 8. illustrata; verum Antiopæ Pacuvianæ, a Cicerone de Finibus 1, 2. laudatæ, nulla exstant vestigia. *Ærumnis cor luctificabile fulta*, græcum sermonem redolens, videtur de tragoedia transscriptum, *verrucosæ* orationis Pacuvianæ exemplum. Bene Bondius ad h. l. „*fulcire* est sustentare; ærumnæ autem non sustentant, sed potius deiiciunt; fit tamen aliquando, ut animus, miseriis diu assuefactus, iisdem sese quasi nutriat, fulciat et

sustentet. Ovid. lacrimæque per ora cadentes Sæpe meo fiunt lentus in ore cibus.“ Et Turnebus: „Pulvino solemus nos fulcire, cum sedemus, et cervicali caput, cum cubamus. At vero Antiopa, cuius cor tot angebant ærumnæ et miseriis obsessum cingebant, fultum habere his cor dicitur, velut nixum et incumbens iis: metaphora non audaci tantum, sed prope temeraria et absurda, sed de industria affectata ad Accii (Pacuvii) similitudinem et exemplum, qui irridetur.“ Adv. 28, 26. Irrisionem tamen cacozeliæ tantum voci isti magnificæ *luctificabile* inesse, Passow qua solet subtilitate observavit, cum sermonis insolentia ceteroquin ab ingenio Persii non sit aliena. *)

79. Cod. Haun. tertius: „Hos monitus patres pueris.“ Ceteri vulgatum et meliorem numerum sequuntur. *Monitus* scilicet, ut dictiones a vetustate repetitas sectentur, pueris ipsi parentes inculcant. „Sicut omnia, spes quoque suas ambitioni donant . . et eloquentiam (pravam) pueris induunt adhuc nascen-

*) Ne vero in irrisum Pacuvium inique statuamus, poetæ, quod temporum est, tribuentes, epigramma, quod ipse sibi posuit, cum prope nonagenarius Tarenti diem obiret Olympiade secundum Eusebium 157. huic sit apponendum, non quidem archaismo carens, sed verecundiæ plenum et, ut ait Gellius, elegantissima eius gravitate dignum: „Adolescens, tamen etsi properas, hoc te saxum rogat, utei ad se aspicias, deinde quod scriptu'st legas: Hic sunt poetæ Marcei Pacuvici sita ossa. Hoc volebam, nescius ne esses. Vale.“ Gell. N. A. 1, 24.

tibus.“ Petron. c. 4. *Lippos*, dixit sicut 2, 72. 5, 77. et Horatius Sat. 1, 1, 120. 1, 3, 25. Lippitudo vulgare vitium est hominibus, qui libidinibus indulgent. Vulgare inprimis vitium fuisse Romæ habitantibus, locus ostendere videtur Hor. Sat. 1, 7, 3. ubi *lippi* dicuntur, qui in tonstrinis et medicinis (medicorum tabernis, Plaut. Amphitr. 4, 1, 3.) otiosi considere et res rumoribus frequentatas fabulis celebrare solebant. Ceterum hanc lippitudinis criminationem non ea severitate urgendam esse, qua Bentleius ad loca Hor. cit. rem tractavit, vel ex eo liquet, quod Horatius se lippum ipse dixerit Sat. 1, 5, 30 et 49. Nec obscurum est, *lippos* et nostro loco et Hor. 1, 3, 25. de cæcis dici sensu morali.

80. *Sartago*, patella, in qua friguntur obsonia et pulmenta, quorum ob ingratum in frictu stridorem („sartago a strepitu soni vocata,“ Isidor. Orig. 20, 8.) bene quidem exprimit confusum et dissonum sermonis genus, ubi nova cum veteribus, obsoleta cum usitatis ridicule commisceantur.

81. *Linguas*, communem hominum sermonem et consuetudinem. Ita sui sæculi corruptelam loquendi queritur Hieronymus: „Rogo, quæ sunt hæc portenta verborum, quod dedecus descriptionis?“ in Iovianum l. 1. et sæculi sequentis itidem Sidonius Apollinaris: „Unde nobis illud loquendi tetricum genus ac perantiquum? Unde illa verba Saliaria, vel Sibyllina, vel Sabinis abusque Curibus accita, quæ magistris ple-

rumque reticentibus promptius Fecialis aliquis, aut Flamen, aut veternosus legalium quæstionum ænigmatista patefecerit? Nos opuscula sermone edidimus arido, exili, certe maxima ex parte vulgato, cuius hinc honor rarus, quod frequens usus. Hinc difficilis gratia, quia facilis inventio." Ep. 8, 16.

82. *Trossuli* equites dicti, „quod oppidum Tuscorum Trossulum sine ope peditum ceperint." Festus. Cf. Plin. H. N. 33, 2. § 9. ad quem locum Harduinus: „Manent etiamnum loci vestigia, vulgo Trosso, vicinaque fossa il vado di Trosso, duobus passuum millibus a Monte Fiascone." Sed Trossulorum nomen pro equitibus non diu post Gracchum (circa annum U. C. 630) mansisse, addit ibidem Plinius. Iam enim tum pudebat multos isthoc nomine appellari, propter ambiguitatem vocis, quæ illo tempore etiam pro iuvene comto, comato, unguentato, nitide vestito, adeoque delicato ac molli accipiebatur, a græco vocabulo τρυσσοι, quod notat delicatos et mollitie infames, nostros „Elegans." Hoc sensu Seneca: „Quid ergo? idem faciam, quod Trossuli et iuvenes?" Ep. 76, 1. et: „O quam cuperem, illi (Catoni Censorio) nunc occurrere aliquem ex his Trossulis in via divitibus, cursores et Numidas (servos in itinere ipsos comitantes) et multum ante se pulveris agentem!" Ep. 87, 8. Eosdem „nardo nitidos" dixit Varro. *Levis*, glaber et politus, vel adhuc imberbis. Iuvenal. 3, 111. 9, 95. Trossulum *exsultantem* non cum Kœnigio oratorem vehementer se iactantem, sed auditorem immodeste

acclamantem intelligo. Reprehendit Quinctilianus istam puerorum „exsultandi in laudando licentiam,“ qua „proni atque succincti ad omnem clausulam (finem periodi) non exsurgunt modo, verum etiam excurrunt, et cum indecora „exsultatione“ conclamant.“ Inst. 2, 2, 9. et 12. *) *Subsellia* vide supra ad v. 17. „Scamna“ vocat Sidonius Apollinaris, et „crepitantis Athenæi subsellia cuneata.“ Ep. 9, 14.

Quantam illa assentionis popularis captatio ante dicta vim habeat non modo ad poesin, sed vitam etiam civilem corrumpendam et salutem publicam perdendam, iam v. 83. sq. ostenditur. Caussidicus sistitur senex, ipse reus, de fama periclitans, qui in caussa sua defendenda argumenta, verbis simplicibus proponenda, negligit, dum ad orationis figuras decurrit, audientium aucupans acclamationes.

83. *Nilne pudet* &c. Ita Quinctilianus Inst. 4, 2, 122. „in ipsa capitis aut fortunarum pericula irrupisse voluptatem,“ suo tempore queritur, cum olim

*) Quin etiam viri auctoritate conspicui quandoque modum in laudando excedebant. Ipsum consulem, virum gravem, repente a sede sua prosiluisse, purpuream togam excussisse, et iuvenis in morem Proæresium dicentem plausu excepisse, Eunapius in Iuliani vita retulit. Hæc ad τα κενα της ἀκροασεως pertinebant, quæ Plutarchus τα παθηματα των παροντων dixit: de Auditione c. 5. Huc quoque spectant verba Plinii Ep. 9, 34. „Puto me non minus male saltare, quam legere.“

„omnis ad utilitatem potius quam ad ostentationem componebatur oratio, et erant adhuc iudicia severiora.“*) Quam ostentationem declamatoriam ait 4, 3, 2. „in forum venisse, postquam agere caussas non ad utilitatem litigatorum, sed ad patronorum iactationem repertum est.“ Caussidicos, quibus moris est, ut paullo ante dicit idem, „prolato rerum ordine, in aliquem lætum et plausibilem locum, quam maxime possint favorabiliter, excurrere,“ carpunt Martialis 6, 19. et Petronius Satyric. ab initio. *Capiti cano*, cui per se miserabili defendendo nulla opus erat verborum et figurarum sollicita cura. *Και γαρ πολια τα λεγοντος . . συνεκπληττει τον απειρον ακροατην και νεον.* Plutarch. de Auditione c. 5.

84. Codd. Haun. 2. 4. 6. „trepidum“; ceteri *tepidum*, quod significanter et ironice dictum de assentione frigidula, et adiectum τω *Decenter* (vid. v. 49.) remissæ et minus effusæ laudis formulæ, quæ acrioris studii acclamationibus: *Euge* et *Belle* opponitur.

85. *Pedio* antiquiores interpretes significari putant Pedium Blæsum, sub Nerone senatu motum, accusantibus Cyrenensibus, violatum ab eo thesaurum Æsculapii, delectumque militare pretio et ambitione corruptum. Tac. Ann. 14, 18. „Cui cum crimen

*) Quantopere iudicia Romana, olim severa, iam multo ante tempora Quinctiliani in peius ruerint, Macrobius Saturn. 2, 12. terrimo ostendit exemplo.

obiectum esset furti, non se fortiter respondendo purgavit, sed ex compositione versuum favorem quærebat, figuris dictionum serviens, securus criminum diversorum.“ Vet. Schol. ad hunc locum Persii. Eundem Pedium, imperante Nerone condemnatum, sub Othone in integrum restitutum esse, Tacitus Hist. 1, 77. retulit. Quam restitutionem, cum anno post obitum Persii octavo inciderit, ab eo hoc loco et voce sequ. *laudari* haud significatam esse, bene observavit Passow. Nonne vero respicere potuerit ad putidam illam orationem Pedii, suo tempore habitam et omnibus notam, quæ quidem oratori non absolutionem, at pro genio istius sæculi laudem multorum audientium conciliaverit? Si quis Pedium pro mali cuiuscumque oratoris exemplo sumptum esse maluerit, imitatione loci Hor. Sat. 1, 10, 28. concedat tamen necesse est Marcilio, Casaubono, Bondio aliisque, respectum Pedii Blæsi orationis seriei optime convenire, cum Persius hic et in sequentibus oratorem non aliter alloquitur, quam si suam ipse caussam ageret. Qui *fur es* interpretantur: „fur est ille, pro quo dicis,“ provocantes ad patronorum morem, alienas caussas sic tueri ut suas, verbis certe Persii videntur sensum inferre alienum. Codd. Haun. 2. 4. 6. „carmina“; ceteri *crimina*. *Rasis* de structuris lapidum sumptum. vid. Quinct. Inst. 8, 6, 63.

86. *Librare* Iuvenali est „torquere curtum sermone rotatum enthymema.“ Sat. 6, 448. De *antithetis* vid. Quinct. Inst. 9, 3. Ex opere hoc bonæ fru-

gis pleno de abusu sententiarum apud Romanos loca attulit Casaubonus 1, 8, 9. 8, 5, 7. et 13. quibus adde 7, 1, 44. 11, 1, 52. 12, 10, 72. *Doctas* Scaliger mutatum voluit in „doctus," ad formam Græcam Hor. Sat. 1, 10, 19. et Iuvenal. 1, 56. Persio nec insuetam 5, 15. Quam emendationem sequitur Monti, at codd. nostri omnes improbant.

87. *Laudatur* vid. v. 85. *Bellum hoc! Bellum est?* et „Bellum hoc! Hoc bellum?" „Bellum hoc! Bellum hoc?" „Bellum est! Hoc bellum?" varie legitur; nostram vero lectionem codd. omnes Haun. et 7 apud Passowium tenent. *Romuli* nomine utebantur Romani in eos, quos significare volebant dissimillimos esse Romuli, multumque ab illius præstanti virtute *) abesse, inprimis molles, effeminatos, einædos. Ita Catullus: „Cinæde, Romule, hæc videbis et feres?" 29, 5. Idem sensus est verbi sequentis *cevere*, quod proprie de canibus, clunes adulando agitantibus, dicitur, ut Græcorum κερκω σαινειν, cauda blandiri **); unde in utroque sermone de iis, qui spe commodi cuipiam adulantur, et de obsceno clunium motu, significatione Martiali 3, 95, 13. et

*) „Romulus nobis in primo genere ponatur, cuius vita virlutes nunquam deseruit, semper exercuit." Macrob. Somn. Scip. 2, 17.

**) Ita Aristophanes: Ὡς κερκω σαινων, ὁποταν δειπνης ἐπιτηρων. Equit. Pro eodem frequenter usurpat ἀικαλλειν, quod etiam canum est.

Iuvenali 2, 21. 9, 40. usitato. *) Hoc vero loco non de cinædo, sed de Romano auditore, se abiiciente et canis instar blandiente, cogitandum esse, bene monuit Passow.

Redit Persius v. 88–91 ad poesin, quam non in arte solum positam esse docet, transitu in antecedentibus ita præparato: Ut oratio Pedii iam dicti, rhetoricis ineptiis ornata et fictum modo prodens dolorem, non nisi insipidos movet auditores, ita poesis, operosæ meditationis foetus, nec ab intimis mentis sensibus profecta, non magis scite iudicantes commovebit, quam me naufragus, calamitatem suam vultu hilari cantans, adducet, ut stipem ipsi porrigam.

88. *Men' moveat* scilicet naufragus? „Commoveaturne quisquam eius fortuna, quem tumidum, ac sui iactantem, et ambitiosum institorem eloquentiæ in ancipiti sorte videat? Non; immo oderit reum verba aucupantem, et anxium de fama ingenii, et cui esse

*) De hoc verbo Valerius Probus apud Putschium c. 1484. „E literæ ante vo positæ verbum tertiæ correptæ repperi vi faciens in specie perfecta, cevo, cevis, cevi. Persius tempore futuro: *an Romule ceves?* Significat autem cum turpitudine cedere, vel turpiter incurvari. Primæ coniugationis verbum, e ante vo habens, non inveni.“ Paullo tamen ante c. 1482. hoc verbum tertiæ coni. adcensuit. Secundam vero coniugationem loca vindicant: Plaut. Pseud. 3, 2, 75. „ceveto simul,“ si vera sit lectio e Nonio correcta; Iuvenal. 9, 40. „Computat ac cevet.“ cf. K. L. Struve über die lat. Decl. u. Conj. p. 221.

diserto vacet." Quinct. Inst. 11, 1, 50. *Quippe* ironice, ut „scilicet", „vero" &c. quarum particularum usum in ironia vide apud Schellerum Præc. stili b. lat. 1, 2, 15. et Passowium ad h. l. *Et cantet si naufr.* Cod. Haun. septimus: „et si cantet n." Solebant naufragi pictam in tabella tempestatem circumferre, et obvios miserabili illa pictura et lamentabili voce ad stipem sibi erogandam impellere, quam tabellam, Deo cuipiam liberatori promissam, votivam appellabant, et cum descriptione periculi in templo Neptuni, Æsculapii, quin etiam Isidis (Iuvenal. 12, 27.) ponebant. Ita „mersa rate naufragus assem rogat, et picta se tempestate tuetur" Iuvenal. 14, 301. cf. 12, 27. Hor. Od. 1, 5, 13. A. P. 20. Virg. Æn. 12, 766. sq. Respicitur ad consuetudinis abusum, quo mendicantes quandoque naufragium mentiti fuerint, vel ad hilarem quorundam vere naufragorum vultum et cantum, calamitatis suæ dolorem nec prodentem nec excitantem. *As*, nummus æneus, cum primum introduceretur, non exigua stips erat, valoris scilicet unciarum 12; procedente vero tempore, et quidem bellorum Punicorum ævo, multum ei derogatum erat, donec cum Republica tandem abolesceret. Heic pro levidensi numulo ponitur.

89. *Cantas cum* &c. „An cantas, cum sis vere naufragus?" Cantus pro lætitiæ indicio sumitur.

90. *Verum nec nocte paratum*, naturali et simplici, nec operose elaborata et lucernam olente ora-

tione. *Το ἀληθες και το ἁπλουν* idem esse, dicit Socrates in Cratylo Platonis, et Seneca, Tragicum aliquem *) citans: „Veritatis simplex oratio.“ Ep. 49. cf. Hor. A. P. 96 - 106. et 451.

91. *Qui me volet incurvasse querela*, ad deiectum hominem sublevandum et erigendum inflectere. Metaphora ab onere humeris sublato, cuius pondus portantem incurvat, desumpta. Tempore perfecto pro præsente dixit Persius, tamquam de re plane perfecta, ut Horatius: „Si curat cor spectantis tetigisse querela.“ A. P. 98. Perfecto scilicet Latinorum ad Aor. 1. Græcorum accommodato.

Pravum etiam formæ poeticæ studium, quo nimiam mollis soni et effeminatæ verborum concinnitatis, nullam subiectæ sententiæ et argumenti vere poetici rationem habeant, sequens perstringit locus v. 92 - 106. difficillimus, cum exemplis ex ignotis poetarum eius ævi libris depromptis, tum dialogo, quo Persius sæculi sui genium secum disceptantem induxit. In illo dialogo disponendo quantus sit interpretum dissensus, vel ex eorum, quos inspicere mihi licuit, recensione patebit. **) In personis iam disponendis sequimur Passowium.

---

*) Euripides est ille Tragicus, cuius hæc in Phoenissis: *Απλες ὁ μυθος της ἀληθειας ἐφυ, Κ'ε ποικιλων δειτ' ἀνδιχ ἑρμηνευματων. Εχει γαρ ἀυτη καιρον: ὁ δε ἀδικος λογος Νοσων ἐν ἀυτοι φαρμακων δειται σοφων.*

*) Murmellius et Fülleborn tribuunt Persio v. 92 - 95. Monitori 96. P. 97. M. 98. P. 99 - 106. Bondius M. 92. P.

92-95. Verba sunt interpellatoris sive monitoris, qui versus numerose et concinne, ex artis lege elaboratos aliquid valere existimat, et in his quid ars possit, exemplis ostendit. *Numerus* „spatio temporum constat et est dimensio vocum, ῥυθμὸς Græci dicunt.“ Quinct. Inst. Or. 9, 4, 45 et 54. Hinc Virgilius: „Numeros memini, si verba tenerem.“ Ecl. 9, 45. Ut Persius: *numeris decor est*, ita Quinctilianus l. cit. et § 145. „compositionis decor“ dixit. *Iunctura*,

93-95. M. 96-98. P. 99-106. Marcilius M. 92-97. P. 98-106. Casaubonus, Schrevelius, Monti et Achaintre M. 92. P. 93-95. M. 96. P. 97. M. 98. P. 99-106. Breitinger M. 92. P. 93-95. M. 96. 97. P. 98-106. Koenig M. 92-96. P. 97-106. Sinner et Nasser M. 92-97. P. 98. M. 99-102. P. 103-106. Passow M. 92-95. P. 96. 97. M. 98-102. P. 103-106. Herder M. 92. P. 93-106. Wagner P. 92-95. M. 96. 97. P. 98-106. Weber M. 92. 93. P. 94. 95. M. 96. P. 97. M. 98. &c. Reizius et Orellius nulla dialogi signa apposuerunt. „Quid enim,“ ita hic de illo: „si sagacissimo illi critico suboluerit, neminem hic cum Persio disceptantem induci, sed Nostrum ista secum volvere, ita ut ipse per ludicrum quædam sibi obiiciat, vicissimque elevet, donec erumpat liberrima indignatio in illa v. 103: *Hæc fierent?*“ Verum illa agitatio mentis in utramque partem versæ, quædam sibi obiicientis, vicissimque elevantis, revera est animi secum disceptantis; in qua disceptatione interpellator obloquens, ut in hac satira solitum, diversam a Persio personam tuetur. Dum sententiam suæ contrariam Noster proponit, inducit re ipsa obloquentem illam personam, quæ, si ab auctore non aperte inducta fuerit, certe a commentatoribus erit inducenda, ut ambiguitas loquentium quodammodo tollatur.

syllabarum, verborum, membrorum concinna combinatio. Quinct. 9, 4, 22. 27. 32. 43. Hor. A. P. 242. *Addita* simpliciter pro „data“, ut Latinis sæpius. ;,Abdita“, priscis libris Turnebi (Adv. 28, 26.) uti et nostris improbata lectio. *Crudis*, a numeris disiungendum, substantive positum est pro membris, verbis, pedibus crudis, ut „de medio sumpta“ Hor. l. c. Metaphora, a fructibus immaturis incoctisque repetita, opponitur verbis, rebusque meditatione et compositione decoctis, quo sensu Persius v. 125. et Quinctilianus 2, 4, 7. Cum Meistero *) sic interpungo: *Sed numeris decor est; et iunctura, addita crudis, Claudere sic didicit versum:* quo *iunctura* sententiæ sequentis sit subiectum, et dura τὸ *didicit*, absolute sumpti, ellipsis evitetur. *Claudere versum* dicitur in genere de pangendo versu, Hor. Sat. 1, 4, 40. inprimis hexametro, 1, 10, 59. 2, 1, 28. cf. formulas Ciceronianas: „oratio conclusa,“ Orator c. 5. „claudere orationem,“ c. 51. „claudere numero sententias“ c. 68. et „concludere sententias“ c. 69. quibus in locis de numerosa verborum compositione agitur, non vero dicitur de clausula solum hexametrica, nedum de rhythmica, qua binorum versuum ultimæ, vel eiusdem versus binæ syllabæ similiter cadunt. Græcis dicitur ὁμοιοπτωτον et ὁμοιοτελευτον. Qui, præeuntibus Scaligero et Casaubono, in citatis versuum

*) Comment. Soc. philol. Lips. ed. a. C. D. Beckio. Vol. 2. p. 103.

fragmentis tales rhythmi minutias, quales Att*in* — Del*phin*, long*o* — Apennin*o* quæsiverunt, has syllabas, non acutas, inter homoeoteleuta rhythmica perperam retulisse videntur. *) Satis habemus, exempla

*) Ut altera etiam pars hac in re audiatur, vid. quæ de Homoeoteleutis Græcorum et Latinorum versibus erudite scripsit B. Thorlacius noster, proludendo ad annivers. solennia Univ. Haun. 1818. Homoeoteleuta carmina, ait, æque antiqua esse, ac ipsam poesin, eorumque vestigia apud nullam non gentem reperiri; Græcos etiam et Romanos hoc carminis artificium ignorasse minus, quam repudiasse; sed vulgatum apud gentes recentiores huius rhythmi usum a corruptæ latinitatis sæc. IV–VI ævo præcipue incepisse, indeque ad plerasque linguas Europæas transiisse; si quæritur, quid Græci Latinique de homoeoteleutis vere iudicaverint, haud sufficere, versus quosdam, quos incuria forte fudit, allegare, qualis v. c. est ille Homericus: *Ἐκ γαρ Ὀρεσφω τισις ἐσσεται Ἀτρειδαω*, aut Horatianum: „Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto, Et quocumque velint, animum auditoris agunto," quippe talia humana natura haud facile cavet; sed eiusmodi versus anquirendos esse, in quibus credi queat auctor dedita opera vocabula in eosdem sonos sive in fine, sive in medio cadentia adhibuisse; tales esse Theocr. Idyl. XI. 22. 23. quorum unus in *ἐχῃ με*, alter in *ἀνῃ με* exeat, et nostrum locum Persii, cuius nexum ita intelligit: „Ad antithetorum commentum accessit nova rhythmi elegantia similem vocabulorum in fine versuum sonum sectans. Exempla præbet Neronis fabula Attis seu Bacchis dicta, ubi præter stolidum dictionis tumorem homoeoteleuta illa *Attin* et *Delphin* in continuis, *bombis — corumbis*, *superbo — echo* in alternis versibus, atque homoeoptota *longo — Apennino* in eadem linea, occurrunt. Enervata hacce versificatione Apennino (ut

versuum, qui sonitu molli aures complent, h. l. proposita esse. Ad quem sonitum faciet lectio *didicit versum*, a Passowio adscita, et codd. non solum ipsius, sc. Luneb. Goth. Dresd. Norimb. et Monach. sed et

habet idem Nero) costa velut subducta o: masculæ Latinorum poesi suum robur ademtum est. Ad molles istos Neronianos lepores comparata Æneidos maiestas, spuma scilicet atque ariditas, qualis est prisci suberis, videbitur! In Bacchide contra quam tenera omnia, quam mollia! At enimvero ferri talia non possent, nisi omnis virilitas evanuisset; nam versus adeo molles in labiis facile nascuntur, nec multo sudore auctori constant." Existimat nimirum, Neronem, qui concinnus poeta salutari gestiebat, et cuius hæc in Senecæ Nat. Quæst. 1, 5. adfertur lincola: „Colla Cytheriacæ splendent agitata columbæ," et homocoptota et homocoteleuta suis poematiis ceu singulare ornamentum intexuisse; Neronem, de quo Dio Cassius: ἐκιθαρῳδησαν Ἄττινα ἢ Βακχας, unam fabulam, utroque titulo insignitam, scripsisse, atque in loco Persiano non nisi de uno poemate sermonem esse statuit. Ceterum, quod a subtili Viri iudicio sperandum foret, haud negat, esse in homocoteleutis tinnitum, puerile quid sapientem, quod rudes incultasque magis, quam politas nationes decere videatur, et exactum illum atque arbitrio omni exemtum Græcorum et Romanorum in versibus numerum habere aliquid, quod cordatioribus semper probari debeat. Idem fatetur, illi, qui linguam suam bene tractare semel didicerit, versus in eundem sonum exeuntis finem longe minus negotii facessere, quam exactam illam diligentiam, qua Græci et Romani singulorum pedum, singularum literarum et syllabarum modos metiebantur. Hoc duntaxat contendit, Græcis Latinisque id rhythmi genus, quod eosdem in versuum vel continuorum vel alternantium fine sonos adoptat, haud ig-

Haun. nostris omnibus firmata, quod spondæus pedis tertii dactylum sequentem et volubilem versus finem elevat. Huc etiam pertinet molle sonans *Atys*, in textum Passowii non sine auctoritate *) receptum, cuius

notum fuisse, sed illos, exactiorem pedum syllabarumque numerum amantes, istam soni paritatem, ceu mollem et inanem tinnitum, plerumque sprevisse.

Vellem, ut versuum ὁμοιοτελευτων exemplum Vir Cl. e loco Persiano non desumpsisset, quandoquidem syllabis heic in eundem sonum recidentibus tonus non adest, exitus ergo similes, auribus vix percipiendi, nullum rhythmum efficere possunt, et hinc illi non magis, quam Ovidianus: „Nec numeros Danai militis; ipse veni," vel hoc „Instant officio nomina bina tuo" Heroid. 8, 24. 30. ad homoeoteleuta rhythmica referendi sunt. Eos certe versibus, quos incuria fudit, potius annumeraverim, quam citatum Horatii: „Non satis . . sunto . . agunto." Ceterum iterationem ejusdem literæ, syllabæ, vocabuli, et inde natam consonantiam, soni item variationem, quippe naturæ convenientem, Græcis et Romanis poetis et oratoribus non omnino displicuisse, constat. Sint vero sonantia, quæ allegantur exempla, quale illud Græcum in programmate citatum, cui addiderim ex Homero: Il. 2, 220. 475. 484. 3, 84. 5, 239. 529. 6, 252. 233 &c. et pulcherrimam næniam Theocriti v. 9. Idyll. 24. Nec desunt exempla alliterationis et assonantiæ (sit venia verbis) apud Romanos, v. c. Virg. Æn. 3, 549. 12, 373. Propert. 1, 8, 11. 1, 17, 5. Ovid. Heroid. 8, 29. A. Am. 1, 59. Fast. 3, 746. Metamorph. 13, 379. quamvis illam ejusdem verbi et soni assiduitatem fugiendam statuerint. Vide scriptorem Rhet. ad Herennium 4, 12. 20. 21. 22.

*) „Nostrorum plerique *Atyn* dicunt, ut Catullus et Persius, aliique fere omnes." Gyraldus Opp. T. 1. p. 140. Ca-

priorem syllabam producendam ostendit versus Ovid. Metamorph. 10, 104. Quinctilianus, cum de numero et iunctura etiam disputat, videtur ipsum Persii locum respexisse: „Est in eo quoque non nihil, quod hic singulis verbis bini pedes continentur, quod etiam in carminibus est permolle, nec solum ubi quinæ syllabæ nectuntur, ut in his: Fortissima Tyndaridarum, sed etiam ubi quaternæ, cum versus cluditur Apennino et Armentis et Orione.“ Inst. Or. 9, 4, 65. Phrygem *Atyn*, forma egregia pastorem, casto sibi amore devinxerat Cybele, *Berecyntia* dicta, unde et illi nomen, a monte Phrygico, cultus Deæ sede primaria. Fabulæ variæ sunt narrationes Catull. 62. Ovid. Fast. 4, 223. Pausan. 7, 17. quarum Servii ad Virg. Æn. 9, 116. antiquiore traditione niti videtur. Macrobio Atys, Osiris, Adonis, Apollo iidem sunt, solem hiemalem adumbrantes. Saturn. 1, 21. Cybeli in picturis turrigeræ, tympano instructæ, iugo leonum vectæ, iungitur Atys, tympanum item gestans, nixus trunco arboris, cui insidet columba. Zoega Bassirilievi di Roma T. 1. tab. 13. quæ apud Creuzerum, Symbolik, est tab. 2. n. 2. *Et: qui* &c. Exemplum secundum hexametricæ suavitatis, quæ in bucolica cæsura et binis, qui sequuntur, pedibus posita fuisse

---

tullus sc. 63, 1. 27. 32. 45. Nec aliter Martialis 10, 4, 3. Servio ad Virg. Æn. 7, 762. 9, 117. numen matri Deum coniunctum *Atys* scribitur. Codd. Haun. 3. 4. *atys*, et 2. 5. 6. *athis* scriptum exhibent.

videtur. Spectatur forsan fabula de Arione, quem delphin, nando secans mare, ad litus transvexit. Hygin. Fab. 194. Serv. ad Virg. Ecl. 8, 55. *Sic: costam* &c. Tertium exemplum, quo versus spondaici tarditate longa itineris mora et lata montium Apenninorum porrectio significabitur. Ipse versus obscurus est, et affectata laborat metaphora, sive *costam* pro latere Apennini, sive pro parte navis ut 6, 31. sumpseris. *Et* et *sic* verba sunt monitoris, qui exemplis e carminibus sui temporis desumptis versus sonoros laudat. *Apennino* vulg. Codd. etiam Appenino et Apenino. Posterius forsan rectius, quod bis legitur in monumento vetere apud Gruterum p. 204. l. 18. ubi quidem nonnullæ, non vero omnes voces consonantibus geminatis carent more antiquo *). Cum illa lectione facit Peninus, verum montis nomen, ut ostendit Drakenb. ad Liv. 21, 38. extr. Duas priores syllabas poetæ semper producunt. v. K. L. Schneider Formenlehre p. 423.

Ut vero interpretum plurimi versus 93–95. tamquam non cohærentes distinxerint, non tamen defuerunt, qui eos coniungi debere, adeoque particulas *Et, Sic* ad ipsos versus laudatos pertinere censerent. Meisterus ita loco e Comment. Lips. cit. versus, ex uno incerti scriptoris carmine desumptos, potuisse continuos in illo legi existimat. Locum coniicit agere de

*) v. c. tereis, iusit, posidet pro terr. iuss. poss.

maritimo itinere e Liguria ad Etruriam, aut contra, facto, iuxta oram ad latus Apennini, quo itinere effectum fuerit, ut molestius iter trans Apenninum devitaretur. Hoc iter potuisse cum itinere Attidis comparari, de quo Catullus 62. Fortassis ipsos, de quibus poeta canit, nautas fuisse ex ordine sacerdotum Cybeles sive Gallorum. Delphinem autem non Arionis illum cogitandum esse, sed alium, quem Attis sive Bacchus produxerit. Ovid. Metam. 13. Sententiam igitur plenam esse: „Mare secuimus, ut Attis patronus noster, ut Delphin, quem Sebazius noster (Bacchus Phrygius) produxit, atque ita longo Apennini dorso costam (partem) eripuimus.“ Versus nectendos itidem censet Io. Iac. Breitinger. *) Respici existimat ad fabulas Attidis et Arionis, de quibus Apuleius 6. „Credimus etiam exemplo tuæ veritatis, et Phryxum arieti supernatasse, et Arionem Delphinum gubernasse.“ Se incidisse ait in exemplum Persianarum satirarum, cuius margini vir subacti ingenii et multiiugæ eruditionis Vadianus **) ad v. 95. sequentia annotavit:

*) Diatribe in versus obscurissimos a Persio Sat. 1. citatos. Tiguri 1723. 8.

**) Ioach. Vadianus, medicus Helvetius, qui sub initium sæc. 16. in Pomponium Melam et in librum Plinii 2 commentarios scripsit. Epistolam eius ad Rud. Agricolam laudavit Passowius, Pomponianæ editioni insertam, in qua commemorat exemplar Satirarum Persii ms. codicem bibliothecæ Prædicatorum Viennensium antiquissimum, legentem: *Sic os tam longo* &c.

„Tres manu exarati codd. quos consului, in hunc modum legunt: „Sic os tam longo subduximus Apennino.“ quo viso subiisse, mss. illos codices continuis iunctisque literis ita scriptos fuisse: Sicostam, et forte legendum: Sic nos tam longo &c. Explicuit ergo: Berecyntius (Phrygius) Attis et Delphinus, animata Arionis navis, ut cæruleum Nerea (mare) dirimebant, sic nos tam longo Apennino subduximus. Codd. Haun. omnes vulgatam tenent lectionem: *Sic costam.*

96. 97. Verba sunt Persii, unde patet, quid de laudatis versibus statuat. Meister interpungit: *Arma virum! nonne hoc spumosum? et cortice pingui? Ut ramale vetus, prægrandi subere coctum!* et hanc proponit interpretationem: „Persius, qui ad illa exempla novæ versuum iuncturæ respicit, ita quærit: nonne tales versiculi leviter, spumæ et corticis instar, fluunt? Ut id magis lepidum reddatur, iurat per Virgilii carmen. Tum ab eo respondetur: recte, ita leves sunt versus, ut vetus ramus &c.“ Solebant veteres libros notissimos primis eorum verbis designare, quod maxime Æneidos initio: *Arma virumque* accidit, v. Ovid. Trist. 2, 554. Auson. Epigr. 129. et epitaphia in ed. Virgilii Heyn. *) Est

*) Adde Martial. 8, 56, 19. et Kœnigii observationem: „Ad rem supra omnem modum augendam pro veteribus poetis ponitur Virgilius, artifex in versuum structura summus, cui tamen censuræ livor non pepercit. Ovid. Remed. Am. 367.“ Eis scilicet, qui leves tantum numeros mollemque verborum iuncturam sectabantur, mascula Musa Virgilii displicuit.

igitur exclamatio Persii asseverans *Arma virum!* atque ex grammaticis quoque legibus et loquendi usu hæc verba possunt accipi. *Hoc*, quod sequitur, non ad Æneidem, sed ad fragmentum proxime præcedens pertinet, quod cum unum sit, Singularis, non Pluralis, a poeta adhibitus est. *) Imagines in illis interrogationibus adhibitæ nec sublimitatem, nec tumorem sententiarum verborumve indicant. Poeta constituerat de levitate et mollitie novæ versuum iuncturæ, quæ laudabatur, dicere; addito v. 96. idem versiculos illos ironice laudat, deinde ironiam convertit in acerbissimam censuram. Ambigua illa levitatis laus optime exprimitur imaginibus spumæ et corticis. *Spumosum*, verborum vana species; *cortex pinguis*, levitas inanimatæ dictionis, quod sequente imagine, petita e ramo grandis suberis annoso, cuius medulla exaruit et humores vitales calore solis dissipati sunt, uberius illustratur. Ex adiectis facile patebit, Persium hæc ne ironice quidem de Æneide dicere potuisse,

*) *Hoc* non de fragmento tantum, sed etiam de fragmentis dictum, concedit stilus bene latinus, qui, cum de pluribus collective dicit, Singularem pro Plurali adhibet. Verum *hoc* Orellius ab *Arma virum* nullo modo divelli posse existimat. Nescio quam ob caussam. Si illud *Arm. vir.* asseveranter positum cogitaverit, vix negabit, *hoc* ad versus præcedentes æque referri posse in textu, ac in exacta illa translatione Passowiana: Waffen und Held! Das wäre nicht Schaum nur und windiger Bombast, Aehnlich dem dorrenden Ast, in lästiger Rinde vergohren?

cum illa ironia contorta foret et inepta. Qui vituperationem ironicam Virgilii tuebantur, locum de duritie et asperitate stili poetici exponebant*), neque poterant aliter exponere, si, quod numerosæ laudatorum versuum levitati sit contrarium, esset servandum; sed notiones duritiei et asperitatis non *spumæ, cortici* et *veteri* exsiccatoque *ramali*, levitatis et inanitatis imaginibus, certe non ut propriæ, et in hac orationis serie, insunt. Ea ergo videtur esse necessitas τὸ *hoc* ab *Arma virum* divellendi et ad versus ante citatos referendi, ut alioqui locus respondenti Persio tribui non potuerit. Sin vero tribuendus esset hic locus Monitori, tamquam Æneidos non ironica censura, eo, quod bene monuit Passowius, ambiguitas circa rem reprehensam verbis satis claris inferretur, simplicis etiam orationis tenor turbaretur, accedente ad ideam putidi sensus nova illa arrogantiæ, et in sequentibus novum denique grandiusque laudatæ iuncturæ exemplum temere citandum fuisset, ante propositis non refutatis. Casaubono quidem Monitor non Virgilium reprehendere videtur, sed caussam suam eius auctoritate defendere, et animi sui sensa sic eloqui, ut verbis tamen utatur ex mente Persii, quod a simplici interpretatione quantum recedat, per se manifestum est. De *cortice* exteriore *suberis*, statis temporibus detrahendo, vid.

*) Ita Nasser: Arma virum, ists nicht so rauh dagegen, wie Knastholz, Oder ein alternder Ast des weit sich verbreitenden Korkbaums?

Theophrasti Hist. Plant. 3, 16. Plin. H. N. 16, 8. De lectione „vegrandi“ adeatur Passowius ad h. l. cui adde, quod verba Gellii N. A. 5, 12. de *ve* particula minuendæ et in peius mutandæ rei in vegrandi, vesco, vesano &c. confirmentur locis: Ovid. Fast. 3, 445. et Am. Marcell. 17, 10. cf. Ol. Borrichium Antiqu. Urbis Rom. Facies 10, 8. et Heindorfium ad Hor. Sat. 1, 2, 129. Verum sequimur Codd. Haun. et vetustissimum Pithoei, qui cum Servio (ad Æn. 11, 555.) et editionibus antiquis legunt *prægrandi*. *Coctum* Servio ibidem antiquum est, quod „multi temporis aliquid coctum vocamus.“

98–102. Monitor denegatum sibi assensum ægre ferens, novum et grandius promit exemplum. *Tenerum*, molli numero insigne, referas sis ad *legendum;* nam ex recitatione et applausu inde quærendo pretium poematis homines eius temporis statuerunt. Est illa „tenera et delicata modulandi voluptas,“ de qua Quinctilianus Inst. Or. 9, 4, 31. „Minurire“ dicit Tornorupæus ad h. l. Huc etiam pertinebat, *laxa cervice* legere, capitis motu numerum versuum prosequi. Cum Meister et Kœnig *laxam cervicem* gestum a Seneca Ep. 114. improbatum dicunt, nescio an sensum alienum loco inferant, in quo non de vitio gestus, sed de obscura dictione Mæcenatis, cuius verba citantur, sermo esse videtur. Loca magis idonea sunt Quinct. Inst. Or. 1, 11, 9. 4, 2, 39. 11, 3, 82 et 180.

Exemplum, quod sequitur, postremum et primarium, cuius ope interpellator, ceteris a poeta adversario reiectis, caussam numerosæ suæ iuncturæ sperat demum obtinere, eximie lectum esse, complectique quidquid et ars melica ad aures delicatas mulcendas, et color poeticus ad phantasiam movendam valeat, vix aliquis Passowio non concedet. Pingitur solemnis pompa actus Baccheii. Insonant Mænades; exultat Deus, qui Pentheum, sibi infensum, ab attonita matre pro vitulo discerptum videt, dum Edonidum alia floreis catenis monstra silvestria domat, Echo multisonam iterante scenam. Verum enimvero effectus huiusmodi carminis solummodo momentaneus est. Laborat vitio inanitatis, quæ tanto fastidiosior, quanto maior poetici coloris intemperantia et imaginum confusa varietas. Formam spectavit, ad eam omnia retulit ille poeta, nulla rei habita ratione. Accedit, quod citati versus, e carmine aliquo tunc temporis notissimo desumpti, totum illud carmen et scriptorem in memoriam coævis revocaverint, quo illis multo facilior, quam nobis, fieret huius rei diiudicatio. Vide Passowium.*) *Mimalloneis.* „Polyæn. 4, 1. de Bac-

*) „Persii ætate pervenit (sic) corrupti generis oratio, et in quædam vitia inclinatio ingeniorum facta est: viguit et inflata explicatio, et infracta in morem cantici ducta. Quorundam non erat compositio, modulatio erat, sententiæ nimis dulces, quæ in vanum exeunt et sine effectu, nihil amplius quam sonant. Alii audaces sensus, fidemque egressos, portentosissimæ orationis delicias captarunt.

chis, quae sub virorum specie exterruerunt Taulantios in Macedoniam irrumpentes: *τας παρθενους, ας παλαι Κλωδωνας ἐκληζον οἱ Μακεδονες, Ἀργαιους κληζειν ἐλιξε δια την μιμησιν των ἀνδρων Μιμαλλονας.*" Orellius. Imitatio virorum, qua virgines Macedonum nomen Mimallonum sibi meruerunt, hæc erat: Appropinquantibus hostibus e montibus descendebant magno numero, thyrsosque pro hastis vibrabant, et sertis faciem obumbrabant. Galaurus, rex Taulantiorum, perterrebatur, viros esse virgines e longinquo existimans, et receptui signum dabat. Tum Argæus, rex Macedonum, sine prœlio victoriam adeptus, templum ædificavit Baccho Pseudanori, quasi dicas: virili specie decipienti. Polyæn. l. c. Ad coniecturam Casauboni, quod Persius versum Catulli 64, 264. imitatus sit, respicit Breitinger *) et legit: *Torva*

Hos Persius multo sale defricuit in sua satira, versus etiam aliquot eius generis citans, quos tanquam ventosæ loquacitatis specimen ridet." Breitinger Diatr. cit.

*) „Non meas, sed doctissimi viri, mihi coniunctissimi Casp. Hagenbuchii animadversiones proferam, quas in quadam ad me epistola exposuit: Expressum, inquit, hoc est e Catullo, ut Casaubonus iam monuit. Catulli versum illum restituit ex Mediolanensi exemplari Is. Vossius hunc in modum: Multi raucisonos efflebant cornua bombos. Ante erat: efflabant. Cornua i. e. per cornua. Efflebant, quia flebilis cornuum sonus quoad homines, sed et bruta. Hinc quia Nero expressit, videndum, si non et in Persio legendum: *Torva mimalloneos efflerunt cornua bombos.* „Efflerunt" eo sensu inusitatius,

mimalloneos efflerunt cornua bombos, quod explicat: flebili sono festisque bombis implerunt æra. Codd. omnes Haun. vulgatam lectionem sequuntur. *Bombus* proprie de apibus, ut diximus ad v. 49. sed et de sono instrumentorum, ut vidimus apud Catullum. „Inflatur tibia bombis.“ Diomedes apud Putschium. *Caput raptum* Penthei, Echionis ex Agave filii, qui cum sacra Bacchi Thebis, sede regni sui, diffusa inhibere voluit, numinis ira a matre, Baccharum duce, lacĕratus est. Apollodor 3, 5, 2. Ovid. Metam. 3, 513. 712. Pausan. 2, 2. Hygin. Fab. 184. Pro *raptum* codd. Haun. 2. 4. 5. 6. et Wimariensis apud Weberum: „sectum.“ „Ut tautologia verborum *raptum — ablatura* tolleretur, proposuit vir doctus in Ephem. Heidelberg. „allatura,“ non cogitans, versus poetæ citari, qui non ipsam sententiam verborum, sed potius tumorem et inanem orationis ornatum spectaverit.“

---

unde in notius: *implerunt* abiit. *Mimalloneos bombos* pro auferendi casu; ita et in Catullo διττογραφια nunc „raucisonos bombos,“ nunc „raucisonis bombis“ habet. Quin et Scaliger ita invenerit suo in libro oportet, citat enim in Catull. p. 102. ed. Grævii: Torva mimalloneos implerunt cornua bombos. Hæc ille. Passeratius etiam ad Catulli citatum locum Persii hunc versum ita legit: Torva mimalloneis inflarunt cornua bombis. Et certe duplex ille amicissimi viri coniectura non est præter viam. Prætulerim ego mimalloneos bombos. Suspicor enim, temere hæc auferendi casu mimalloneis bombis reddita esse, ut versui illi alteri, qui in corymbis terminatur, responderet.“

Weber. *Vitulus* matri furore baccheio correptæ visus est filius, cf. Catul. 64, 258. sed aper Ovid. l. c. et leo apud Euripidem in Bacchis. *Superbo*, sacra Dei aspernanti. „Ex omnibus unus Contemptor superum Pentheus.“ Metamorph. 3, 515. *Bassaris*, Baccha, cognomen Bacchi apud Thraces et Lydos, sermone et cultu cognatos. Ducunt illud Grammatici Græci a genere vestis, ad talos demissæ, Bassara vel Bassaris, pellibus vulpinis succedente, qua Bacchum eiusque ministras indui docent nummi. *Βασσαραι, χιτωνες, ἐς ἐφορον δι Θρακιαι Βακχαι.* Hesych. Vid. Creuzer, Symbolik. 3, 362. *Mænas*, Baccha, a *μαινεσθαι*. Furor Mænadum describitur Ovid. Met. 11, 22. 3, 715. *Lynces* Baccho sacras (Metamorph. 15, 413.) et currum eius trahentes, Bacchæ, ipso magistro (Hor. Od. 2, 19.) regebant *corymbis*, hederis, racemis. His frons eius redimita erat. Tibull. 1, 8, 45. unde „corymbifer“ dicitur Ovid. Fast. 1, 393. Baccham lynces racemis flectentem monstrant Peintures d'Herc. T. 3. pl. 17. *Evion*, Evohe, Bacche pater! *ἐυοι, ἐυοε* clamabant, quod ab *ἐυ ὀι* ortum cognomen Baccho dedit. vid. Passow. „Euchion“ codd. Haun. 2. 6. 7. librariorum incuriæ tribuendum, ut Euhius, Euhyus, Euhyius, quæ apud Sidonium Apoll. et Arnobium inveniuntur. Locus a Passowio germanice redditus ad rem illustrandam apprime faciet: Mimallonische Wuth füllt schmetternd die Donnerposaunen, Bassaris schwinget das Haupt, so dem fürstlichen Kalb sie geraubt hat, Lüchse regiert die Mænade mit Blumen-

gewinden, und jubelnd Schallet ihr bacchischer Ruf, nachhallt die Erneuerin Echo. *)

Vetus Scholiastes citatos versus, et 93–95 et 99–102 Neronis esse dicit. Consentientes dictum repetunt interpretum plurimi, aliique in quæstionem incidentes: Britannicus, Murmellius, I. Bapt. Plautius, Casaubonus, Marcilius, Ios. I. Scaliger, Schrevelius, Boileau (Discours sur la Satire) Spanhemius (Les Cesars de l'Empereur Iulien) Herder (Sämmtl. Werke Th. 11.) Thorlacius noster, ut ante vidimus, cet. Traditioni primus renitebatur Badius Ascensius, qui sæc. 15 et 16. scriptores classicos et quidem commentarium in Sat. 1. Persii Lugd. 1511 edidit. „Adducuntur," ait, „quædam fragmenta carminum, in quibus nimis fucus est, quæ cuius fuerint, non constat, sed

*) Tres alias translationes, quæ ceteris meliores videntur, hicic iuvat apponere: Herder: Mimallonischer Hall und Schall erfüllet die Hörner. Bassaris fasset das Haupt des stolzen Kalbes in Wuthkraft, Ab es zu reissen. Die Mænas, lenkend die Lüchse mit Epheu, Schreiet: Evô! und es hallt die wiederbringliche Echo. Nasser: Mimallonisch Getös ertönt aus den schmetternden Hörnern; Bassaris, ietzt das Haupt des vermessenen Kalbes ergreifend, Und die Mænade, den Luchs fortleitend mit schlanken Korymben, Evion, Evion schrein sie, und Evion wirbelt der Nachhall. Meister: Die Bacchantin erfüllt mit orgischen Tönen die Hörner, Wüthet umher nach dem Kopf des maiestätischen Kalbes, Spielt um die Tyger mit Epheu, verdoppelt ihr Bacchus! und fernher Hallest du wieder, erstattliche Nymphe des Schalles!

arbitrantur plurimi, Neronis esse, quod mihi non vero simile videtur, quia si consilio Cornuti hemistichion illud: *Auriculas asini Mida rex habet* mutavit dicens: *quis non habet?* in quo tamen non aperte Neronem taxasset, quanto magis hos versiculos, si Neronis essent, sustulisset?“ Bayle (Hist. u. crit. Wörterbuch, tit. Persius) hos versus Neroni temere suppositos contendens, eodem utitur argumento, de quo vid. ad v. 121. Ita etiam Breitinger et Meister, interpretum turbæ contradicentes. Scaliger, cum scilicet probatum iret, Neronem scriptorem esse tragoediarum, attulit locum Dionis Cassii 61, 21. in quo Nero, in theatrum habitu citharœdi prodiens, dicitur cecinisse Attinem quendam vel Bacchas, κιθαρῳδησε τε Ἄττιν τινα ἢ Βακχας. Quibus verbis Bayle et Breitinger Neronis tragoedias non dictas respondent, cumque solummodo cithara cecinisse, non scripsisse. Meister item, Neronem musicum potius, quam poetam egisse; eum, auctore Dione, extremo anno 59 nostræ æræ Attinem decantasse; Persium autem, iam anno 62 mortuum, primam satiram non postremis vitæ annis scripsisse; itaque tum, cum hanc Persius componeret, Neronem nondum illud poema decantasse. Passowius, qui mediam partem sequitur, negat, ex Dionis loco effici posse, Neronem non scriptorem fuisse, et tempus scriptionis Sat. 1. ita posse definiri. Est etiam in argumentis Baylii, quod in tragœdiis, ad quas Atys et Bacchæ pertinere videntur, nullus hexametris sit locus; ad quod Passow, sumptum esse ex hypothesi,

quod Atys et Bacchæ tragœdiæ fuerint, et versus e carmine alieno desumptos quandoque formæ et metri aliqua mutatione citari. Breitinger argumentum aliud pro Nerone allatum tangit, quod nimirum omnes eius, qui supersunt, versus sint rhythmici, quales et illi a Persio citati. „Si illos," inquit, „excipias, vix duos in antiquis scriptoribus reperias, quos Neronis esse constet: Penes Senecam: Alioquin, ut ait Nero Cæsar disertissime: Colla cytheriacæ splendent agitata columbæ. Alterum apud Suetonium in Lucani poetæ vita: Sub terris tonuisse puto. Sed et apud alios poetastros, qui verborum iuncturam unice curant, sensum negligunt, huius furfuris rhythmos reperias. Qui ergo sequitur, hos versus Neronis esse, et non alius poetæ?" Alia denique est obiectio Meisteri, quod Scholiastes fragmentum v. 99. perperam dixerit e Niobe Neronis desumptum esse*), cum quæ apud Persium sequuntur, doceant, e Bacchantibus esse. Cui regerit Passow, poetam phantasiæ plenum, qualem fragmentorum novimus scriptorem, multa in poemate suo potuisse tractare, de quibus nos ex mero titulo non liceat suspicari. Meister itaque versus citatos Neroni denegat. Itidem Orellius his verbis: „Versus Neronis sunt. Schol. Equidem hoc constanter negabo." Breitinger, in contrarias partes disputans, non omnino negat. „Fortassis," ait, „Neroni tribuendi hi versus;

*) In editione Eliæ Vineti Santonis hoc a vetere Scholiaste dictum non reperio.

etenim nil obstat . . Fortassis nobilis cuiusdam et potentis Romani δαιμονιοφυὲς foetus est. Videtur Persius id ipsum indigitare v. 107–110. Hoc certe ex his versibus licet colligere, tangi aliquem maiorum Persio coævorum. Sed quam maxime ad hanc proclivis est animus coniecturam: Persium nimirum versus istos mutuasse ex aliqua tragœdia (quid si dicamus ex ipsa illa, cuius Dio mentionem iniicit?) quam Nero cantavit, non composuit. Tragœdias enim cantavit personatus; heroum Deorumque item heroidum et Dearum personis, effictis ad similitudinem oris sui et feminæ, prout quamque diligeret. Inter cetera cantavit Canacen parturientem, Orestem matricidam, Oedipodem excæcatum, Herculem insanum."

Neronem autem non solum versus decantasse, sed etiam fecisse, certum est. Eum quidem cum Ger. Io. Vossio non egregium poetam dixerimus, sed poetam vulgari vocis sensu. *) Utique Tacitus de Nerone poeta Annal. 14, 16. eum, ait, ne ludicræ tantum artes notescerent, carminum quoque studium affectasse, contractis, quibus aliqua pangendi facultas, eos

*) Verba Vossii in libro de Vet. Poet. temporibus hæc sunt: „In Neronis temporibus ex deperditis ipse est Nero, qui non laudem modo poeseos affectavit, ut velle videntur Persius, Tacitus ac Suetonius, sed egregius omnino poeta fuit, ut non modo Senecæ ac Martialis iudicium est, sed pauxilli versus indicio sunt, is, quem Seneca laudat, et quos Persius ridet, suis meliores; atque alii apud Grammaticos."

consedisse simul, et allatos, vel ibidem repertos versus connexuisse, atque ipsius verba, quoquomodo prolata, supplevisse, quod species ipsa carminum doceret, non impetu et instinctu, nec ore uno fluens. Et 13, 3. cum aliquando carminibus pangendis inesse sibi elementa doctrinæ ostendisse. Item Suetonius Ner. 10. eum recitasse carmina, non modo domi, sed in theatro, tanta universorum lætitia, ut ob recitationem supplicatio decreta sit, eamque partem carminum aureis literis Iovi Capitolino dicatam; ibid. 52. ad poeticam pronum carmina libenter et sine labore composuisse, nec, ut quidam putant, aliena pro suis edidisse. Addit: „Venere in manus meas pugillares libellique cum quibusdam notissimis versibus, ipsius chirographo scriptis, ut facile appareret, non translatos, aut dictante aliquo exceptos, sed plane quasi a cogitante atque generante exaratos: ita multa et delcta et inducta et superscripta inerant.“ Conf. c. 12. de carminis latini corona ipsi in certamine concessa; Tac. Annal. 15, 49. de Nerone, Lucani æmulo, et probroso eius in Quinctianum carmine; Sueton. Domit. 1. de ipsius poemate eiusdem, ut videtur, generis in Clodium Pollionem; Plin. Ep. 5, 3. ubi Romanis, qui versus scriberent, annumeratur; item Plin. mai. H. N. 37, 3. § 12. Martial. 8, 70, 8. 9, 27, 9. Præter duo Neronianorum carminum fragmenta ante dicta superest, quod Scholiastes ad Lucan. 3, 261. oblivioni eripuit, cursum Tigridis ita describens: „Quique pererratam subductus Persida Tigris Deserit,

et longo terrarum tractus hiatu, Reddit quæsitas iam non quærentibus undas."

Passowio igitur assentiendum videtur, cum hac in controversia postulat, aut probandum esse, quod Nero versus a Persio citatos nullo modo scribere potuerit, aut Scholiastæ veteri, qui versus illos Neroni tribuit, fidem habendam. Prius numquam probari posse, testimoniis iam allâtis satis superque evincitur. Neroni aliquam facultatem poeticam, eamque non inexercitatam, fuisse vidimus, quam molli versuum formæ et numerosæ structuræ totam, nec sine affectatione, deditam fuisse, ipsa eius carminum fragmenta docent. Posterius ergo sumendum tamquam concessum, ut sit nomen aliquod, auctoritate firmatum, quod teneatur. Hanc vero auctoritatem impugnavit Breitinger, obiiciens, non constare sibi veterem Scholiasten, qui cum ita habeat ad v. 93. „et dicit hos versus Neronis in hæc nomina desinentes," et ad v. 99. „hi versus Neronis sunt, et huic sunt compositi," adiicit loco primo: „hi versus exempli caussa proferuntur, non autem sunt Persii, sed poetæ nescio cuius græcissantis," et loco secundo: „ipse autem Persius finxit hos versus vel, ut alii dicunt, in aliorum imitationem, quorum scripta sonum grandem habent, sensum nullum." Quæ quidem male sibi congruunt, sed a librariis et editoribus, non ab ipso Scholiaste profecta. Nimirum Cornuto, quo, ut videtur, fictitio ad nos venit nomine, accidit, quod Asconio Pediano, Donato, Servio, Luct. Placido aliisque interpretibus antiquis:

imperitos nactus est librarios, nec defuerunt, qui plurima infercirent, inprimis illi, quibus scholiorum enarratio, pro vetusto more forsan breviuscula, non sufficiebat, atque ita non pauca interiecerunt et sua et aliena, doctorum hominum indoctorumque animadversiones. Quo non magis unius Cornuti videtur, quem habemus in Persium, commentarius, quam unius Donati, qui huius nomine prostat in Terentium, adeo ut multis nos fallant locis, nisi cum iudicio legamus. Vid. præfat. Eliæ Vineti Sant. in Cornuti comment.

105–106. Verba Persii indignationis plena. Cum eum „recens lascivia, deliciæque et omnia ad voluptatem multitudinis imperitæ composita“ non delectant, Monitorem, ut suos Quinctilianus Inst. Or. 10, 1, 43 sq. remittit ad „naturalem veterum eloquentiam et robur viris dignum.“ *Si .. in nobis*, ut Quinct. 1, 10, 51. „si quid in nobis virilis roboris manebat,“ et Hor. Epod. 15, 12. „si quid in Flacco viri est.“ Metaphora a *testiculis* desumpta significans est, quamvis obscena videatur: virtutis antiquæ igniculi, naturæ melioris semina in nobis pericrunt. Similiter Philo de spec. legibus: „effeminati corpore atque animo, ne scintillam quidem retinentes generis masculi.“*) *Delumbe*, solutum et enerve. Veterum gravitatem et rerum pondus cum inani recentiorum loquacitate poe-

*) τας τε ψυχας και τα σωματα διαῤῥευσι; μηδεν ἐμπυρευμα της ἀῤῥενος γενεας ἐωντες ἐποτιφεθαι.

tica et affectata recitatione comparans, non una tantum imagine utitur. *Summa saliva* &c. „Si viriliter pronuntiarent, non primore lingua et labris verba effeminarent molliter expressa, et in summa natantia saliva, quæ in primam usque linguam exuberat illuc permanans, sed medio ore firmam conciperent et robustam vocem, non fractam et enervem delumbarent.“ Turnebus Adv. 10, 1. *Natat in labris* &c. „Qui nullo rerum pondere innixi verbis humidis et lapsantibus diffluunt, eorum orationem bene existimatum est in ore nasci, non in pectore.“ Gell. N. A. 1, 15. Eodem sensu Quinctilianus „verba in labris nascentia“ dicit Inst. 10, 3, 2. *In udo*, eadem levitatis et mollitiæ notio, quam Gellius „verbis humidis“ expressit. Itidem Græci: χαλεπον τω λαλω ἐσι σιωπαν, και ὡς ἐν ὑγρω ἐσιν ἡ γλωττα. Theophr. Charact. 7. ubi Casaubonus in Comment. ad Theophrast. verum vidit, quod eundem in Persio explicando effugit. Ad nostrum locum Turnebus: ὑγρον, quod humidum est, a Græcis pro molli et tenero usurpatur non infrequenter.“ Adv. 28, 26. et idem de *Mœnade* et *Aty*: „*In udo est* o: humida et tenera lingua, quæ saliva et humore scatet, pronuntiatur molliter et teneriter, nec impressione sicci plectri (sic) valida signatur et feritur. *Mœnas* quoque et *Atys* ad argumenta pertinent et materiam carminis mollioris.“ Adv. 10, 1. Quare Martialis: „Nec dictat mihi luculentus Atys Mollem debilitate Galliambon.“ Epigr. 2, 86. *Nec pluteum* &c. Versum citavit Quinctilianus Inst. 10, 3, 21. addita

observatione, quod Persius „leviter dicendi genus“ significaverit. *Pluteum cædere*, demordere ungues, gestus animi affectuum œstro perciti indices. Vid. infra 5, 162. Hor. Sat. 1, 10, 71. Epod. 5, 47. *)

107–110. Monitor, disceptatione deiectus et erroris convictus, ut habeat, quo confugiat, capite quæstionis derelicto, improviso nec præparato transitu abit in res alias, sordidæ mentis suæ argumenta, scilicet locum et conditionem poetæ et periculum, quod satiras scribenti immineat. *Mordaci vero* respicit ad ἀληθες πικρον Stoicorum, *mordax acetum* 5, 86. Idem adiectivorum in neutro genere pro substantivis acceptorum usus 2, 74. item infinitivorum et totius orationis 1, 9. et 27. 5, 53 &c. *Teneras radere auriculas*, ut „radere aures delicatas“ Quinct. Inst. 3, 1, 3. *Vide sis.* Non ob e breve opus esse emendatione in „videas,“ contra Schraderum Passowius et Orellius monuerunt, neque iniuria, quod ille imperativus, quandoque adverbialiter positus, ut „cave“ Hor. Sat. 2, 3, 38. 177. Ep. 1, 13, 19. Ovid. Trist.

*) „Versus hi sunt inopes rerum nugæque canoræ, affectata omnia et grandisona, non ex affectuum imo sensu promanantia; hinc non miror, quod nec mulceant pectus, nec inaniter angant, nec falsis terroribus impleant.“ Breitinger. Proverbium ab iis desumptum, qui cum sententiarum aut verborum urgentur inopia, in pluteum quasi minus commodum irascuntur (cf. Hor. Sat. 2, 3, 7. 8. et Cruquium ad h. l.) videtur ad meliores poetas a Persio translatum et sensu contrario adhibitum.

1, 1, 25. corripi solet. Vid. Grotefend. Lat. Grammatik, Prosod. 19, 1. In locis ab Orellio citatis excipio Ovid. Amor. 2, 13, 21. ubi „fave" elisione producitur. Ita „fave" ultima longa Tibul. 2, 5, 1. 4, 4, 21. 4, 6, 7. et alibi compluries. Pro exsculpto loco Ovidiano damus versum Catonis: „Hoc vide, ne rursus levitatis crimine damnes." Distich. 4, 24. et observationem illam Bondii non inficetam: „*De* in *vide* corripitur ab antiquo verbo „vido, is, 3 Coni. cuius compositum „divido" est adhuc in usu. *) *Sis* pro „si vis," ut Cic: „Age, refer animum, sis, ad veritatem." Or. pro S. Rosc. Amer. 16. *Ne maiorum . . frigescant*, ne maiores, satiris tuis offensi, te frigide excipiant. Locorum a Casaubono alias plus iusto cumulatorum, in quibus Noster imitatus sit Horatium, hic certe unus est. Respicit ad Sat. 2, 1, 60. „O puer, ut sis Vitalis, metuo, et maiorum ne quis amicus Frigore te feriat." Uterque de re eadem, periculo sc. poetæ satirico imminente, metaphora eadem frigoris, de rebus non tractatis dicti, loquitur, et paullo post exemplum, quo se uterque erigat, capitur ex

*) Certe nonnulla verba, quæ nunc sunt secundæ tantum coniugationis, priscis et fuisse tertiæ videntur, in quibus numerandum sit „respondeo," cuius ultima syllaba imper. præs. corripitur in versu illo Martialis 3, 4, 7. „Si quando veniet, dicet: responde; poeta" &c. nisi ex Mss. Gruteri ita legendum: „Quando venit? dicet; tu respondeto; poeta" &c. et Manil. 5. in fine: Sic etiam magno quædam respondere mundo Hæc natura facit.

Lucilio. Horatium, ab Acrone, Gesnero, Wielando et ipso nostro Badenio perperam intellectum, Heindorfius ex loco Persii bene interpretatus est cf. F. H. Bothe annot. ad Horatium Car. Feæ et F. G. Doering ad h. l. *Litera* R. cuius pronuntiatio paullo asperior*) *canina* dicta est, qvia „canes provocati irriunt, sonum quendam, qui R literam refert, crebro iterant.“ Turnebus Adv. 29, 17.**) Versum Lucilii huc pertinentem citavit Passow: „Irritata canis quod R R quam plurima dicat“; aliter, at obscurius Charisius: „Irritata canis quam homo hoc quod planius dicit.“ Putschius c. 100. Romanis ut et Græcis canes catenarii, haud secus ac nobis, ad ostium erant custodiæ caussa. Sueton. Vitel. 16. Seneca de Ira

*) Hinc in l quandoque abiit, ut a caper capella, a frater fratellus, Remuria, festo inferiis Remi instituto, Lemuria. „Aspera mutata est in lenem tempore longo Litera, quæ toto nomine prima fuit.“ Ovid. Fast. 5, 481. Nonnumquam abiit in s, ut honor, honos; gero, gessi; uro, ussi. Cum de Appio Claudio, qui a. u. c. 441. viam Appiam munivit, dicit Pomponius 2, 35. Paudect. 1, 2, 2. quod literam R invenerit, addit: „ut pro Valesiis Valerii essent, et pro Fusiis Furii; de quo loco a plerisque prave intellecto vid. K. L. Schneider, Elementarlehre p. 341. Item in tabulis 12. casmen, minose, maiose, fusiosus dicitur pro carmen, minore, maiore, furiosus.

**) Vocabula extremam oris partem in animalibus significantia apud Græcos et Romanos, v. c. ῥὶς, ὄνυχος, ῥάμφος, ῥώθων et rictus, ringi, rostrum a litera canina incipere, observavit J. Duport. Prælect. in Theophr. Charact. 4.

16, 57, 2. Petron. Sat. 72. Phædr. 3, 7, 9. Nec vivos modo habebant, sed et pictos cum inscriptione: cave canem. Petron. 29. Codd. *litera* et littera. Per t simplex scribendum suadent inscriptiones apud Gruterum: p. 408. n. 1. l. 30. literis; p. 404. n. 2. obliteratio; p. 506. l. 13. surs. leiteras; quod „ei“ primam syllabam sine t geminato per se longam esse indicat. Vid. K. L. Schneider Formenlehre p. 445.

Monitorem cum indignatione Persius iam interpellat, et quod ille dicturus fuisset, abruptis asperisque verbis persequitur v. 110–114.

Alba veteribus bona, nigra mala. Iuvenal. 3, 30. 12, 65. *Euge . . eritis res.* Codd. Haun. 1. 5. 6. 7. pro „omnes omnes“ legunt *omnes etenim;* ita et Tigurinus et Achaintrii omnes. Haun. quartus: „omnes bene miræ per me eritis res.“ Vos omnes, mali poetæ, iam eritis res egregiæ! Augetur vis comica ironiæ illa cæsuræ incuria. Hexametrum eiusdem farinæ est Horatianum Sat. 2, 2, 106. *bene* ut 4, 22. et alias sæpius, ubi particula illa ἀνεξητικῆ pro „valde, multum“ ponitur. *Res* per periphrasin pro neutris pronominum et adiectivorum eleganter adeo latine dicitur, ut a Grammaticis etiam ad syntaxin ornatam referatur. *Hoc iuvat.* „Legendum cum interrogatione, ut apud Horatium (Sat. 1, 1, 78.) unde sumsit.“ Casaub. Hoc „sumsit“ potius cum interrogatione legendum, existimo. Verum videt Passow, cum illud interrogandi signum moneat delendum, quo mora

aliqua properanti poetæ indignantis sermoni haud conveniens inferatur. Ingeniose idem *heic . . oletum* interpretatur ex metaphora, a templis et sacris Deorum ad malos poetas per ludicrum translata, qua illud solemne formularum legalium antiquarum: *veto* et *faxit* cum *oleto**), voce sordida, coniunctum, apprime facit ad Monitorem irrisui exponendum. Sensus ergo foret: „*Heic*, in his versibus citatis, *inquis*, prohibeo ut quisquam faciat *oletum* o: iis reprehensionis maculam inurat.“ „Ut grande nefas existimatur, si quis locum sacrum inquinaverit, sic postulas, ut pari religione caveant omnes carpere Neronem et illi similes proceres.“ Ita fere Casaubonus, qui eandem, quæ locis sacris, etiam simulacris et statuis principum exhibitam esse reverentiam, commemorat, addito exemplo ex Spartiano. Ironice concedentis est, quod sequitur: *Pinge duos . . discedo.* Serpentes vel dracones, tamquam loci Genios, appinxerunt veteres ad conciliandum loco reverentiam. Ita duo serpentes, aræ custodes, in Numism. Hub. Goltzii Tom. 4. tab. 4. Si vera sit lectio, a Casaubono adscita, Theophr. Charact. 16. ἐαν ἰδῃ ὀφιν**) ἐν τῃ οἰκιᾳ, ἱερον ἐνταυθα

*) De privatarum latrinarum usu hodierno, veteribus ignoto, vid. Casaub. ad Theophrasti Charact. c. 14.

**) Veram esse lectionem ὀφιν, utpote in codice præstantissimo, e bibliotheca Palatino-Vaticana recens eruto exhibitam, ostendit Vir Clar. S. N. I. Bloch in Theophrasto ed. Lips. 1814. P. 1. p. 151.

ἱδρυσασθαι, reverentiam, serpentibus exhibitam locus ille ostendit. De angue Virg. Æn. 5, 95. quem Æneas aut Genium loci putat, aut famulum parentis, ita Servius: „Loci Genium per magnitudinem vult probare; nullus enim locus sine Genio est, qui per anquem plerumque ostenditur. Persius: pinge duos angues. Sane hunc locum de Homero sumpsit, qui inducit Græcos apud Aulidem omen futuri decennalis belli ex serpente collegisse.“ Qualem serpentis Genii originem animo conceperint, idem docet ad h. l. „Secundum Pythagoram dicit, qui primus deprehendit, de medulla hominis, quæ est in spina, anguem creari, quod etiam Ovidius in 15 (389) Metam. loquente Pythagora.“ cf. Plin. H. N. 10, 66. *) Ceterum cur *duos* angues? interrogat Kœnig. Passow de geminis cogitat Geniis, bono et malo, cuique hominum tributis, unde numerus binarius etiam ad loca parum curate translatus. Mihi quidem Genii serpentes, quatenus erant numina domestica, videntur fuisse bini sexu di-

*) Ægyptiæ certe originis est illa spiritus vel dæmonis cuiusdam notio, serpentis imagine adumbrata. „Ægyptii serpentis naturæ quandam inesse divinitatem putabant, teste Eusebio, eumque spiritualissimum omnium animal, et igneum, proindeque fecunditatis symbolum.“ De la Chausse de Deorum Simulacris. Ich — nuphi, bonus spiritus, Græcorum Knuph, Ægyptiis erat Deus, quem forma serpentis colebant. Inde serpens æneus Hebræorum Num. 21, 9. Vid. Das alte und neue Morgenland, herausgegeben von E. F. K. Rosenmüller. Lips. 1818. Tom. 2. n. 21.

versi, adeo ut mas patrifamilias attribueretur, femina matri. Argumentum peto ex narratione Valerii Maximi 4, 6. de duobus serpentibus in domo Tiberii Gracchi deprehensis, quam et Cicero de Divin. 1, 18. Plinius H. N. 7, 36. et Plutarchus in Gracchis habent. Bini ceteroquin angues e templo prosiliunt apud Aristophanem in Pluto*); bini Laocoonta petunt et opprimunt Virg. Æn. 2, 203; binos item angues Mercurius, Arcadiam peragrans, invenit pugnantes, et virga sua interposita dicto citius proelium dirimit. Hygin. Astron. 2, 7. Schol. ad Iliad. 15, 256.**) *Pueri* &c. Augetur

*) Ad h. l. Scholiastes: κοινως πασι τοις ἡρωσι δρακοντες παρετιθεντο.

**) Ad cuius rei memoriam veteres caduceum figurabant in speciem 2 anguium, maris et feminæ, qui parte media sui volumiuis nodo, quem Herculeum vocabant, sibi alligantur, primisque partibus reflexi in modum circuli oscula iungunt; illudque Mercurio, velut peculiare insigne, attribuebant, quo et animas ab inferis revocare, et somnum, quibus volebat, immittere credebatur. Virg. Æn. 4, 242. Hor. Od. 1, 10, 17. Hinc Rabirius locum Persii haud inscite explicat: „Insignias te caduceo, quo in fide publica positus, incolumis serveris, neque satiræ vulnera excipias.“ „Illi enim duo angues,“ ait, „periphrasis sunt caducci, quod duobus anguibus insignitum qui circumferebat, inter inimicorum tela incolumis consistere poterat.“ Iun. Rabirius de Hastarum et Auctionum origine. Inde supplicibus olim caduceum præferendi consuetudo, quod hoc gestantes ab omni violentia tuti erant, cuius rei exemplum Livius 8, 20. exhibet. Quare Cicero: „Eum, inquit, quærimus, qui non tam caduceo, „quam nomine oratoris ornatus, incolumis possit inter „hostium tela versari,“ de Oratore 1, 45.

ironia apostrophes ambiguitate vocis *sacer*, quæ non modo sanctum exprimit, sed etiam perniciosum, exsecrandum, ut illa 12 tabularum lex: „Patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto.“ cfr. Virg. Æn. 3, 57. Hor. Sat. 2, 3. 181. *Meiere* „extremum sæpe contumeliæ signum, qua locus aliquis affici poterat. Iuvenal. 1, 131. (adde Hor. Sat. 1, 8, 38.) Hoc ne quis faceret in tumulis, cippi titulus deprecabatur, adiecta sæpe imprecatione mala. Anthol. lat. Burmann. T. 2. p. 145.“ Koenig.*) Quin ipsam pudicitiæ aram Deæque effigiem Romana impudentia inquinavit, Iuvenal. 6, 307. mirum, ni effigies etiam imperatorum contaminaverit. „Animadvertendum sane est, quam acerrimo sale et summa acrimonia simplex sensus: a censura morum pravorum (poetarum malorum) ut a re sacra

*) Eundem, quod ad cultum Romano-Catholicum attinet, morem hodie invalescere in Italia, auctor est I. I. Blunt: Vestiges of ancient manners and customs discoverables in modern Italy and Sicily. Lond. 1823. Hic Bononiæ in via ferente ad sacellum Mariæ virginis del Monte monitum vidit muro affixum, quo illa iis imprecatur, qui hoc sanctuarium inquinarent. Idem in Florentina, maxime vero in Neapolitana terra, invenit imagines Mariæ virginis, crucifixionis, purgatorii &c. parietibus appictas cum monitis, quæ vocat Anti-urinal notices, v. c. Respetto P. tutto alla Maria S. Sa et a Iesu. Noster H. N. Clausen (Catholicismens og Protestantismens Kirkeforfatning. Haun. 1825. p. 635.) citat exsecrationem balneis Titi inscriptam: „Duodecim Deos Et Dianam Et Iovem Optumum Maxumum Habeat Iratos, Quisquis Hic Minxerit Aut Cacarit.“

abstinebo, expressus sit.“ Koenig. *Discedo.* Fingit satiricus se abire, at statim revertitur, consilio quasi mutato.

Quod aliis concessum fuerat, sibi etiam concedendum esse, existimat. Lucilium et Horatium duces sibi proponit. Est animus, obiectionibus quidem firmatus, suum se iudicium ingeniumque secuturum, et satiram scripturum, quomodocunque eveniat. 114–123.

114. *Secuit Lucilius urbem. Secare* h. l. notionem „mordendi,“ „lacerandi,“ at in simili materia Hor. 1, 10, 15. cum verbum illud ad „res“ referatur, vim „dirimendi“ habet. Acerbitatem Lucilianæ satiræ veteres uno ore describunt. Horatius fere verbis iisdem: „Sale multo urbem defricuit.“ Sat. 1, 10, 3. Idem Sat. 2, 1, 62. cum dicit „primum Latinorum ausum esse detrahere pellem, nitidus qua quisque per ora cederet, introrsum turpis; primores populi arripuisse populumque tributim“; (i. e. *urbem*, nullus enim Romæ civis absque tribu) et 1, 4, 1. eum secutum esse Eupolim, Cratinum, Aristophanem &c. qui, „Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur, Quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui Famosus, multa cum libertate notabant.“ Cfr. Iuvenal. 1, 165. Quinct. Inst. Or. 10, 1, 94. Cic. Ep. ad divers. 12, 16. Vell. Paterc. 2, 9, 4. De eo Plinius H. N. Præf. ad Vespasianum subobscure: „Lucilius primus condidit stili nasum,“ quod cum Martiale 1, 4, 6. 1, 42, 18. 13, 2, 1. collatum, stili mordacis nimiæque

ridendi licentiæ auctorem significat. Macrobio Saturn. 2, 12. est „acer et violentus poeta"; et digni certe erant tali reprehensore, quos describit ibidem, homines Lucilianæ ætatis, qui in forum ad iudicandum ebrii commeabant. Quæ supersunt fragmenta Lucilii, a Franc. Dousa primum collecta, et cum notis edita. Lugd. Bat. 1597. ab Haverkamp et Iano Dousa repetita, animum lædendi non dissimulant. Nec inficiatur Horatius, defuisse Satiris eius το ridiculum, quod „acri fortius et melius magnas plerumque secat res". Sat. 1, 10, 15. De eo ceterum cf. Heindorf ad hanc Satiram et anteced. quartam.

115. *Te Lupe, te Muti.* Fragmentorum editor homines 16 ex historia notos enumerat, nominatim a Lucilio notatos, et quidem viros auctoritate conspicuos, ut h. l. dictos Lupum et Mutium. Quorum prior, ut videtur, L. Corn. Lentulus Lupus, cum C. Marcio Figulo consul a. U. 597. Horatius eum „famosis coopertum versibus Lucilii" dicit Sat. 2, 1, 68. quod vere dictum testantur versus Lucilii a Cicerone de Nat. Deor. 1, 23. citati et fragmentis Lucilii a Dousa restituti, in quibus sacrilegis et periuris Lupus adiungitur. Posterior forsan erat Q. Mutius Scævola, qui ex consulatu Asiam nactus, tanta eam integritate regebat, ut eius administratio pro exemplo et forma officii ceteris, qui in eam provinciam postea profecti sunt, a senatu sit proposita. Val. Max. 8, 15, 6. Nec enim viris bonis, si quid humani iis accidisset, Lucilium pepercisse constat. Ceterum Mutii vel Mucii in veteri hi-

storia Romana multi commemorantur, viri clari et virtutibus insignes. *Lupus* et *Mutius* h. l. ut „Mucius“ Iuvenal. 1, 154. pro nobilibus Romanis universe poni videtur. *) *Genuinum*, dentem intimum, inter molares fortissimum, (Iuvenal. 5, 70.) infigere, genuino mordere, Latinis solitum; at fortius: *gen. frangere* in aliquo, omni mordacitate et acerbitate in aliquem uti; comminuere, canis instar ossa molentis, cum ipso dentis damno. Hor. Sat. 2, 1, 77. „illidere dentem fragili, solido.“ *In illis*, enallage personæ græcissans.

116–118. *Omne vafer* &c. Non, ut Lucilius, insectator scelerum acerbus, omnia tamen *amicorum*, etiam Mæcenatis sui **), stulte facta notat *Flaccus*,

*) Certum tamen *Mucium* a Iuvenale spectatum, vetus Scholiastes ad h. l. existimat, eumque insectationem Lucilii fortiter et sapienter tulisse refert.

**) v. c. Sat. 1, 2, 25. „Malthinus tunicis demissis ambulat“; ubi Schol. Porphyrionis et Cruquii: „Malthini nomine quidam Mæcenatem significari suspicantur.“ Nimirum de eo Seneca, notius esse, inquit, quam ut narrari debeat, quomodo ambulaverit, quam delicatus fuerit, quam cupierit videri, quam vitia sua latere noluerit; orationem eius æque solutam fuisse, quam ipse esset discinctus; cum solutis tunicis in urbe semper incessisse &c. Ep. 114, 4–8. et Hor. Sat. 1, 3, 31. „Rusticius tonso toga defluit, et male laxus In pede calceus hæret, at est bonus.. ingenium ingens,“ quod Scholia Acronis et Cruquii dictum volunt de Virgilio, qui indecori et corporis et habitus fuit. Vid. Heindorf ad l. cit.

quasi non data opera et iocos urbanos agens, eum in modum, ut amici rideant, non indignentur. Tuetur ita satirographus suum de satiris iudicium: „Ridiculum acri“ Sat. 1, 10, 14. et: „Ridentem dicere verum, quid vetat?“ 1, 1, 24. *Vafer*, μεσον quod dicunt vocabulum, in bonam æque ac in malam partem usurpatum, ut prudens, callidus, sollers. Ita Cic. Nat. Deor. 1, 15. de Chrysippo, et Horatius Sat. 1, 3, 130. de Alfeno, ex sutore iurisconsulto. cf. in seqv. 1, 132. 6, 20. *Tangit*, ut Hor. Sat. 2, 1, 45. *Admissus* &c. facile et lubenti animo exceptus, interiora mentis vitia, quasi ludibundus, reprehendit. *Præcordia*, membranæ, quæ cordi prætenduntur, Græcis φρενες, quod mentis sedes existimabantur. Τυτο δε το διαζωμα καλυσι τινες φρενας . . ὡς μετεχυσας τι τυ φρονειν. Aristoteles de Part. Animal. 3, 10. *Callidus* &c. gnarus artifex tectæ irrisionis. *Call. suspendere*, græcismus Persio solitus. „*Excusso naso suspendere* est tecte et subdole irridere; nam qui sic irrident, non crispant nares, neque in sannam corrugant, sed nasum excutiunt et porrigunt, ac si nihil tale agerent.“ Bondius. *Suspendere naso* Turnebo Adv. 4, 9. est ponderare naso velut lance quadam, coll. Pers. 4, 10; Kœnigio: confundere: quæ minus placent. Est phrasis Horatiana Sat. 1, 6, 5. 2, 8, 64. *) quod iam dudum vidit Murmellius. Adde,

*) Illud vero non Casaubono assentiendum existimo, quod Persius istam locutionem soli debuerit Horatio. Originem eius multo antiquiorem esse, et quidem Plautinam,

quæ supra notavimus ad v. 41 et 114. de naso, irrisionis organo. Pro „emuncta nare," quam Horatius Sat. 1, 4, 8. Lucilio tribuit, Persium posuisse synonymum, at fortius: *susp. excusso naso*, bene observavit Passow. Erasmus in Adagiis locum citans, pro *excusso* legit „exterso," non sensui, sed nostris codicibus absonum. *)

Ævo Horatii, quin etiam Persii, Romanis, vetere asperitate cum libertate exutis, res magnæ cautionis satira esse coeperat. Uterque tamen ad illam libertatem, quasi ad beneficium satiræ optimo iure possessum, provocavit. Eo nimirum iure vita publica cuiusque civis, etiam nobilioris, satiræ erat obnoxia. Satirographo non opus erat tecte et per ambages dicere, modo verum diceret; res, homines vero nomine

---

Passow p. 111. ostendit. Facilis etiam erat inventio hominibus ad naturam attentis et Græco-Latinis, ut *μυκτηρίζειν a μυκτηρ*. Eam tamen non ita pridem sermonis consuetudine invaluisse, verba Plinii H. N. 11, 37. § 59. „Altior homini tantum, quem novi mores subdolæ irrisioni dicavere, nasus," significare videntur.

*) Ingenii indolisque satiricæ Horatianæ descriptionem Persii, omnibus numeris absolutam et omni ævo celebratam, ita reddidit Passow: Iegliche Schwäche berührt dem lachenden Freund der gewandte Flaccus, und gerne geschn umspielt er die Tiefen der Seele, Schlau mit ernstem Gesicht das gesammte Volk zu verlachen. Herder: Und der gescheute Flaccus, der seinem lachenden Freunde Jede Fehle berührt! Er spielt so rings um das Herz uns Wohl gefällig, und klug wirft er dem Volke die Nas' auf!

signare, scapham scapham dicere concessum erat. Non famosi libelli scriptor maledicus, verum censor morum venerandus habebatur. Ut apud nos (verbis dicam Meisteri *) fabularum actor in scenam prodiens, vel scriptor librum in publicum emittens habentur, ita cives civiumque mores Romæ libere tractabantur; quæ libertas plerumque tamen in ipsius satirici auctoritate, non minus integritate morum quam scribendi dexteritate acquisita, posita erat. Ita Horatius in satira apologetica 2, 1, 62 sq. libertatem Lucilii describens, nihil, ait, inde incommodi ei accidisse, ne Lælium quidem et Scipionem Africanum eius ingenio offensos fuisse, nec læsis Metello et Lupo doluisse, quamvis primores populi arriperet, populumque tributim, „scilicet uni æquus virtuti atque eius amicis“; quin optimos hos viros eo familiariter usos esse; se vero, Lucilio tanto inferiorem, etiam amicis uti potentibus, et securum invidiæ sese discrimini offerre: „Nisi quid tu, docte Trebati, dissentis“ — Simulat se consulere Trebatium, iurisconsultum celeberrimum, et quod iam sequitur, conditionem satirographi Augustalis ævi, a Lucilianæ ætatis licentia satis diversam, apprime describit. Trebatius, negans se eum reprehensurum esse, monet de lege Tabb. 12. „Si mala condiderit in quem quis carmina, ius est iudiciumque“ **.

*) Letzte Studien über Persius p. 77.

**) Tab. 8. Fragm. 1. „Si quis occentavisset, sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumque alteri.“

Cui Horatius, in ambiguitate vocis „mala“ ludens: „Esto si quis mala; sed bona si quis iudice condiderit, laudatus Cæsare; si quis opprobriis dignum laceraverit, integer ipse?“ Trebatius: „Solventur risu tabulæ; (subsellia iudicum, cf. Iuvenal. 1, 12. 13. vel potius ipsæ leges, cf. F. G. Doering ad h. l.) tu missus abibis.“

119-121. *Men' mutire* &c. „Mihi non liceret, sub lingua immurmurare? ne tecte, ne scrobi quidem committerem, quod me suspensum habet? — Nuspiam? — Huic tamen libro infodiam; huic, ut ille scrobi, acclamabo: Vidi, vidi ipse, libelle! Non desunt, quibus hoc in aurem dicendum; quis enim Romanorum non, ut rex ille quondam, habet auriculas asini?“ Quod v. 8. in mente habuit, non extulit, dicens: *Romæ quis non?* huic ita suppletur: *Auriculas asini quis non habet?* Mentio *Iliadis* v. 123. ostendit, Persium ad initium satiræ sc. *Labeonem* v. 4. respexisse. Sensu ita facile constituto, verba *cum scrobe* et *infodiam* notissimam de Midæ tonsore fabulam Ovid. Met. 11, 90. cuique legenti in memoriam satis revocabunt, nec opus erit mutanda lectione: *quis non*, membranis omnibus et impressis codd. antiquis recepta,*) in „Mida rex,“ e loco vitæ Persii suspecto

Vid. H. E. Dirksen Uebersicht der . . Zwölf Tafel-Fragmente. Lips. 1824. p. 507 sq.

*) Codd. omnes et Haunienses et qui a Passowio et Orellio citantur, in nostra lectione consentiunt.

vel glossemate petitum. *) Bene Stieber: „Commentum, veteri biographo adiectum, Casaubono non tanti esse debuerat, ut huic lectioni (quis non h.) quam tota series orationis et plerique codd. commendant, alteram (Mida rex h.) præferret.“ Coniect. cit. Locus Vitæ Persii, quæ Suetonio aut Valerio Probo tribuitur, hic est: „mox ut a schola et magistris deverterat, lecto libro Lucilii decimo, vehementer satiras componere studuit; cuius libri principium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detrectaturus, cum tanta recentium poetarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem culpaverit. Cuius versus in Neronem cum ita se haberet: „Auriculas asini Mida rex habet,“ in hunc modum a Cornuto ipso tantummodo (ipso nondum mortuo, Reiz.) est emendatus: „Auriculas asini quis non habet?“ ne hoc Nero in se dictum arbitraretur.“ Casaubonus, qui „Mida rex“ textui primus intulisse videtur, et quem recentiores: Reiz, Nasser, Passow, Orellius sequuntur, ea defensione utitur ut dicat, nihil Cornutum impulisse, ut audaculus heic esset et manum Persii sollicitaret, nisi quod memoriæ illius, et domui universæ, atque adeo sibi ipsi, qui fuerat eius præceptor, timebat; sublata timendi caussa nihil eum mutaturum fuisse; nos ergo nihil mutaturos, qui eius faciendi caussam nullam habemus. Non igitur fidem narratiunculæ Casaubonus in dubium vocavit. Verum maxima dubitationis argumenta et ipsa satira et vita

*) Vid. Cens. Ienens. A. L. Z. 1823. April.

citata præbent. Neroni, nisi ante a Persio reprehensus sit, nulla omnino fuisset causa „Mida rex“ in se trahendi; sin vero versus ante dicti 93–95. 99–102. Neronis sint, iique ad eum carpendum a Persio citenter, ista cavillatio amicis Persii timoris caussa fuisset gravior, quam ut mutato novæ irrisionis loco tolleretur. Non igitur erat, quod Cornutus „Mida rex“ in *quis non* mutaret. *) Ceterum ipsius Vitæ tanta est inæqualitas et rerum male cohærentium inconstantia, ut argumentum inde petitum per se suspectum sit, et inprimis narratio de versu a Cornuto mutato potius ex Pseudo-Cornuto vel glossa monachi cuiusdam, quam ex classico calamo oriunda videatur. Ad verba *mutire, scrobe, infodiam* revocanda ipsissima Ovidii: „humumque effodit . . voce refert parva, terræque immurmurat haustæ . : et scrobibus tacitus secedit opertis,“ nobis satis nota, lectoribus classici ævi notiora. Pro *nec cum scrobe, nusquam* cod. Haun. tertius: „nec scrobe, nec usquam.“ *Hoc ridere meum nulla tibi vendo Iliade.* Similiter Petronius: „Meum

*) Eo refutatur argumentum Baylii aliorumque, e versu 121 petitum, quo fulti v. 93–95. et 99–102. non Neronis esse statuerunt. Si hos versus Nero scripserit, satiras nostras post mortem demum Persii in publicum emissas, necesse est. Quo illud videtur tendere, quod Cornutus, ut est in Vita, non ipse ederet, sed Cæsio Basso traderet edendas. Prudens scilicet Cornutus, cum ævum suum his satiris iniquum esse intelligeret, speravit fore, ut ab amico iuniore olim editæ æquioribus animis exciperentur. Vid. Passowius et Weber ad h. l.

enim intelligere nulla pecunia vendo.“ Satyric. 52. Hanc meam libertatem recentiora poemata taxandi, quamvis periculosam, has satiras, quas mihi dissuades et neminem lecturum dicis (v. 2.), non cum insulsa Labeonis Iliade (de qua ad v. 4 et 50.), et gratia, scriptori inde acquisita, commutabo.

123. Optat sibi lectorem imbutum animo priscæ comoediæ poetarum, a quorum libertate non ipse erat alienus. Eorum laudes prædicat Quinctilianus Inst. 10, 1, 65. *) *Cratinus*, poeta comicus apud Athenienses. Vixit cum Platone Olymp. circ. 81. Eusebio teste; annos natus 97 obiit. „Primus Athenis, Dionysia dum essent, satiricam fabulam induxit; ex tragoediis enim satirica dramata instituta, in quibus salva maiestate iocos maiestatis exercere consueverant.“ Acron ad Horat. „Scripsit 21 comoedias, novies victor.“ Suidas. Fragmenta, quæ supersunt, non satis ostendunt auctoris ingenium; illum vero mira dicendi *audacia* et acerbitate Athenienses proscidisse, docet

*) „Antiqua comoedia, inquit, cum sinceram illam sermonis Attici gratiam prope sola retinet, tum facundissimæ libertatis, etsi est in insectandis vitiis præcipua, plurimum tamen virium etiam in ceteris partibus habet. Nam et grandis, et elegans, et venusta, et nescio an ulla, post Homerum tamen, quem ut Achillem semper excipi par est, aut similior sit oratoribus, aut ad oratores faciendos aptior. Plures eius auctores. Aristophanes tamen, et Eupolis, Cratinusque præcipui.“

vetus scholion ad Aristophanem, a Casaubono citatum. Multa apud veteres de eius ebrietate, quam respicit Horatius Ep. 1, 19, 1. et ridet Aristophanes Equ. 399.

124. *Eupolis*, Atheniensis, priscæ etiam comoediæ poeta (τον της αρχαιας dicit Cicero Ep. Att. 6, 1.) quem itidem vitia populi magna cum libertate reprehendisse ex Horatio, Sat. 1, 4, 1. septendecim vero comoedias scripsisse et decies vicisse, ex Suida discimus. Horatius, cum poetas illustres secessus sui comites enumerat, eum pro omnibus antiquæ comoediæ scriptoribus ponit Sat. 2, 3, 12. Ad vocem *iratus* Koenig: Unde hoc epitheton, quod non videtur pertinere ad indolem Eupolidis, neque ad scribendi genus, quo remissior Cratino et Aristophane fuisse dicitur? et Passow: Ubinam hoc dicitur? interrogat. Quod ad posterius attinet, adeundi Scholiorum veterum ad Aristophanem scriptores et P. F. Kanngiesser: Die alte komische Bühne in Athen. Uratisl. 1817. Ad prius, animadvertendum opinor ad Baptas, fabulam Eupolidis, in qua eum flagitia civium libidine deperditorum notavisse, patet ex Luciano: Sermone adv. indoctum, in fine. In illa fabula cum inprimis perstringeretur Alcibiades, hic, in Siciliam navigans, scriptorem in mare deiecisse dicitur, in fabulæ nomine ludens. Quam traditionem, redarguente licet Eratosthene, notissimam (Cic. Ep. Att. 6, 1.) Persius secutus esse videtur, ad animum vitiis iratum, quo mortem Eupolis sibi contraxerit, potius attentus, quam

ad stilum eius remissiorem. *Prægr. cum sene*, Aristophane, qui Hor. Sat. 1, 4, 1. loco a Persio haud dubie spectato, ut etiam Velleii 1, 16. et Quinct. Inst. 10, 1, 65. ubicumque de præcipuis antiquæ comoediæ scriptoribus sermo fuerit, Cratino et Eupolidi iungitur. „*Senem* vocat ob monendi increpandique partes, quas sustinet in fabulis. Sic senem Horatius (Sat. 2, 1, 34.) vocat Lucilium, non propter ætatem, sed propter gravitatem argumenti, in quo se exercuit; nam Lucilium annum ætatis 46 non excessisse, testis Eusebius in Chronico.“ Casaub. „*Senem* vocat propter tempus, quo vixit, remotum a Persii ætate.“ Koenig. Passowio unum, tamquam indoli Aristophaneæ contrarium, alterum, quasi alienum a sermone latino, usque adeo displicuit, ut Lucilium, ab Horatio iam dictum senem (einen guten ehrlichen Alten) proposuerit intelligendum. Iure displicet explicatio Casauboni, longe et quidem e falso argumento petita. Falli enim Eusebium, cum Lucilium anno secundo Olympiadis 169. i. e. anno U. C. 651. ætatis 46. mortuum esse dicit, inde liquet, quod in bello Numantino (anno urbis 620) sub P. Africano Lucilius eques militaverit, Vell. Paterc. 2, 9. et quod Liciniam legem sumptuariam, c. annum 656. rogatam, commemoraverit, Gellii N. A. 2, 24. Vide Baylii Diction. ad vocem Lucil. Verum senem ob tempus a dicentis ætate remotum latine dici, recentiores critici monstrarunt ex Cicerone, qui hoc sensu in Bruto c. 9. Isocratem, Lysiam &c. et c. 10. Solonem, Pisistratum et Themi-

stoclem *senes* dixit. *) Ceterum eum, quamvis inter longævos a Luciano non numeratum, ætate satis provecta fuisse, vel ex eo liquet, quod omnes suas fabulas intra annos 40. composuerit egeritque, legibus vero Atheniensium nemini licuerit ante annum 30 (alii dicunt 40) fabulas irrisorias publice agendas proponere. Vid. Schol. ad Nubes Aristoph. 530. Fabulas scripsit 48. quarum undecim exstant. **) „*Eupolidem*

*) Ien. Allg. Lit. Zeit. 1822. n. 198. et Götting. gel. Anz. 1823. St. 99. quibus adde C. Barthii Advers. 42, 18. 30, 12. ubi vocabulorum „antiqui hominis" et *senis* ambiguus apud Latinos usus illustratur.

**) Fabularum nonnullis Aristophanes cum Cratero et Eupolide certavit, palmam iis præripiens. Ut fert sententia Græcorum criticorum, inter convicia Cratini Eupolidisque et novæ comoediæ illecebras medium quoddam dicendi genus Atticissimum invenit, Cratero mitior, Eupolide fortior, quandoque tamen illi vehementia, huic lepore similis. Hinc frequens in Scholiis mentio imitationis. Comoediam, quæ ante eum lutulenta fluxit, quodammodo purgavit, in multis tamen pravæ assuetudini et luxui Dionysiorum cedens. Si Plutum exceperis, qui privati est consilii, nec antiquæ comoediæ annumeratur, ceteræ, quæ supersunt, fabulæ ad politica pertinent, et cives, mores, instituta nominatim et rigide exagitant. Ad verum adeo factus Aristophanes, ut ne proceribus quidem et reipublicæ principibus pepercerit, nec Cleoni ipsi, qui tunc temporis patriam suppilavit. Illum inprimis insectatus est in Equitibus, cuius cum nullus histrio, propter eius impotentiam, auderet agere personam, ipse scriptor faciem minio oblitus egit. De Nubibus, alia eius comoedia, relatum est, quod cum Plato a Dio-

. . *palles* pro: pallorem studendi in Eupolidis libris palles, vel pallorem studio et assiduitate legendi Eupolidis comoedias contractum palles. Ius suum poetæ tenent, ut licenter multa loquantur.“ Turnebus Adv. 5, 3. Eodem modo sed alio sensu dixit Horatius: „scatentem belluis pontum, mediasque fraudes palluit audax.“ Od. 3, 27, 26. pro timuit. Vid. et Turn. Adv. 28, 26. et quæ ad Prol. v. 4. notavimus.

125. 126. *Aspice et hæc.* Quod iis observandum, qui Persio rem adeo levem et nullius ponderis fuisse existimant, an lectores haberet, nec ne, atque ideo v. 3. *vel duo vel nemo* illi tribuunt. *Decoctius* opponitur *crudo*, vid. v. 92 et 97. „Coctum vocabant, quidquid vetus et multi temporis existat.“ Servius. De materia fusa Quinctilianus: „Multum inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid velut usu ipso deteretur, sit modo unde excidi possit, et quod exsculpi.“ Inst. Or. 2, 4, 7. *Ferveat* „vel assiduitatem lectoris, alioquin rari, potest denotare, vel numerum et frequentiam.“ Casaub. Ita interpretes antiqui et recentis ævi tantum non omnes, præeunte Turnebo, exemplo instar omnium: „Lector,“ inquit,

---

nysio, Siciliæ tyranno rogaretur, ut aliquam sibi speciem et imaginem reipublicæ Atheniensis ostenderet, hanc ille fabulam ei miserit. Quin Chrysostomum, cum dormitum iret, Aristophanem sub pulvinari suo servare solitum ferunt, et dixisse, in eo omnia linguæ Atticæ ornamenta reservari.

„ferveat meorum studio poematum, inde vaporata et calefacta afflataque aure, quod et audierit et pervolutarit comicos veteres.“ Adv. 28, 26. Ferenda utique hæc interpretatio, cum *fervere* negotium dicitur, quod diligenter urgetur. Verum illud sui studium Persio vix erat unice expetendum; severæ eius iustæque et a vanitate alienæ menti illa lectionis assiduitas nullius foret momenti, nisi consilium, quod sequebatur, in pudore malis incutiendo positum, ea obtineretur. De lectione modo laborabat propter effectum, qui, si verbis insit, sensus loco aptior et generoso scriptoris pectore dignior evadet. Illum sensum pudoris ardentis et vehementis, quo quis offunditur, cum in libro aliquid sibi dictum intelligat, vir anonymus at subtilis ingenii*) voci *ferveat* subiiciendum docuit, collatis locis Iuvenal. 1, 167. „Tacita sudant præcordia culpa,“ et 3, 49. „Quis nunc diligitur, nisi conscius, et cui fervens Æstuat occultis animus, semperque tacendis?“ Quibus addimus verba Horatii: „Fervet avaritia, miseraque cupidine pectus?“ Ep. 1, 1, 33. Locum ita exponit: „Qui poetis priscæ comoediæ delectaris, aspice et mea poemata, si forte quid solidi in iis inveneris, quo lector pudore ferveat.“ Post *audis* comma, pro „Inde“ ponit *Unde*, quod series orationis suadet sequendum, nec codicibus alienum. Membranæ scilicet Dresdensi inest *Unde*, codd. item Haun. 3. 5. et Chemnicensi apud Weberum. Io. Britannicus

*) Allg. Lit. Zeit. Jen. 1822. n. 193.

adnotat: „*Unde*, ex quo. *Unde* legendum est, non „Inde.“ Plures etiam antiquos libros, ut facilis est permutatio literarum i et u, ita legisse, verba Turnebi l. cit. ostendere videntur, cum alia lege rem metiens lectionem „Inde“ defendat.

127. *Non hic*, scilicet aspiciat. Non solum mollitiei poeticæ deditos impugnavit Noster, sed aliud etiam genus hominum Romæ degens, feritate morum, ignorantia et odio humanarum artium insigne. Vid. 3, 77. 5, 190. 6, 37. Superbientes illi homines Romano nomine, et priscum *fordidumque* cultum affectantes, contemnebant quidquid Romæ erat Græcæ eruditionis et elegantiæ. Persius, Græcorum quidem vanitatem et parasiticam venditationem non ignorans, ingrate tamen bonum, quod eis inesset, et quod in literis Romani eis deberent, non interpretatus est, in eo, ut in pluribus, æquior Iuvenale, indefesso græcomaniæ Romanæ exagitatore. Ad cultum Græcum elegantiorem pertinebant *crepidæ*, pallio (chlamydi) Græcorum peculiares, sicut togæ Romanæ calcei. Liv. 29, 19. Pedes non tegebant. Tac. Annal. 2, 59. Differebant a calceis, quod hi totum calcem munirent, illæ vero tantum partem calcis solumque, sive plantam pedis. Crepidæ igitur non soleis dissimiles fuisse videntur *),

*) Res tamen similes non dixerim. Crepidas et soleas diversas fuisse, Balduinus quidem de Calc. Antiqu. 2. etymologice non probavit, nec ex Isid. Hisp. Orig. 19, 34. illud disci, bene observavit Heindorf ad Hor. Sat. 1, 3.

nam soleas dixerunt Romani „omnia id genus, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, cetera pæne nuda, et teretibus habenis vincta.“ Gell. N. A. 13, 21. Fiebant ex aluta coccinea, ex pelle hædina &c. Distinguebantur purpura et auro. Mirum videtur, nemini interpretum h. l. in mentem venisse, quod Persius vocem *crepidas* retulerit ad literas, adeo ut ea denotetur studium Græcæ tragoediæ, quo sensus dignior et nexui orationis aptior evadit. *Crepidas* ita veteribus acceptas fuisse, docet locus Lydi Philadelphini *) 1, 40. ὁ δε μυθος τεμνεται εις δυο, εις Κρηπιδαταν και Πραιτεξταταν, ὡν ἡ μεν Κρηπιδατα Ἑλληνικας ἐχει ὑποθεσεις, ἡ δε Πραιτεξτατα Ρωμαικας. Quæ verba cum Donati de comoedia et tragoedia collata et a Reuvens emendata **) ostendunt, quod Cre-

---

127. Verum soleæ Romanis erant consuetum pedum indumentum domesticum, nonnumquam etiam publicum, Cic. Verr. 5, 38. Hor. 2, 8, 77. Martial. 14, 65, 1. Senec. Controv. 4, 25. At de crepidis Suetonius Tiber. 13, 1. hunc, deposito patrio habitu, ad pallium et crepidas se redegisse, dicit, et de Caligula 52, 2. ubi de peregrino eius vestitu agitur,' eum in crepidis processisse; item de Domitiano 4, 11. eum certamini præsedisse crepidatum, purpureaque amictum toga Græcanica.

*) I. L. Lydi Philadelphini de magistratibus reip. Romanæ libri 3, nunc primum in lucem editi, et versione, notis indicibusque aucti a I. D. Fuss. Paris. 1812.

**) Verba Donati hæc sunt: „Fabula generale nomen est; eius duæ primæ partes sunt tragoedia et comoedia. Si latina argumentatio sit, prætextata dicitur. Comoedia

pidatam dixerint tragoediam de Græco sermone translatam vel diffictam, Prætextatam vero tragoediam Romanæ originis. Crepidis scilicet Græci utebantur in scena, quod indicat Vita Sophoclis: *φησι δε και Ιερος τας λευκας κρηπιδας αὐτον ἐξευρηκεναι, ἀς ὑποδενται οἱ τε ὑποκριται και οἱ χορευται.*

128. „Poscit," quod Casaubono placet, non tanti est, ut contra codices plerosque recipiatur. Cum nonnulli ita legerint, hoc pro coniunctivo aptiore a librariis ob antecedentem indicativum illatum esse, recte existimat Weber.

129. 130. *Seque*, antiquæ recensioni Pithoeanæ receptum, nostris etiam codicibus probatur. *Italo honore.* „Universa Italia ius civitatis quidem, diu desideratum armisque petitum, sensim paulatimque obtinuerat, verum municipiorum et coloniarum differentia, ius porro Latium atque Italicum remansit. Posuit Noster quendam non iure Quiritium, sed Ita-

---

autem multas species habet. Aut enim palliata est &c. Hæc Reuvens in Collectaneis literariis, Lugd. Bat. 1815. secutus, locum Lydi ita legit: *ὁ δε μυθος τεμνεται εἰς δυο, εἰς Τραγῳδιαν και Κωμῳδιαν. Και ἡ μεν Τραγῳδια εἰς Κρηπιδατην και Πραιτεξταταν* &c. iterumque ex his verba Donati ita emendat: Fabula generale nomen est; eius duæ primæ partes sunt tragoedia et comoedia. Tragoedia, si græca argumentatio, crepidata; si latina argumentatio sit, prætextata dicitur &c. Vid. Goetting. gel. Anz. 1818. St. 184. cf. Schol. vet. ad Iuvenal. 1, 3. et Barthii Advers. 13, 13.

lico, magistratu non Romæ gesto, sed Areti, Etruriæ oppido, inflatum; stultitia enim, quæ cum omni fastu coniuncta est, rei, qua quis superbit, inanitate et exiguitate augetur.“ Koenig. Municipalem item magistratum arrogantem ridet Horatius Sat. 1, 5, 34. et Ædilem imperiosum Plautus Capt. 4, 1. *Supinus*, qui incedit, quasi veru deglutisset, ὀβελισκον καταπιων περιπατεις. Epict. apud Arrianum 1, 21. Ad *Ædiles* plebis, præter annonam, ædium sacrarum, publicorum locorum ludorumque cura antiquitus pertinebat; cum vero harum rerum procuratio ab Ædilibus curulibus suscepta fuisset, sola fere annonæ, rerum promercalium &c. cura eis concessa est. Visuntur in nummis Ædiles plebis, sellis vulgaribus insidentes; utrimque autem modius cum spica, quæ symbola, et apparens præterea spiciferæ Cereris caput, annonæ procurationem arguunt. *Fregerit heminas iniquas.* Ut minima maximis, secura periculosis, ædilitatem municipalem Iuvenalis opponit imperatoriis Seiani ornamentis, mensuras illud frangendi ius ita describens: „Huius, qui trahitur, prætextam sumere mavis, An Fidenarum, Gabiorumque esse potestas, Et de mensura ius dicere, vasa minora Frangere pannosus vacuis Ædilis Ulubris?“ Sat. 10, 99. *Aretium*, hodie Arezzo, vetustissimum Etruriæ oppidulum, olim vasorum fictilium (Plin. H. N. 35, 12. Martial. 1, 54, 6. 14, 98. Winckelmann von der Kunst der Hetrurier, Werke, herausg. von Meyer u. Schulze. B. 3. p. 253.) postmodo Petrarchæ poetæ, Aretini satirici, et Gui-

donis, notarum musicarum inventoris, nobilis patria. Geminatum r Arretii et Arretini, quod est in antiquis inscriptionibus (v. Duker et Drakenb. ad Liv. 9, 32. init. et 10, 37, 4.) codd. nostri improbant.

131. *Abacus* vel abaculus, Græcorum ἄβαξ vel ἀβακισκος. Casaubonus *abaco* arithmeticam, et *pulvere* geometriam significari voluit, quæ descriptio matheseos, veteribus insolita, eo etiam nomine displicuit Passowio, quod abacus arena, lineis ducendis apposita, conspergebatur. Verum mensulam geometricam, cui arena ad figuras scribendas adhibita est, Græcis et Romanis *abacum* dictam esse, negavit cel. Grotefend. *Abacum* hic dicit tabulam arithmeticam, ad decadem accommodatam, Pythagoræ ex Ægypto cognitam, nec non tabulam, numeris multiplicandis factam, quæ dicitur Pythagorica, ab ipso Pythagora inventa. Locum, quem tractamus, Persii, male intellectum, errorem adduxisse existimat. *) Quæ si ita sint, interpretatio Casauboni non videtur reiicienda. Pro *secto*, diviso, Grotefend l. cit. legit „facto," quod nostri codd. omnes improbant. Haud temere membr. Norimb. et codex Haun. 4 *in* omittunt, sed plurium sequimur auctoritatem.

132. *Scit* &c. in hoc tantum ingeniosus, promptus cachinnum tollere &c.

*) Allg. Encyklop. der Wissensch. u. Künste. Lips. 1818. tit. A. B. C.

133. Quod apud antiquos philosophos ab animo, a corpore abstracto, profectum erat, tempore procedente in affectationem abiit. *Barbam* pascere promissam, *βαθυν πωγωνα και σεμνον* dicebant, philosophis omnibus, præter Stoicos (Iuvenal. 2, 15.) sapientiæ erat argumentum et insigne. Inde Horatius barbam appellat „sapientem" Sat. 2, 3, 35. et Iuvenalis „gravem" 10, 226. Hinc etiam adagium: *πωγωνοτροφια φιλοσοφον ὲ ποιει*, quod Th. Morus in epigrammate ita transtulit: „Si promissa facit sapientem barba, quid obstat, Barbatus possit quin caper esse Plato?" Barba *Cynici* inprimis erant conspicui, de quorum hac in re arrogantia et sorditie Martialis 4, 53. 14, 81. Lucianus in Cynico et alias compluries, Gellius N. A. 9, 2. Apuleius cet. Romanis, qui tunc temporis barbam non alebant *) præsertim Græcarum disciplina-

*) „Tonsores primum in Italiam ex Sicilia venerunt a. U. C. 454 adducente P. Ticinio Mena; ante intonsi fuerunt Romani. Primus omnium radi quotidie instituit Africanus; sequens Augustus cultris semper usus est. Plin. H. N. 7, 59. Varro R. R. 2, 11. Romanis nimirum triplex in barbis mos fuit: ante minorem Africanum, ut nemo raderetur; post Africanum, ut invenes tantum; postremis reipublicæ temporibus, ut omnes, exceptis quibusdam adolescentulis lasciviæ deditis. v. Cic. ad Att. Ep. 1, 14. Or. pro Coelio c. 14. Gellii N. A. 3, 4. cf. P. Manutii Comment. in Cic. Or. pro L. Murena c. 12. Hadrianus barbam denuo nutrire coepit, quod et alii postea imitati sunt. Dio Cass. Traian. Ideoque omnes imperatores ad Hadrianum usque rasi, reliqui vero barbati in imagini-

rum osoribus, h. l. notatis, cultus Cynicorum, ab usu communi recedens, tanto magis displicuit, quanto minorem eorum hominum fastus et morum obscenitas haberet excusationem. Excipiebantur ergo publica obviorum et varia irrisione, quam tamen Persius, tamquam feritatis et agrestis immanitatis indicem, minime laudat, forsan etiam respiciens ad unum alterumve tum viventem Cynicum, virtute commendabilem, qualis ille Demetrius, de quo Seneca: „Huic non dubito quin providentia et talem vitam et talem dicendi facultatem dederit, ne aut exemplum sæculo nostro, aut convicium deesset.“ de Benef. 7, 8, 2. vel nexum spectans, quo secta illa philosophica et Stoica, cui ipse deditus erat, inter se cohærebant. *Vellere barbam*, Græcis τον πωγωνα τιλλειν, 2, 28. repetitum, summum contemptum et ludibrium significat. Idem in casu simili Horatius Sat. 1, 3, 133. Romani ita per contemptum illudebant occisis exosis.*) „*No-*

---

bus conspiciuntur. Græcorum vetustissimi usque ad ætatem Alexandri barbam alebant. Tum labrum modo superius, postmodum etiam mentum radebatur. Athenæi Deipnos. 13, 18.

*) Plautiano, iussu Antonini interfecto, pilos quidam ex mento eius evulsos (ἀυτον τις των τριχων τα γενεια ἐτιλας) Iuliæ Plautillæque, quæ tum una erant, affert antequam aliquid de cæde audivissent, „Vos, inquiens, vestrum Plautianum videte!“ Dio Cass. in Severo. Idem de Vitellio: ὁι δε τα γενεια ἐτιλλον. Cum vero hanc vocem Casaubonus ita videtur interpretari, ac si barbam Socratis

naria dicta est meretrix, quia apud veteres a nona hora (vespertina) prostabant, ne mane omissa exercitatione illo irent adolescentes." Vet. Schol. Hinc lucernarum in lupanaribus mentio Hor. Sat. 2, 7, 48. Iuvenal. 6, 130. „Hora nona cellis apertis hæc se turpitudo prostituebat. Clausæ nimirum, quamdiu seriæ horæ et curæ essent." Eryc. Puteanus de Nundinis Rom. 5. Tintinnabulo lenones, qua hora in lupanaria eundum esset, significasse, refert Flav. Eutropius in Hist. Rom. 13. Ceterum nomen *nonariæ*, meretrici per opprobrium additum, eiusdem est generis, ac „quadrantaria," mulier, cui in pusillo numismate satisfieri potest. Cic. Or. pro Cælio 26. Quinct. Inst. Or. 8, 6, 53.

134. *His mane* &c. „Hos tales auditores a satiris ego meis ablego ad Neronis edictum, vocantis popel-

---

vulserint Athenienses, dicens ad h. l. „Sic olim Socrates, per Athenas ingrediens, solitus παρατίλλεσθαι, ut ait Laertius," ipsa Laertii verba inspicienda: *Πολλακις δε βιαιοτερον εν ταις ζητησεσι διαλεγομενον κονδυλιζεσθαι και παρατιλλεσθαι, το πλεον τε γελασθαι και καταφρονεμενον, και παντα ταυτα φερειν ανεξικακως*, quæ sensum omnino alium exhibent: Socratem scilicet inter loquendum, agente id disputationis vehementia, iactare digitos solitum, et crines vellere, ita ut a plerisque rideretur et haberetur despectui, cum tamen hæc omnia æquo animo tulisse. Addendum videtur de ignominiosa illa vellicatione, quod iure Romano pro maiori iniuria æstimatum fuerit, si quis alteri crines aut barbam expilaverit, quam si manu cum percusserit, id quod ex Baldo probavit Manochius, sui ævi Baldus, de Arbitr. Iud. Quæst. c. 2.

lum et pollicentis cantationem, sc. Calirrhoen" Marcilius. Quam explicationem, rei hac in satira tractatæ et iam concinne finiendæ apprime congruentem, miror quod omnes interpretes prætermiserint, tamquam ignorantes. *Edictum* Romanis fuisse libellum ad columnas propositum, inscriptionem, Græcorum πινακιον, πιττακιον, diligens ille criticus sæculi 16 exeuntis satis probavit, locis e veteribus adductis. De Calirrhoe, a Nerone decantata, nullum attulit locum, nec est ut afferatur. Hunc tragoedias in theatro cantasse, ex ante dictis notum est. Qui illum nolit, alium quendam poetam, novæ iuncturæ deditum, Calirrhoen suam publice cantantem vel agentem, accipiat. In hanc sententiam vetus Scholiastes: „do eis cantandam tragoediam poetæ cuiusdam indocti, qui Calirrhoen vel aliquam historiam pueriliter et indocte scripsit." Quibus addit: „Hæc Calirrhoe nympha fuit, quam Paris ante Helenæ raptum habebat, quæ deserta multum dicitur rupti amoris dulce flevisse consortium." Scilicet Oenonen spectat, nympham Idæam, nomine poetico Pulchrifluæ ornatam; hanc enim Calirrhoen vocatam esse, nec Homerus, qui illum Paridis amorem dicit, nec sequentes poetæ commemorant. Verum fabulis non desunt aliæ huius nominis feminæ, quales filia Oceani, (Hymn. in Cer. 419.) Scamandri, (Apollodor. 3, 11.) Acheloi, (Pausan. 8, 24, 4. Ovid. Metam. 9, 415.) Calydonia, (Pausan. 7, 21, 1.) &c. Hoc adscito sensu non opus est ut *prandium*, Romanis meridianum, poetica licentia pro cena positum sumatur ob

adiectum opus tenebrarum, quod non ultimum est vulgaris interpretationis incommodum. De illa ceteris approbata interpretatione, qua sensum ita constituunt: „hi mane fori negotia curent, post cenam cum scortis rem habeant," adeundus inprimis Passowius. *Edictum*, absolute positum, ita denotat decretum prætoris urbani, quod ad forum et fori negotia, vulgares scilicet causidicorum actus forenses, res poetæ in maiora nitenti leviusculas, vel ad iners otium hominum in foro volitantium (Cic. Or. 2. in Catilin. 3.) transfertur, ingeniose quidem, sed non satis simpliciter. Præferenda videtur explicatio Herderi: „Oeffentliche Anschläge; bey uns: Intelligenzblätter, Iournale, modische Zeitungen u. f." *) *Calirrhoen* nomen scorti dicunt, pro scorto quocumque adhibitum, adeo ut nomen sit generale scortorum, quale Lais, Phryne, Neæra, id quod gratis sumpsisse videntur, omnibus argumentis destituti.

*) Publicationis eiusmodi vestigia Pompeiorum effossione detectorum scriptor recentissimus L. G. de Agyagsalva: Wanderungen durch Pompeii. Wien 1825. fol. invenit: inscriptiones sc. in angulis viarum coloribus incrustatas, quarum duas affert, unam, qua gladiatorium munus, alterum, qua elocanda villa indicaretur.

SATIRA II.

Epistola ad Plotium Macrinum, die eius natali missa, inscribitur: „de bona mente," quam Persius amico suo gratulatur, aliorum stulta et impia vota damnans, et in eos præsertim invehens, qui Deos cupiditatis suæ modulo metientes, opimas hostias et pretiosas res iis placere arbitrantur, cum pia mens sit munus superis gratissimum.

1. Vetus Scholiastes *Plotium Macrinum* vocat „hominem sane eruditum et paterno Persium affectu diligentem, qui in domo Servilii didicerat, a quo agellum comparaverat, indulto sibi pretio aliquanto." *Hunc diem* &c. Multi Romanis dies erant atri, religiosi, ominosi, moesti, lugubres. Gellii N. A. 5, 17. Dies felices albos, inauspicatos appellabant nigros, felicia omnia albo, infausta et ominosa atro colore notantes. Ita Persius 5, 108. „Illa prius creta, mox hæc carbone notasti?" et Horatius Od. 1, 36, 10. Cressa *) ne careat pulchra dies nota." cf. Martial. 9, 55, 5. Plin.

*) „Cressam" Horatius Cretensem accipit, non quia Creticæ genti mos ille, sed quia cretæ terræ candidæ nomen a Creta insula. Isidor. 16, 1. Blennos Marcilius non iniuria illos dicit, qui Thressam ibi notam reposuerunt, ad morem Thracicum respicientes; nam Thressa sive Thracica nota et candida erat et nigra, vel, ut apud Plinium, colore distincta.

Ep. 6, 11, 2. Morem a Thracibus translatum ferunt.*) Natalem diem Romanis festum fuisse, testantur loca: Plaut. Pseud. 1, 2, 30. Tibul. 4, 9. Martial. 8, 38, 12. Iuvenal. 11, 85. 12, 1. &c.

2. *Labentes* annos dixit, non pro „lapsis," ut est apud Casaubonum, sed pro renovatis et quovis die natali quasi redintegratis annis. Vid. Meister Letzte Studien &c. p. 87.

3. *Genium* dicebant veteres „naturalem Deum uniuscuiusque loci, vel rei, vel hominis." Serv. ad Virg. Georg. 1. ὀπαδον vel συνοπαδον, Iamblich. Vit. Pyth. „Deprehenderunt philosophi, ad omnia honesta impelli nos Genio et numine quodam familiari, quod nobis nascentibus datur." Idem ad Æneid. 9. Superest locus ille Menandri: Απαντι δαιμων ἀνδρι συμπαριστασαι, Ενθυς γενομενω μυσαγογος τυ βιυ &c. „Genius

*) Thraces vesperi, priusquam dormirent, calculum in pharetram mittebant, candidum, si forte is dies citra molestiam abiisset, atrum, si secus. Demum ubi quis vita decederet, eius pharetram proferebant, in qua si plures candidos calculos reperissent, felicem, si plures nigros, infelicem vixisse, pronuntiabant, atque hinc vitæ summam æstimabant. Quod aut superstitiosum notavit Plinius: „Vana mortalitas, et ad circumscribendum se ipsam ingeniosa, computat more Thraciæ gentis, quæ calculos colore distinctos pro experimento cuiusque dici in urnam condit, ac supremo die separatos dinumerat, atque ita de quoque pronuntiat. Quid quod, iste calculi candore illo laudatus dies originem mali habuit? &c. H. N. 7, 10.

cuique viro *) adest, qui nato continuo sit dux vitæ bonus; malum enim Genium non credendum est existere, qui vitam lædat bonam; quemvis enim Deum bonum esse oportet.“**) Vid. Menandri et Philemonis Reliquiæ, ed. Clerici Amst. 1709. p. 260. Cuius loci initium (totum nobis Clementis Stromata 5. reservarunt) laudat Am. Marc. 21, 14. plura disserens de Geniis. Cfr. quæ de Genio Socratis habent Plato, Xenophon, Plutarchus, Cicero, Apuleius. Genium in formam serpentis antiquitus effictum fuisse, iam diximus ad 1, 113.***) In natalitiis celebrandis præcipua erat Genio religio. Colebatur ut Deus natalis. Tibul.

*) Viros modo Genium habuisse, veterum quibusdam visum est. Mulieres saltim Iunonem natalem venerabantur, Tibul. 4, 6, 1. et per eam iurabant 3, 6, 48. ut viri per Genium, 4, 5, 8. Conferas tamen quæ ad 1, 113. notavimus.

**) Persium malum Genium, æque ac bonum, accepisse, ostendit 4, 27. Ita et Servius ad Æneid. 6, 743. „Cum nascimur, duos Genios sortimur; unus est, qui hortatur ad bona, alter, qui depravat ad ma[illegible].“ Videtur ergo idea Genii unius et boni, Græcis concepta, Romanis variata. Unum tamen Genium, sed „mutabilem, album et atrum,“ sumpsit Horatius Ep. 2, 2, 189.

***) Humanam etiam figuram in vetustis nonnullis imperatorum monetis videtur indutus, pateram dextra super aram sertis ornatam porriciens, læva vero propendulum flagellum vel simile quiddam tenens. Genii pueri et adolescentes artificiosi operis antiqui formosissimi etiamnum Romæ visuntur in palatio Vaticano et Farnesio, in villa Borghesii, Pamfili ect.

4, 5, 19. *Merum* ei effundebatur. Tibul. 1, 7, 49. 2, 3, 5–8. „Floribus et vino piabant Genium, memorem brevis ævi.“ Hor. Ep. 2, 1, 144. brevis, quam homo transigit, ætatis memorem custodem, et gaudii inde percipiendi hortatorem. Ad quæstionem, cur *mero*, non hostia, Genium veteres placaverint, Varro in libro, qui inscribitur Articulus sive de Numeris, et Censorinus de Die Natali 3. ita: „Id moris,“ respondent, „institutique maiores nostri tenuerunt, ut cum die natali munus annale Genio solverent, manum a cæde et sangvine abstinerent, ne die, qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent.“ Vid. Gyraldi Hist. Deorum. Synt. 15. Ad quæ Turnebus, locum Persii respiciens: „Hoc in versu sensus non eminet foras, sed intus latet; nam etsi quod a Censorino refertur, verum est, Genio vinum libari, non hostiam cædi, ne qua die vitam accepimus, aliis adimamus, tamen intelligendum arbitror, Persium dicere Macrino: nihil necesse est, rem divinam cæsa opima hostia facere, cum solo vino vir præsertim bonus litare possit, ut sumptuoso sacro non sint ei emendæ Deorum aures ad vota audienda; illis enim esse opus magnis sacrificiis, qui Deos corrumpere et eblandiri volunt, improbaque vota impetrare student, sub lingua murmuranda, non palam enuntianda.“ Adv. 25, 14. *Non tu* &c. A sana mente Macrini, non iniqua a Diis petentis, occasionem capit, preces et vota sui temporis prava et superstitiosa perstringendi. *Prece emaci.* Eiusmodi ὁσιότητα Plato in Eutyphrone „artem mercatoriam“ dicit, ἐμπορικὴν

τὴν θεοῖς καὶ ἀνθρώποις παρ' ἀλλήλων. Quod in illa religione turpe sit et indignum, persequitur Simplicius in Epictetum c. 38. *Poscis*, tamquam debitum et sumptuosis sacrificiis emeritum efflagitas. Pro *poscis* cod. Haun. septimus satis insipienter: „motus."

4. *Seducere* ab hominibus, quibuscum sine arbitris colloquimur, ad Deos translatum. *)

5. *Bona pars*, maior pars, formula Latinis, ut et nobis, ex usu vitæ communis desumpta. Ita „bona

*) Originem huius superstitionis non quidem cum Heÿnio (ad Tibull. 2, 1, 84.) invenerim in Homero Il. 7, 194-6, ubi tacitas preces Græcis Aiax præcipit prudenter, ἵνα μὴ Τρῶες γε πύθωνται, non vero improbe; potius autem in præcepto Pythagoræo: μετὰ φωνῆς εὔχεσθαι, de quo Clemens Alexandrinus: „Quid ergo Pythagoræi volunt, præcipientes, clara voce precari? Meo quidem animo illi hoc, non quod putarent, Deos exaudire non posse, si quid tacite precemur, sed quia voluere, iustas hominum esse preces, et quas non vererentur facere multis arbitris." Strom. 4. Huc refer sublimem Senecæ sententiam: „Tunc scito te esse omnibus cupiditatibus solutum, cum eo perveneris, ut nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam." Addit: „Nunc enim quanta dementia est hominum? Turpissima vota Diis insusurrant. Si quis admoverit aurem, conticescent, et quod scire hominem nolunt, Deo narrant. Vide ergo ne hoc præcipi salubriter possit: Sic vive cum hominibus, tamquam Deus videat; sic loquere cum Deo, tamquam homines audiant." Ep. 10, 5. Quod ut sanctum præceptum philosophiæ Vettius repetiit apud Macrobium, Saturn. 1, 7. Cfr. Senec. de Benef. 2, 1, 4. 6, 38, 5. Hor. Ep. 1, 16, 57. Martial. 1, 40, 6.

pars“ hominum. Hor. Sat. 1, 1, 61. ad quem locum Porphyrion: „*bona* nunc pro magna dictum, ut sæpe Ennius et alii veteres.“ Cf. Vorstius de Lat. falso susp. *Proceres*, nobiles Romani, quos carpit per antithesin laudati Macrini. *Libabit* (codd. Haun. omnes et plerique alii.) pro libat, libare solet. De lectione „libavit,“ tribus Achaintrii aliisque probata, non quidem cum Casaubono dixerim, Latinos sic non loqui, nam perfectum Latinorum vim aoristi habere constat; nec ausim dicere cum Webero, eos, qui illam vim non agnoscerent, loco perfecti, futurum ubique intulisse, cum exempla a Casaubono et recentioribus Grammaticis allata usum futuri pro præsenti satis probant. *Acerra*, pyxis sive arcula turaria, e qua tus antiqui Diis inter sacrificandum proferebant. Hor. Od. 3, 8, 2. Ovid. Fast. 4, 934. *Tacita acerra* metonymice, ut „luminibus tacitis“ Virg. Æn. 4, 364. Quod „acerra parva,“ grandi lanci opposita Ovid. Pont. 4, 8, 39. pauperibus tribuitur, inde non sequi existimo, eam hoc loco, ubi sine oppositione usurpatur, proceribus improprie tribui.

6. Pro *promptum* cod. 1. Haun. „proprium.“ *Murmur.* Verba non satis distincte pronuntiata. cf. 2, 9. 3, 81. 5, 11. De illo murmure Iuvenalis: „Formam optat modico pueris, maiore puellis Murmure, cum Veneris fanum videt anxia mater.“ 10, 289. et Seneca, cum Ep. 41, 1. non exorandum ædituum ait, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat. Quicumque in templis Italicis ipso

nostro tempore coetibus precantium adfuerit, rem intelliget. *)

7. *Aperto vivere voto.* Seneca „aperto ostio vivere“ dicit. Quærenti Lucilio, quomodo quæ ipse faceret, ad eum allata essent, ita respondet: „Eo tibi diligentius vivendum est. Tunc autem felicem te esse iudica, cum poteris in publico vivere, cum te

*) Narrationem de Italorum in templis hodie precantium *murmure* et *susurro* utique non *humili* audiamus ex itinerario recentiori: „Einst traten wir in eine kleine Kirche auf dem Mercato (in Neapel) deren Wände über und über mit Gypsabformungen verstümmelter Gliedmassen behangen waren, welche die Geheilten hier als Votivgeschenke dargebracht hatten, ganz nach der Weise der Alten, den Aesculaps- und andern Tempeln dergleichen *ἀναθήματα* zu weihen. Eine grosse Anzahl Lazzaroni, Männer und Frauen, lag vor den Altären, und schien nicht so wohl zu beten, als mit den Madonnen- u. Heiligenbildern in mehr oder minder lebhaftem Gespräche und Wortwechsel begriffen zu seyn. Einige weinten und thaten demüthig, reuevoll und unterwürfig, als wollten sie alle Sünden wieder gut machen; Andere gebehrdeten sich trotzend und drohend; noch Andere schienen den Heiligen bittere Vorwürfe zu machen, und ihnen alle vergeblich gebrachten Opfer und Gebete vorzurücken; wieder Andere schienen das ganze Feuer ihrer Ueberredungskunst aufzubieten, und dem Santo zur Gewährung der Bitten zu vermögen — die meistens sich auf — Glück im Lotto beziehen.“ Friedländer, Ansichten von Italien. Lips. 1820. P. 2. p. 250. Cf. Vestiges of ancient manners and customs discoverables in modern Italy and Sicily. By the Rev. Iohn I. Blunt. Lond. 1823. cap. 6.

parietes tui tegent, non abscondent: quos plerumque circumdatos nobis iudicamus, non ut tutius vivamus, sed ut peccemus occultius. Rem dicam, ex qua mores æstimes nostros: Vix quemquam invenies, qui possit aperto ostio vivere. Ianitores conscientia nostra, non superbia opposuit. Sic vivimus, ut deprehendi sit, subito adspici.“ Epist. 43, 2. 3. Haud secus M. Drusus, qui promittenti architecto, ita se domum ædificaturum, ut nemo in eam despicere posset, „Tu vero,“ respondit, „si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut quidquid agam, ab omnibus perspici possit. Vell. Paterc. 2, 14.

8. *Mens bona* &c. Solemnem hanc voti formulam fuisse, Marcilius bene observavit: „Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.“ Iuvenal. 10, 356. „Ac ne bonam quidem mentem, aut bonam valetudinem petunt.“ Petron. c. 88. *Hæc clare.* Ita vir bonus Horatii Ep. 1, 16, 59.

9. *Illa sibi* &c. Ita vir dictus bonus apud Horatium: „Iane pater! clare, clare cum dixit: Apollo!“ mox „Labra movet, metuens audiri,“ vota mala intra se tacite pronuntians. Pro *sibi* Turnebus „sed“ invenit lectum, utrumque probandum; at nostri codd. omnes: *sibi. Sub lingua*, ut extra os non prodeat. „Græci ὑπὸ ὀδόντα dicere amant, non ὑπὸ γλῶσσαν.“ Casaub. „Tacite et intra nosmet ipsos precari“ dixit Seneca de Benef. 2, 1. Pro *immurmurat* codd. Haun. 1. 7. „murmurat.“

10. *Ebullit* pro ebullierit, enallage temporis præs. pro fut. exact. quo voti vehementia videtur exprimenda. Ita Haun. 1. 4. et pleræq. editiones. Alii, quorum Haun. tertius, quinque apud Achaintr. et duo Heinsii, cit. ad Ovid. Trist. 3, 5, 40. legunt „ebullet," non quidem male, cum Lactantius fontium venas „ebullare" dixit de Pallio 2. Sed prior lectio ut codicibus ita Latinitati frequentior. „Ebullire animam" Petronius c. 42. et 62. et Seneca in *Ἀποκολ.* dixerunt pro „mori." Hoc loco absolute ponitur, ut „exspirare." Eo adscito sensu, non de funere apte dici videtur, quod ebulliat; nec vis satirica vocis *præclarum* satis apparebit, nisi interpunctione separetur. Opportune igitur factum est, ut Heinsius lectionem *patruus* in optimis membranis invenerit (vide Petronium P. Burmanni, obs. ad c. 42.) quam cum Reizio præferendam vulgari existimo, ita legens: *Ebullit patruus, præclarum funus!* Hic de morte patrui, tutoris forsan morosi et difficilis, vota faciens, benevolum simulat animum, cum defuncto magnum funeris apparatum pollicetur. cf. 6, 35. Quin erant Romæ perditi homines, qui mortem propinquorum, cum sibi nimis diu vivere viderentur, non voto solum expeterent, sed ipsa manu iniecta vel dato veneno accelerarent. Vide apud Horatium Satirarum locum acerrimum 2, 1, 50–56. Ad *O si* et formulam optativam conf. quod observavit Ruddimannus Inst. Gram. Lat. I. p. 204. II. p. 513.

11. *Sub rastro* &c. „Inter arandum exoptatissimum mihi sonum edat thesaurus vomere effossus!“ Idem stultorum votum Horatio: „O si urnam argenti fors quæ mihi monstret, ut illi, Thesauro invento qui mercenarius agrum Illum ipsum mercatus aravit, dives amico Hercule!“ Sat. 2, 6, 10. Quod si Persius imitatus sit, Petronius certe totum nostrum locum respexisse videatur, c. 88. *) *Seria*, fictile vas oblongum. „In testaceis vasculis thesaurus sæpe reconditur,“ Hieronymus Epist. 59. ubi Marcilius eum de verbis Paulli 2 Cor. 4, 7. ἐχομεν δε τον θησαυρον τουτον ἐν ὀστρακινοις σκευεσιν cogitasse existimat. *Dextro Hercule*, ut *Iove dextro* 5, 114. idem quod „amico Hercule“ Horatii l. cit. Numina dextra, quæ favere credebantur, læva, quæ placanda, ne nocerent. *Dextro* etiam in prosa usitatius quam „dextero“ thematis Græci δεξιτερος, cuius i per syncopen excidit, ut o in μενος mens, γενος gens. „Ut Mercurius apertis lucris et negotiationi præerat, sic Hercules opertis lucris sive thesauris.“**) Glossæ veteres Acronis et

*) „Ne bonam quidem mentem, aut bonam valetudinem petunt, sed statim, antequam limen Capitolii tangunt, alius donum promittit, si propinquum divitem extulerit, alius, si thesaurum effoderit, alius, si ad trecenties sestertium salvus pervenerit.“

**) Quod ad lucrum et negotiationem attinet, Hercules potius idem ac Mercurius fuisse videtur. Tutelaris erat Deus Tyriorum mercatura potentium, unde forsan nomen circuitoris, mercatoris, hebr. הרוכל ei inditum. In

Porphyrionis ad locum Horatii cit. Ad Herculem πλουτοδοτην respicit etiam Plautus Most. 4, 2, 67. „Fingitur Hercules semper apud se habuisse Amaltheæ cornu, unde thesauris recludendis et opibus largiendis præesse creditus est.“ Cruq. ad Hor. l. cit. Mercurium cornu copiæ Herculi dedisse, cum in Hispaniam proficisceretur abductum Geryonis boves, auctor est Hesychius, v. Ἀμαλθειας κερας.

12–14. *Pupillumve* &c. Cui proxime constitutus sum pupillariter. Ita substituti sæpe insidiatores pupillis, Hor. Sat. 2, 5. Ergo et adversus tales substitutos cautela est in sectione: „Sin autem.“ Institut. de pupillis subst. *Impello*, ut in ordine substitutionis aut turba heredum secundorum. *Expungam*, quasi testator ex tabulis testamenti, versu secundo. (Hor. Sat. 2, 5, 53). Nam expungere aut dispungere solitus testator in tabulis testamenti: dispungere, si mutavit aliquid, expungere, si delevit. Hinc formula testatoris: „Lituras, inductiones et superinductiones ipse feci.“ Marcil. Ita et Turnebus: „pupillus, cui heres proximus sum substitutus in secunda cera.“ Adv. 25, 14. Festinatio voti expressa est voce significantissima: *impello*, ab iis, qui in turba properantes sese trudunt invicem, translata. Casaub.

---

nummis saltim Phoeniciis conspicitur ut vetus Græcorum Hermes, barba promissa, caduceo ceterisque Hermetis attributis ornatus. Vid. Münter Religion der Karthager, et Bellermann Bemerkungen über phoen. Münzen.

Namque est scabiosus &c. Ratio voti ex adiuncta facilitate mortis, ipsi valetudinario exoptandæ. Ut Hebræi vitiliginosos aversabantur, sic et Romani abominabantur scabiem, quæ summam cutem, ut vitiligo et lepra, lædit et inficit, id quod apparet ex Hor. A. P. 453. Hinc scabies ad omnia vituperanda videtur translata, v. c. 5, 74. Hor. Ep. 1, 12, 14. A. P. 417. Iuvenal. 5, 153. *Bili* morbos corporis et animi tribuere, Persio esse solemne, observavit Meister Letzte Studien p. 110. *Nerio iam tertia ducitur uxor.* Ciceroni Ep. ad Quintum fr. 2, 3. *Nerius* index est, Horatio Sat. 2, 3, 69. fenerator, qui debitores nodosis tabulis obstringit. Pseudocornutus: „Nerius morte coniugum locupletatus fenerator est factus notissimus, de quo Horatius; Scribe decem a Nerio. Ille, inquit, nobilitatus coniunges tumulando.“ Lectionem „conditur,“ codd. aliquot, (v. c. Haun. 1. et exemplaribus Pithoeanis) numero tamen et auctoritate ceteris non præstantioribus, receptam, Turnebus Adv. 25, 14. concinniorem dicit, et ab antiquis exemplaribus assertam. Eam quoque membranæ, quibus usus est Casaubonus vetustissimis, exhibuerunt. Defendi eo nomine poterit, quod Martialis 10, 43. Persii sententiam suam faciat, voce usus eadem: „Septima iam, Phileros, tibi conditur uxor in agro; Plus nulli, Phileros, quam tibi, reddit ager.“ Officit quidem notioni illi sepulturæ, quod crematio funerum, antiquis Romanis insolita, iam Reipublicæ temporibus decreto, usque ad ævum Antoninorum vigente, sancita fuerit,

vid. P. Morestelli Pompa Feralis 10, 3 et 5. Hoc vero decretum non adeo ferreum fuisse, ut nullam omnino exceptionem haberet, et locus ille Martialis et alii Senecæ et Phædri de conditis cadaveribus ostendere videntur, nisi eos forsan de cinere humi condito explicaveris. Verum obiectio maioris momenti hæc est, quod Servius, vetustis illis Turnebi et Casauboni exemplaribus antiquior, cum ad Virg. Georg. 4, 256. versum citat Persii, non „conditur" legat, sed *ducitur*. Quam lectionem Casaubonus, tanta fretus auctoritate, textui haud temere restituit. Verum Servius addit, ducere esse proprie funerum, eaque significatione in Persii versu esse accipiendum; quibus verbis interpretes adducti, vocem de uxore Nerii sepulta, ad rogum elata, sumpserunt. Sed illa vocis significatio adeo dubia est, ut ne lexicographorum quidem locupletissimi eam Latinitati obtrudere ausi sint. Versus certe Virgilianus, in quo *ducere* de funere apium metaphorice sumitur, non exempli loco adducendus. Videtur Grammaticus quidam, interpretationem Servii perperam secutus, vocem „conditur", ut glossam, loco Persii apposuisse, quo factum est, ut textui Pithoei et exemplaribus ad eum compositis illa vox insereretur, et interpretamenti loco a plerisque commentatoribus teneretur. De plerisque dico, non omnibus. Ita Luc. Io. Scoppa, Grammaticus Neapolitanus, sæc. ineunte 16. clarissimus, in Collectan. 2, 12: „Avarus, uxoris mortem desiderans, invidet Nerio, qui duabus mortuis uxoribus tunc tertiam ducebat, et sic ditescebat,

at ipse suam, quam unicam habebat, sepelire non poterat.“ Et Io. Bondius, Anglus, in comment. Amstel. 1645: „Nerius, qui duas uxores sepelivit, et tertiam iam duxit, unde tres dotes est lucratus. Item Dav. Wedderburn, Scotus, in Persio enucleato Amst. 1664. „O si novis dotibus ditescam exemplo Nerii, qui post duas uxores elatas iam tertiam ducit, unde tertia dos illi obvenit.“ Inter recentiores modo I. F. Wagnerum in Persio germanice translato Luneb. 1811. et Censorem Ienensem (A. L. Z. 1822. n. 198.) huius sententiæ fautores invenio, quorum ille ita vertit: „Der Nerius, der kriegt sein drittes Weib!“ et hic, citata Scoppæ interpretatione, urget sermonis latini usum, hac in re firmiter adeo constitutum, ut cum de uxore ducenda dicitur, quisque illud non ad funera sed ad nuptias pertinere intelligat. *)

15. 16. *Hæc sancte* &c. Ad sacra accessuri primum aqua se abluebant, Plaut. Aulul. 3, 6, 43. Hor. Sat. 1, 5, 24. Virg. Æn. 9, 23. Macrob. Saturn. 3, 1. eaque vel fluviatili, Æneid. 2, 718. Sil. Ital. 8, 124. inprimis Tiberina, Iuvenal. 6, 522. vel marina, nam credebatur θαλασσα κλυζειν παντα τ' ανθρωπων κακα, Eurip. Iphigen. *Bis terque.* „Ter matutino Tiberi

*) His accedit interpres recentissimus Weber: „*Ducere* uxorem, ut sit sepelire, Latini non dicunt, nisi addito funere, vel exsequiis, vel alia voce, quibus dativus personæ, quæ sepelitur, vulgo accedit. Plin. H. N. 8, 42. „Rex defuncto ei duxit exsequias.“ Plin. 2, 109. Epist. 3, 16.“

mergetur, et ipsis Vorticibus timidum caput abluet," luv. l. c. de muliere superstitiosa. „Ter caput irrorat" &c. Ovid. Fast. 4, 315. et ibidem in Palilibus v. 777. „His Dea placanda est; hæc tu, conversus ad ortus, Dic ter, et in vivo prolue rore manus." (Ita enim legendum, non, ut in nonnullis editionibus: dic quater et vivo.) Numero trinario, quem non fas erat transgredi, aliquam vim inesse putabant ad placandum numen. „A natura accepimus tamquam leges illius,*) et ad sacrificia Deorum hoc utimur numero." Aristoteles de Coelo 1, 1. Vid. Valcken. ad Theocrit. 2, 43. et I. H. Voss ad Virg. Ecl. 8, 73. *Noctem* interpretes de sordibus e nocturno Venere contractis dictam volunt, et verum est, qvod antiqui aquæ aspersione castimoniam corporis se custodire existimaverint, vid. Tibul. 2, 1, 13. Cic. Or. pro Cæl. 14. nec aliter Hieronymus in Apolog. pro libris adversus Iovianum c. 7. Persium explicavit. Collatis vero locis aliis, v. c. Aristoph. in Ranis: „O noctem nigram tenebris . . rorem e flumine hydriis adferte . . ut divinum somnium

*) „Magnitudinis ea quidem, quæ ad unum, linea, quæ autem ad duo, planum, quæ vero ad tria, corpus (*μεγεθοις δε, το μεν εφ εν, γραμμη, το δε επι δυο, επιπεδον, το δε επι τρια, σωμα*) et præter has non est alia magnitudo, quoniam tria omnia sunt, et ter omniquaque. Quemadmodum enim aiunt et Pythagoræi, ipsum omne, et omnia, tribus determinata sunt; finis enim, et medium, et principium numerum habent eum, qui ipsius omnis est, hæc autem eum, qui trinitatis est. (*ταυτα δε τον της τριαδος*)."

abluam (ὡς ἂν θεῖον ὄνειρον ἀποπλύνω) et Martial. 11, 51, 8. „Expiet ut somnos &c. videtur potius de somniis, quam de Venere cogitandum.

A descriptione avari precantis transit Persius ad apostrophen, qua cum falsæ opinionis de Diis conceptæ arguit.

17. 18. *Minimum est, quod scire laboro* non cum Casaubono ad orationem moratam, ut parentheticam Hor. Sat. 1, 1, 95. Ep. 1, 2, 5. sed ad ironicam refero. A maxime concessis disputat, ut stultitiæ eo maioris adversarium convincat. *Laboro* pro „cupio," ut sæpius Horatius aliique. Nec *præponere cures* ad sermonis pedestris exempla modo referendum videtur, cum de impio agitur, cui Deorum cura res est levissima.

19. 20. Hunc — *cuinam? cuinam?* Ita cum Casaubono membranæ et codd. plurimi. Facilius quidem „cuiquam" primo loco, nulla anteposita distinctione, quod præferunt recentiores Passow et Orellius. Sed et illa lectio antiquior sensum admittit satis probabilem. Sententia nimirum ad vocem *hunc* nondum absoluta, Persius hæsitat, comparationis novitate stupefactus, et interrogat: *cuinam?* qua interrogatione repetita, et re quasi deliberata, pergit quærens: *vis Staio?* Casaubonus, Koenig, Orellius h. l. interpellatorem, nulla urgente necessitate, induxisse videntur. Stalenum aut Staienum perditissimum describit Cicero Orr. 2. Verr. 32. pro Cluentio 7 et 25. et in Bruto 68. ad quem Persium respexisse vetus Scholiastes ita indi-

cat: „Staius tutor pupillarius fuit. Cutta et Albus (Bulbus), et ceteri præpositi, fuerunt iudices, qui in Iuniano iudicio corrupti, Oppianicum damnaverunt.“ *An scilicet hæres, Qvis* &c. Recentiorum quidam legunt cum Pithoeo: *hæres?* neglecto illo Casauboni præcepto: „Hæc ita uno spiritu continuanda, sublata interrogationis nota, quæ vulgo ponitur post hæres.“ Ea scilicet continuatione vis ironiæ nonnihil augebitur.

21–25. Argumentum a minori ad maius: Nemo, quantumvis sceleratissimus, pro tribunali sedens iudex, vocem illius ferat, qui talia a se petat; numnam ergo Iupiter eam ferat? Unde colligere est, talium votorum auctores Deos sibi fingere longe iniquiores, quam ullus hominum possit reperiri. Ad vocem *impellere* cf. Hor. Sat. 1, 3, 65. et Heindorph ad h. l. *O bone* Græcorum amice alloquendi formulæ ὦγαθε, ὦγαθοι respondere, idem observavit ad Hor. Sat. 2, 2, 1. et 2, 6, 51. 95. cf. Pers. 3, 94. 6, 43. *Iupiter* et Iuppiter in mss. in nummis et inscriptionibus; posterius quidem frequentius, sed rectius *Iupiter*, quod est Ζευς πατηρ, Iovis pater (de antiquo nominativo Iovis Priscianus apud Putschium c. 673. 695. Val. Probus ibid. c. 1446. Hygin. fab. 53. 54.) per contractionem Iovipater, Iupiter. Contractio vero per se iam longam facit syllabam, ut non opus sit p geminato. Vid. Car. Fea ad Hor. Od. 1, 2, 30. et K. L. Schneider, Formenlehre p. 426.

24. 25. „Hi duo versus sine interrogatione melius scribuntur, ut pronuntientur a Persio ἁπλως, narrante

hanc vulgi stultitiam. Ita recte Casaubonus et eum sequentes, qui tamen ad unum omnes, tamquam ex composito, signum interrogandi e textu eliminari non curarunt. Lentum vindictæ divinæ gradum impius ille homo prætendere sumitur, ut Iuvenal. 13, 100. „Ut sit magna, tamen certe lenta ira Deorum est; Si curant igitur cunctos punire nocentes, Quando ad me venient?“ et Ovid. Trist. 2, 1, 33. „Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat Iupiter, exiguo tempore inermis erit.“ Vid. libellus, inter moralia Plutarchi opera aureus: ὑπὸ τῶν θείων βραδέως τιμωρουμένων. *Ocius* vid. 5, 141. *Sulfur**) pro fulmine ob odorem et lucem communem. Plin H. N. 35, 15. § 50. in fine. Dicebatur *sacrum*, θεῖον, „habebat enim in religionibus locum, ad expiandas suffitu domos.“ Plin. l. cit. Homer. Odyss. 22, 481. Ovid. Fast. 4, 739. Propert. 4, 9, 38. Iuvenal. 2, 157. Claudian. de 6 cons. Hon. 324.

26. 27. *An quia non, fibris* &c. Commate ita interposito, ut servetur hendyadys, qua non duo consultores, Ergenna et fibræ ovium ponuntur, sed consultis fibris, quid opus sit Ergenna docet, ordo verborum minus inversus videbitur. „An quia non con-

*) Scribitur sulphur et sulfur. Prius defendit Manutius in Orthographia, quia veteres et sulpur scripserint; verum inde non sequitur, aspirationem Latini sermonis naturæ adversam adoptandam esse; posterius tuetur Vossius in Etymologia, quia non sit Græcæ originis, quocum facit K. L. Schneider, Elementarlehre p. 210. 267.

tinuo votis factis in ipso loco sacro a Iove fulmine tangeris &c.“ Haruspices consulebantur de fulguribus, terræ motibus, portentis, ostentis, monstris, prodigiis, eaque consulti interpretabantur, suscipienda aut non suscipienda monebant, expiabant et procurabant. Vide Dav. Ruhnkenii in Antiqv. Rom. Lect. Acad. ed. ab Eichstadio, Part. 6. 1822. cf. Haruspices P. Frandsenii Berol. 1823. *Ergenna*, fulguritorum interpres, nomen Etruscum, ut Porsenna al.*) In *lucos*, templa inumbrantes, si improbitate (h. l. impiis votis) profanarentur, fulmina mittere censebatur Iupiter. Ita Horatius: „Tu parum castis inimica mittes Fulmina lucis.“ Od. 1, 12, 59. *Triste bidental* locum, in quo quis ictus erat fulmine, dicit Horatius A. P. 471. sensu proprio, at Persius hominem ictum poetice. „Hominem ita exanimatum cremari fas non erat; condi terra religio tradidit.“ Plin. H. N. 2, 54. „Fulminati non movebantur in alium locum, sed ubicumque fulmine occupati, ibi sepeliebantur, vel septo clausi iacebant insepulti.“ Plutarch. in Symposio. Artemidor. 2, 8.**) Locum summo studio claudebant et sepiebant,

*) *Ergenna* ab ἀργεννος, E pro A more Etruscorum posito, quod ab ἀργης, fulminis genere apud veteres; unde *Ergennam* fulguratorem dicebant. vide Lydum de Ostentis p. 170. Romanis enim haruspices Etruscos fuisse, recens probatum est a P. Frandsen cit. et ante eum a Raven: Haruspices Romæ, utrum natione Etrusci, an Romani fuerint. Götting. 1822.

**) Legitur apud Festum hac de re in legibus Numæ: „Sei

fulminis vestigia dispersa colligebant, et ara ibi constructa, qua fulgur conditum dicebatur, sacra peragebant certis cærimoniis ex præscipto librorum fulguralium Etruscorum. *) Dicebatur locus ille *bidental*, quod in eo bidentes s. oves **) sacrificabantur. *Evitandum* bid. dixit Persius, quod „hoc modo contacta loca nec intueri (sic) nec calcari debere, fulgurales pronuntiant libri.“ Am. Marcell. 23, 5.

28. *Stolidam præbet barbam* pro: stolidus p. b. contumeliæ sese offert. Vid. 1, 133. *Barbam* Iovi promissam ab omni antiquitate tributam esse, constat. Hinc Cicero, de forma Deorum a pictoribus assumta agens, „Iovem semper barbatum, ut Apollinem sem-

---

hemonem fulmin Iobis ocisit, nei supera genua tolitod; hemo sei fulmined ocisus escit, oloo iousta nuli fieri oportetod.“

*) De libris fulguralibus vid. Plin. H. N. 2, 52. Senec. Nat. Quæst. 2, 47, et inprimis *Ἐφημερον βροντοσκοπιαν ἐκ των τα Ταγητος*, quam primus edidit I. Rutgersius Var. Lect. 3, 16.

**) „Bidentes oves dictæ quasi biennes, quia neque minores, neque maiores licebat hostias dare. Sunt enim in ovibus duo eminentiores dentes inter octo, qui non nisi circa bimatum apparent, nec in omnibus, sed in his, quæ aptæ sacrificiis inveniantur.“ Servius ad Virg. Æn. 4, 57. 6, 39. cfr. Macrobii Saturn. 6, 9. Gellii N. A. 16, 5. Non. 1, 264. His bidens est quasi biens, i. e. binorum annorum. At Festus, et vetus Scholiastes Horatii ad Od. 3, 13. item Vossius Etymol. ad h. v. et K. L. Schneider, Elementarlehre p. 260. bidentes ad duos ovium dentes eminulos referunt.

per imberbem „dicit," de Natura Deor. 1, 29. Iovem multum barbatum exhibent picturæ v. c. Mus. Florent. T. 2. tab. 3. cf. Winckelmanns Werke, herausg. von Meyer u. Schulze, Band 4. p. 96. Respicere videtur ad scelus Dionysii, „qui Æsculapii Epidauri barbam auream demi iussit, dicens, non convenire, barbatum esse filium, cum in omnibus fanis pater (Apollo) imberbis esset," Cic. de Nat. Deor. 3, 34. Iustin. 20, 5.*)

29. 30. *Mercede* data Deos redimi et conduci posse, vulgus hominum credebat, cui ergo Deorum cultus non erat ἐυσεβεια sed καπηλεια, non religio, sed mercatura. „Πειθειν δωρα και θεους, λογος." Euripides in Medea. Insano illi vulgo Ovidius sese adiunxit, dicens: „Munera, crede mihi, capiunt hominesque Deosque; Placatur donis Iupiter ipse datis." A. A. 3, 653.**) *Pulmone et lactibus unctis?* Hostiarum

*) Idem Iovi aureum detraxit amiculum grandi pondere, in eo cavillans, æstate illud grave esse, hieme frigidum. Cic. l. c. Qua de re monitum Ciceronis cap. sequ. ad locum Persii apprime pertinet: „Hunc igitur nec Olympius Iupiter fulmine percussit, nec Æsculapius misero diuturnoque morbo tabescentem interemit; atque in suo lectulo mortuus, in Tympanidis rogum illatus est, eamque potestatem, quam ipse per scelus erat nactus, quasi iustam et legitimam, hereditatis loco filio tradidit. Invita in hoc loco versatur oratio, videtur enim auctoritatem afferre peccandi. Recte videretur, nisi et virtutis et vitiorum, sine ulla divina ratione, grave ipsius conscientiæ pondus esset, qua sublata iacent omnia."

**) Rectius Seneca, cum de utilitatis studio Epicuræorum

vilissimum ponendo vim addit ironiæ. Lactes, intestina graciliora. Sing. „lactis agnina“ obsoletus. Titinnius apud Priscianum, Putsch. c. 686.

Iam v. 31 – 40. ridet vota muliercularum pro infantibus die lustrali suscepta, superstitiosa et inepta.

31. Interpretes dictum putant de die lustrico eiusque cærimoniis, Sueton. Calig. 25. et Ner. 6. Macrob. Sat. 1, 16. &c. descriptis. Eo die, maribus nono, feminis octavo, lustrabantur infantes, et nomen accipiebant. *Avia*, matertera. „Conveniebat ad nominalia omnis cognatio. Lustrandi partes propriæ piatricum muliercularum fuere, quæ erant anus recoctæ, circumferendi et omnium rituum illorum superstitiosorum peritæ.“ Casaub. *Metuens Divum*, superstitiosa ex mente veterum, qui venerationem Deorum religioni, timorem superstitioni tribuebant. Maximus Tyrius Serm. 4. pietatem a superstitione ita distinguit: *ἐι δε ἐςι και ἀνθρωποις προς θεους ἐπιμιξια, ὁ μεν ἐυσεβης φιλος θεω, ὁ δεισιδαιμων, κολαξ θεου.* Vid. Casaub. ad charact. *περι δεισιδαιμονιας*, Theophr.

---

disputat: „Propositum est nobis . . Deorum exemplum sequi. Dii autem quodcumque faciunt, in eo quid præter ipsam faciendi rationem sequuntur? Nisi forte existimas illos fructum operum suorum ex fumo extorum et turis odore percipere? Vide quanta quotidie moliantur, quanta distribuant, quantis terras fructibus implcant . . Omnia ista sine mercede, sine ullo ad ipsos perveniente commodo faciunt &c. de Benef. 4, 25.

16. Ita quoque distinguit Seneca de Clement. 2, 5, 1. „Religio Deos colit, superstitio violat," et Epist. 123, 16. „Superstitio error insanus est: amandos timet; quos colit, violat. Quid enim interest, utrum Deos neges, an infames?"

32. 33. *Cunis exemit puerum*, ut præsens sisteretur ad sacra, quæ pro ipsius salute tum aliis Diis Deabusque fiebant, tum etiam Deæ Cuninæ." Casaub. Cunis et pueris ipsis intra eas præerat illa Cunina Dea, de qua inscriptio apud Gruterum: „Cuninæ felici sacr. Claudia Helpis d. d." *) *Salivæ* pertinent ad Latinorum pluralia, quibus singulare collectivum exprimitur. Ita Propert. 4, 7, 45. Sueton. Vitell. 2, 9. Plin. H. N. sæpius. Illis mirifica quædam vis, tum ad alia, tum præsertim adversus fascinum, inesse veteres putabant. Ita saliva post aurem digito relata sollicitudinem animi propitiabant. Plin. H. N. 28, 2. Hominum inprimis ieiuna saliva contra serpentes erat præsidio. Despue-

*) *Cunarum*, quas vel nutrices vel servi cunarii movebant, forma erat varia. Quandoque navigioli speciem habebant, vel tectæ spinis, vel apertæ. Nonnumquam versatilibus fulcris huc illuc moti infantes, vel annulis pensilibus ad somnum compositi. Puerilem veterum cunas exhibet elegantissima tabella apud Lambecium, Comm. Biblioth. Cæsar. l. 3. Repositus in cunis infans involucra sua habuit, quæ vel fasciæ sive panni, toto corpore circumducti, vel incunabula, quibus alligabatur cunis, ne motu exturbaretur. Hinc locus Plauti Amphitr. 5, 1, 51. Vid. Th. Bartholinus de Puerperio Veterum. Cuna, sing. modo apud Prudentium et in glossis Philox. reperitur.

bantur comitiales morbi, fascinationes et occurrentis dextro pede claudi adversum omen. In omni mediçina moris erat terna despuere deprecatione, atque ita effectus adiuvare; incipientes furunculos ter præsignare ieiuna saliva. Extranei interventu si dormiens spectaretur infans, a nutrice ter adspuebatur cum terna precatione &c. ibid. c. 4. Mulieris ieiunæ salivam potentem diiudicabant oculis cruentatis. c. 7. Tibullus formulam magicam a puella ter esse recitandam, ait, terque despuendum, ad mala averruncanda, quæ mariti interventus afferre poterat. 1, 2, 54. Cf. Iuvenal. 7, 112. ubi vet. Schol. „propter fascinum verborum ter sibi in sinum spuunt, et videntur fascinum arcere, ut Persius de *matertera*;“ et quod noster H. N. Clausen de sputo lustrali attulit in libro obiectionibus hodie celebrato: Catholicismens og Protestantismens Kirkeforfatning &c. p. 605. Petronium aggressa anicula turbato sputo pulverem medio tollit digito, frontemque repugnantis signat. Satiric. 131. *) Quem „medium“ Petronius, *infamem* digitum Persius dicit, et Martialis „impudicum 6, 70, 5. Signum alias honoris fuisse, digito

*) Non veteribus solum sputum medicamen erat magicum. Ensalmadores, qui vocabantur Hispani recentioris ævi, in morbis curandis idem cum exsufflatione adhibebant. v. Delrio in Disquis. mag. Mogunt. 1606. T. 1. p. 66. Quin a Francogallo Camillo de Roquefeuil in itinerario (Reise um die Welt in den Jahren 1816-1819, übersetzt, Jena 1823. p. 81.) relatum legimus, cum, cum in ora Californiæ casas barbarorum hominum inviseret, matrem aliquam rogavisse, ut caput dolens pueri conspueret.

monstrari, iam diximus 1, 28. quo sensu etiam a Martiale sumitur 9, 98, 4. Verum medio monstrari digito, apud Romanos supremi contemptus et ignominiæ fuit indicium. Ita eo porrecto fortuna Iuvenal. 10, 55. et medici Mart. 6. cit. deridentur. Ignominiosa illa significatio orta videtur ex usu huius digiti obsceno, quem indicant loca Martial. 1, 95, 2. 2, 28, 2. Sueton. Calig. 56. Lamprid. Heliog. 10. Hinc forsan, quod cum ceteri Romanorum digiti onerabantur annulis, medius solus exciperetur. Plin. H. N. 33, 1. Medii digiti porrectionem etiam Græcis fuisse signum derisionis, inde constat, quod cum hospites quidam Athenas devenissent, ut Demosthenem, cuius famam acceperant domi, conspicerent, Diogenes τον μεσον δακτυλον ἐκτεινας, ἑτος, ἐφη, ἐστιν ὁ Ἀθηναιων δημαγωγος. Diog. Laert. 6, 35. Quo significare voluit irrisor, Demosthenem hominem esse mollem et effeminatum, cuius rei nomine male audiebat adeo, ut et βαταλος ideo ab Æschine cognominaretur.*) *Frons* Genio olim sacra; hinc Deos venerantes frontem tangere, et ad frontem manu indita numina adire solebant. Serv. ad Virg. Ecl. 6, 22. 7, 22. Æn. 5, 567. Frontem ita Petronii anus signat l. cit. *Uda labella* de infante negligentius habito et incuria macerato dicta, et ad *spem ma-*

*) Porrectione medii digiti quippiam obscenum significari, Diogenes mox indicat, cum ait insanos videri, qui medium porrigant digitum, (ἐαν τις τον μεσον προτεινας πορευηται, δοξει μαινεσθαι) sin autem indicem prætenderit, non ita.

cram v. 35. relata Meistero (Letzte Studien p. 38.) vigorem descriptioni, nescio quantum, addere videntur. Quam interpretationem, a Donnero quoque receptam, incongruam esse, censor Ien. cit. bene monuit, *uda* ad lustrales salivas labellis illitas referens, citatis locis Iuvenal. 1, 68. Virg. Georg. 3, 388. &c. in quibus *udum* de humore dicitur salivæ. Nec loco quidem opus erat illa salivæ lustralis litura, cum pueris edentulis continuo saliva fluit.

34. *Urentes*, fascinantes *oculos*. De iratis oculis hominum, qui visu quoque effascinant, et interimunt, quos diutius intuentur, Plinius H. N. 7, 2. Oculis inprimis vim fascinandi attribuebant veteres, unde Plutarchus ὀφθαλμον βασκανον dixit. Nocebat autem teneris fascinum magis quam puberibus; hinc Virg. Ecl. 3, 103. „Nescio quis teneros oculis mihi fascinat agnos," et fascinum illud teneris appensum, quod „infantium custodem" dicit Plinius H. N. 28, 4. Vid. Turnebi Adv. 9, 28. et Th. Bartholin de puerp. veterum. Pro *perita* Codd. Haun. 2, 5, 6. „parata."

35. *Tunc manibus quatit*. Locum parallelum Iliad. 6, 474. πηλε τε χερσιν bene attulit Casaubonus; eo vero non probavit, quod inde colligit, vota sc. pro infantibus facientes manibus eos quatere solitos, quasi præsentibus Diis illos ostendentes. Apud Homerum Hector filiolum, visa cristata galea territum, levi vibratione permulcet. Persio itidem anus infantem, lustrationis ritibus inquietatum, motitat, gestu nutrici-

bus consueto. *Spei macræ* sensum item alienum affictum fuisse, ad v. 32. diximus. Koenig de ipso infante explicat, metonymia non quidem insolita. Ita ad Turnum regina: „Spes tu nunc una senectæ.“ Virg. Æn. 12, 57. et Petronius: „Spes quoque suas ambitioni donant.“ Sat. 4. Censor vero Ienensis cit. simplicius ita reddit: „spem incertissimam.“

36. *Nunc Licini* &c. Veterem interpretem non solum fluctuare cum Casaubono dixerim, quod *Licinium* et *Crassum* pro eiusdem hominis nominibus acceperit, sed etiam ineptire, quod cognomen hoc modo a nomine disiungi posse opinatus sit, et exemplis a re alienis defenderit. Coniuncti sed ut diversi nominantur apud Senecam: „Ad summum, quem voles mihi ex his, quorum nomina cum Crasso Licinoque numerantur?“ Ep. 119, 10. Dubium est, quem Licinorum vel Liciniorum divitum Persius significaverit, utrum Licinum, Augusti sive Claudii libertum, an Licinium Stolonem. De priore refert Dio Cassius 54, 21. quod origine Gallus, ab Augusto Gallis præfectus, auctoritatem Romanam ad opes conquirendas avare et barbare usurpaverit; quod cum ad Augustum delatum esse audiret, et hunc sibi infensum videret, illo usus sit artificio: eum in ædes suas adduxit, multisque argenti et auri thesauris, qui acervatim congesti erant, monstratis, „hæc, inquit, domine, data opera tui ac Romanorum causa collegi, ne indigenæ tanta vi pecuniæ instructi deficiant, itaque omnia tibi servata dono. Quo discrimen evasit.“ Hunc

Iuvenalis respicere videtur, cum Sat. 14, 306. „prædivitem Licinum“ dicit, et 1, 109. inter divitum exempla Licinum numerat. Ad quem locum vetus Schol. notat, decessisse sub Tiberio, proinde divitem, quod Cassii opes etiam exhausisset, et dictum esse habuisse nunos (al fundos) quantum milvi volant. Scholiastes Persii mentionem monumenti huic positi facit, pretiosi operis, in via Salaria prope urbem, et epigrammatis Varronis Attacini: Marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato parvo, Pompeius nullo; quis putet esse Deos?“ *) De posteriore Licinio Stolone, tribuno plebis cum L. Sextio, primo e plebe facto, ita Vale-

*) De illo *Licinio* ex vet. scholiis ad Iuvenalem recens editis hoc addendum: Iuv. 1, 109. Lic. ex Germania puer captûs, tantæ industriæ fuit, ut reliquias cibariorum inter conservos feneraret, et cui quid credidisset, quali poterat chirographo, pugillaribus subnotaret; quos cum in expeditione quadam transiturus flumen, in vestimentis recondidisset, C. Iulio Cæsari quondam ei deneganti in pugillaribus quicquam annotatum, barbarus lugens obtulit. (Sensus hic est: Cum quidam debitor negaret, in pugillaribus annotatum esse, barbarus Licinii creditor lugens Cæsari obtulit, ut forsan e vestigiis scripturæ fides crediti cresceret.) Illud quoque nota, Licinium, tum adhuc servum, e peculio rem funebrem exercuisse, liberiore in eo usum facultate, tamquam principis servum. Statim ad dispensationem admissus, non multo post manumissus est, dein curationi Galliarum ab Augusto præpositus, eas spoliavit, et cum flagraret invidia, basilicam sub nomine C. Iulii Cæsaris ædificavit.“ In D. Iunii Iuvenalis Satiras Commentarii vetusti; post P. Pithoei curas auxit . . D. A. G. Cramer. Hamb. 1823.

rius Max. 8, 6, 3. „Cum lege sanxisset, ne quis amplius, quam quingenta agri iugera possideret, ipse mille comparavit, dissimulandique criminis gratia dimidiam partem filio emancipavit. Quam ob causam a M. Popillio Lænate accusatus, primus sua lege cecidit, ac docuit, nihil aliud præcipi debere, nisi quod prius quisque sibi imperaverit.“ Plura vid. Liv. 6, 34. 35. 39. 42. 7, 2. 16. Hunc a Persio dictum Casaubonus existimat, nec abludit mentio *camporum*. Alterum ditissimorum exemplum est M. *Crassus*, P. Crassi censoris filius. Opes immensas, a patre relictas, auxit avaritia et bellorum opportunitate. *) Missus

*) Crasso iure hereditario obveniebant 300 talenta; quæ ad hodiernam rem pecuniariam computata valent libras Anglicanas 58125. His cumulando effecit 7100 talenta o: L. Sterl. 1,756225. In agris sestertium $\overline{\text{MM}}$ (bis millies sestertium numum, sive bis millies centenum millium sestertiorum, quæ summa efficit L. Sterl. 1,614583) possedit, Quiritium post Syllam ditissimus. Plin. H. N. 33, 10. Lipsius (de Magn. Rom. 1, 2, 15.) opes eius omnes quinquagesies centena millia aureorum (5 milliones ducatorum) effecisse computat. Quantum ab hoc distant, qui recentiori tempore divites dicuntur? Quot vero Roma huic similes habuit? T. Labienus integrum oppidum suo sumtu ædificavit. Cæsar ad unum Curionem sibi conciliandum impensam fecit L. St. 48435, funere suorum spectacula edidit apparatu omnino argenteo, et foro Romano inchoato 2 milliones et 50,000 imperiales impendit. Isidorus libertus, præter servos 4116 et pecoris vim maximam, numeratam pecuniam L. St. 500,000 reliquit. Vid. Meierotto über Sitten und Lebensart der Römer, qui in Anglicana computatione tabulas antiquorum numorum Arbuthnoti secutus est.

scilicet ad bellum servile, victor ovans Romam intravit. Deinde consul et censor cum Pompeio et Cæsare triumviratum egit. Postremo cum ei Syria forte obtigisset, templum Hierosolymitanum diripuit, tota Iudæa emuncta. Hinc præfectus ad bellum Parthicum, ibi cum filio Publico a Surena regis præfecto captus et interfectus est. „Aurum liquidum (Florus ait) in rictum oris eius infusum est, ut cuius animus arserat auri cupiditate, eius etiam mortuum et exsangue corpus auro ureretur.“ Plutarch. in vita eius. Flor. 3, 11. Iosephi Iud. Antiqu. 14. Cum *Licinius* et *Crassus* tantis valerent opibus, spes certe aviæ vota facientis eo *macrior* foret et incertior, quo immoderatius in summa tenderet.

37. 38. *Rex* pro divite, nobili, præsertim apud Comicos, v. c. Plaut. Capt. 4, 2, 45. Asin. 5, 2, 68. Terent. Phorm. 2, 2, 24. Ita et „regina“ Terent. Eun. 1, 2, 88. Codd. Haun. 1. 7. „et rex et regina.“ 2. 6. „ut rosa.“ *Quidquid calcaverit* &c. Hyperbole felicitatis poetica. *Rosa* veteribus haud secus ac nobis in deliciis. Hinc „in æterna vivere rosa“ Martial. 8, 77, 2. „in rosa iacere“ Senec. Ep. 36, 9. et illud Horatii: „Quis multa gracilis te puer in rosa“ &c. Od. 1, 5, 1. Hinc regina inter flores rosa salutatur, terræ ornamentum, plantarum decus, oculus florum. *)

*) *Εἰ τοις ἀνθεσιν ἠθελεν ὁ Ζευς ἐπιθειναι βασιλεα, το ῥοδον των ἀνθεων ἐβασιλευε. γης ἐστι κοσμος, φυτων αγλαϊσμα, ὀφθαλμος ἀνθεων* &c. Achilles Tatius l. 2. de Leucippæ et Clitophontis amoribus.

39. 40. *Ast ego nutrici non mando vota.* Externa, fortuita et aliena semper fere optant hominibus amici, pueris inprimis nutrices, quibus ne liberalis quidem educatio contigit, rarissime sapientiam, sine qua magis illa in loco exsecrationum, quam votorum habenda sunt.*) Recte monet Casaubonus, Persium h. l. insignem illum hominum errorem tangere, qui putant rem esse facilem et cuivis notam, scire quid sit a Deo petendum. Conferri hic meretur Alcibiades secundus, dialogus ita dictus Platonicus, in quo Socrates Alcibiadem de hominum in precandis Diis imprudentia monet, qua ignorantes, quæ sibi conducant, maxima pro bonis mala rogent. Laudat idem poetam, qui dum amicos videret, quæ ipsis falso utilia viderentur, stolide orantes, pro omnibus sic precatus est: „Iupiter rex, optima quidem nobis, et voventibus et non voventibus, tribue; mala autem poscentibus quoque abesse iube.“ **) Laudat item La-

*) Ita Seneca ad Lucilium: „Etiamnunc optas, quod tibi optavit nutrix tua, aut pædagogus aut mater? Nondum intelligis, quantum mali optaverint? O quam inimica nobis sunt vota nostrorum! eo quidem inimiciora, quo cessere felicius. Iam non admiror, si omnia nos a prima pueritia mala sequuntur: inter exsecrationes parentum crevimus.“ Epist. 60, 1. et 32, 4. „Optaverunt utique tibi alia parentes tui, sed ego tibi contra, omnium eorum contemptum opto, quorum illi copiam. Vota illorum multos compilant, ut te locupletent; quidquid ad te transferunt, alicui detrahendum est.“

**) *Ζευ βασιλευ, τα μεν ἐοθλα και ἐυχομενοις και ἀνευκτοις Αμμι*

cedæmonios, qui sive hunc poetam imitantes, sive ipsi animadvertentes, idem votum tam privatim quam publice servant, orantes Deos pulchra cum bonis (τα καλα ἐπι τοις ἀγαθοις) sibi tribuere, nec plura illos precari quisquam audiret. Addit, eos neque tamen ad hæc usque tempora minus, quam ceteros homines felices esse. Lætam hanc in Deos spem commendat insignis locus Iuvenalis 10, 346. „Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis, Permittes ipsis expendere numinibus, quid Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris; Nam pro iucundis aptissima quæque dabunt Dî; Carior est illis homo, quam sibi.“ *) *Nutricem* non diversam esse ab *avia* et *matertera* v. 31. cum grandævis nutricibus committerentur infantes (Iuvenal. 14, 208. ibique schol.) Weber contra Koenigium bene observavit.

διδυ, τα δε δεινα και ἐυχομενοις ἀπαλεξειν κελευε. Leguntur hi duo versus in Anthologia Gr. (Brunk. *Adesp.* 466.)

*) De precibus ita M. Antoninus: „Aut nihil possunt Dii, aut aliquid. Si nihil, cur comprecaris eos? Sin possunt, cur non magis etiam petis, ut dent tibi, ne quid horum metuas aut expetas, neque magis doleas si absit, quam si adsit? Omnino enim si possunt adiuvare homines, etiam in hoc poterunt. Forte dices: Dii ea in mea posuerunt potestate? Esto. Nonne ergo præstat, te iis, quæ in tua sunt potestate, uti libere, quam de iis, quæ non sunt in tua manu posita, sollicitum esse animo servili et abiecto? Quis autem tibi dixit, Deos non in his etiam, quæ penes nos sunt, auxilium adferre. Incipe ergo precari hæc, et experieris. Ἀρξαι γαν περι τουτων ἐυχεσθαι, και ὀψει. De se ipso et ad se ipsum. 9, 35.

Negato Iupiter hæc illi. Crediderunt veteres, solere Deos nonnumquam facere, quæ temere ab iis peterent homines, id quod verba Socratis in Alcibiade 2. ostendunt: „Nonne videtur tibi magna opus esse circumspectione, ne quis se ipsum fallat, dum magna petit mala, credens bona se petere, Deorum autem hic sit habitus, eaque ratio, ut largiantur, quæ quis postulat?*) Quemadmodum Oedipum ferunt obsecrasse, de regno paterno ut filii ferro decernerent; cumque ei licuisset, præsentium tum malorum aversionem poscere, alia insuper imprecabatur; unde ad eum eventum ista venerunt, atque ex iis alia multa et gravia.“ Docet idem Iuvenalis 10, 7. „Evertere domos totas, optantibus ipsis, Di faciles;“ et v. 111. „Magnaque numinibus vota exaudita malignis.“ *Quamvis et albata rogarit.* Cod. Haun. 1. „rogabit.“ Albedo puritatis symbolum. Apud antiquiores Græcos τα λευκα erant καθαρα και ἱερα. Inde vestes albæ proprie sacerdotum. Λευκα δε ἱματια τοις ἱερευσι μονοις συμφερει. Artemidor. de Somniis 2, 3. Solebant igitur scurræ Attici, si quis in publicum prodire candidatus consuesset, eum appellare ὁλολυγμον, quasi perpetuo sacrificantem.**) Apud antiquiores Romanos

*) οἱ δε θεοι τυχωσιν ἐν ταυτῃ ὀντες τῃ ἑξει ἐν ᾗ διδυασιν ἀυτοι ἅ τις ἐυχομενος τυγχανει.

**) Est enim ὁλολυζειν vox ad sacrorum cærimonias pertinens, et clamorem mulierum sacrificantium indicans. Vid. Casaub. ad Theophrast. Charact. 21. Antiquæ igitur ori-

albedo item sacra habebatur. *) Hoc sensu Persius vocem videtur sumpsisse, ad sacra spectans, quamvis ipsius ævo lautissimus quisque, præsertim diebus festis, albatus incederet. cf. Hor. Sat. 2, 2, 61.

Transit ab impiis et illicitis votis ad meliora, per se quidem licita, sed quorum effectus ipsa voventium intemperantia impediebatur.

41-43. Vota pro valetudine suscepta. *Poscis opem* &c. Cod. Haun. 1. „poscit." Eadem est insania matris Horatianæ Sat. 2, 3, 288. Diogenes, illam hominum stultitiam ægre ferens, „irascebatur iis, qui pro valetudine sua Diis sacra facerent, et in sacrificio ipso contra sanitatem cenarent. **) Laert. 6, 28. *Pingues* (cod. Haun. 4. cum Tigur. Wimar. et Paris.

---

ginis est *Alba* sive tunica sacerdotalis, in ecclesiam christianam inde a sæc. 4. introducta, cum in concilio Carthag. 4. can. 4. ita præcipiebatur: „Diaconus tempore oblationis tantum, vel lectionis, Alba utatur." Ea Romano-Catholici in omnibus sacris, Angli item, concione tamen excepta, ceteri Lutherani raro, Reformati vero numquam utuntur.

*) Albo amictu Fides vestita erat. Hor. Od. 1, 35, 21. Cum triumphans Camillus curru equis albis iuncto Romam invectus conspiciebatur, parum id non civile modo, sed humanum etiam visum; Iovis Solisque equis æquiparari dictatorem, in religionem trahebant, triumphusque ob eam unam maxime rem clarior quam gratior fuit. Liv. 5, 23.

**) ἐν αὐτῇ δὲ τῇ θυσίᾳ κατὰ τῆς ὑγιείας δειπνεῖν.

Catull. 62, 3. alii „grandes.“) *patinæ* divitum, variis obsoniis plenæ, contrariæ modicis patellis Horatii Ep. 1, 5, 2. in quibus olera proponebantur. vid. v. 71. et Hor. Sat. 2, 2, 95. Scriptura „grandes pat.“ quam Casaubonus aliique tuentur, lectio est Achaintri et cod. Chemnic. apud Weberum. *Tucetum* „perquam sapidissimum.“ Apul. Met. 2. „Apud Gallos Cisalpinos bubula dicitur, condimentis quibusdam crassis oblita ac macerata“ &c. Vet. Schol.

44 – 51. Vota pro augenda re familiari facta. *Mercurium*, qui lucro præest, *arcessis*,*) in auxilium vocas *fibra*, iecoris extremitate. (1, 47.) In sacris *fibræ*, λοβοι, ad Deorum aras ab hariolis ferebantur, quibus oblatis accensisque responsa acciperent. Virg. Æn. 10, 176. Georg. 3, 490. In dissectis ab haruspice victimis extorum fibrarumque color ac situs notabantur, quæ si extremæ fibræ versus interiora replicatæ ac convolutæ viserentur, certissimæ felicitatis signa habebantur. Si contrarium deprehenderetur, et ἀλοβον esset iecur, omen erat infaustum. *Penates*, „omnes Dii, qui domi colebantur, unde et pro domibus ipsis sæpe ponuntur.“ Servius. *Quo*, *pessime*, *pacto* apud Horatium Sat. 2, 7, 22. malitiam, verum hoc loco stultitiam notare videtur. Similis formula est „turpissime“ Hor. Sat. 1, 9, 75. Græcorum ὡ μιαρωτατε.

*) Codd. Haun. 2. et Luneburgensis: „accersis,“ de quo verbo v. ad 5, 172.

Tot . . omenta. Veterum eam in sacrificiis consuetudinem fuisse constat, et ritum, ut quas hostiæ partes adolerent, eas omento et adipe operirent, ut facilius arderent, pinguedine ignem alente. Hinc illud Homeri: *Μηρους τ' ἐξεταμον, κατα τε κνισσῃ ἐκαλυψαν, Δίπτυχα ποιησαντες, ἐπ' ἀυτων δ' ὠμοθετησαν.* Il. 1, 460. cf. Turneb. Adv. 7, 13. Codd. Haun. 5. 6. cum Ebn. et Tig. „in flammas" quod Weber adoptavit, additis verbis: „Sic e codd. pro *in flammis* ad Græcorum consuetudinem. Simile exemplum Catonis de R. R. c. 156. „Brassicam in aquam macerare oportet." Vide Vossium de Grammat. l. 7. c. 65. Conferas tamen Catull. 90, 6." Codd. Wimar. et Chemnic. apud eundem: „in flamma." Cod. Husumensis (Archiv für Philologie von G. Seebode. Iahrg. 2. Heft. 1. Helmst. 1825.) „in flammam." *Et tamen* (ita Codd. Haun. et Paris. Achaintrii cum Tigurino: „Attamen.") . . *vincere*, hostiis scilicet succidaneis, de quibus Gellius: „Si primis hostiis libatum non erat, aliæ post easdem ductæ hostiæ cædebantur, quæ, quasi prioribus iam cæsis luendi piaculi gratia subdebantur et succidebantur." N. A. 4, 6. *Exta* erant iecur, pulmo, lien, cor, præcordia, renes, lingua &c. in quibus iecori principatus deferebatur; unde Philostratus: *ἐν ἡπατι φασι της ἀυτων μαντικης ἐιναι τριποδα ὁι δεινοι ταυτα.* Lectionem „farto" codd. Haun. 2. 3. 5. 6. Husumensis et nonnulli apud Achaintr. sequuntur; *ferto*: Haun. 1. 4. Tigurinus, alii apud Casaub. et dimidia pars codd. Achaintrii. Cf. Lucil. fragm. 2, 16. „Tum ferto omnia

sunt circumlata." Illam Marcilius et Bondius tuentur, et quidem prior eo nomine, quod satirice dictum sit pro victima opima sive altili et farta, cum ex Varronis loco: „Boves altiles, ad publica sacrificia saginati, dicuntur opimi," de R. R. 2, 1. pateat, victimas fuisse altiles. Quod Casaubonus impugnat, *ferto* legens, et ad Catonem de R. R. 134. provocans: „Feretum Iovi moveto et mactato sic: Iuppiter te hoc fereto obmovendo bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi liberisque meis domo familiæque meæ mactus hoc fercto." Non vero de genere libi, sed simpliciter de re Diis oblata dictum vult. Vetus Scholiastes legit *ferto*, ita explicans: „Genus est panis vel libi, quod Diis infertur a pontificibus in sacrificio; dictum autem fertum a ferendo. Ita et Festus et Isidorus 6, 19. Quod cum facilem admittat sensum, ab editionibus, quarum plurimæ *ferto* habent, non videtur recedendum. *Iam*, *iam iam*, confestim, illico. *Nequidquam* &c. Frustrata spes hominis cupidi et superstitiosi per prosopopæiam transfertur ad numum in fundo arcæ, qui a sociis destitutus et solus relictus sacrificiorum impendio ingemiscit. Respicitur forsan ad vetus proverbium: sera in fundo parsimonia, δειλη ἐν πυθμενι φειδω. Hesiod.

Pergit 52–58. Stultam hominum opinionem taxare, quod ut illi muneribus, auro et argento delectantur, sic etiam Deos his capi crederent.

52. „Craterras" Casaubonus præcipit legendum, quod quidem apud Nonium 15, 36. et Cic. de Nat. Deor.

2, 44. in nonnullis codd. ita legitur; at „falsa est scribendi ratio. Cyrillus in glossario: κρατηρ, cratera. Vid. Casp. Barth ad Stat. Theb. 2, 76.“ Weber. *Incusa* (codd. Haun. 1. 2. 4. 7. item Chemnic. et Wimar. apud Weberum cum Husumensi perperam „incussa“) I. Baden dubitat, utrum sensum habeat materiæ excusæ, an rudis nec fabricatæ, citato loco Virg. Georg. 1, 275. ubi tamen prior significatio „lapidi urbe reportato“ aptior videtur, quam etiam Servius accepit explicans: „cudendo asperatum“ et Vossius reddens: geschärfter Stein für die Handmühle. Nec alium noster locus sensum admittit. Hinc Turnebus ita explicat: „Sunt dona in auro crasso cusa et fabricata, i. e. vasa aurea solidæ materiæ, non gracilis bracteæ.“ Adv. 25, 14. Argenteam supellectilem habebant veteres, ut et nos, sed in hoc a nostra differentem, quod et sua et maiorum egregie facta inibi insculpebant. Ita Didoni: Ingens argentum mensis, cælataque in auro Fortia facta patrum &c.“ Virg. Æn. 1, 644. cf. 5, 267. 536. De luxu Romanorum in vasis et ornamentis aureis et argenteis vide Plin. H. N. 33, 3 et 11.

53. 54. *Sudes* præ festinatione et occupatione læta. *Pectore lævo.* Virg. Ecl. 1, 16. Æn. 2, 54. „Excutiat,“ lectio codicis Norimb. quam recentiores vulgari prætulerunt, nescio quam ob causam, cum hæc, ut codd. Haun. omnibus, ita exemplaribus Casauboni et Paris. Achaintrii probata, facilem edat sensum: „sudes et excutias . . o cor“ &c. *Guttas* lætitiæ. Terent. Adelph. 5, 3, 55. 4, 1, 20. *Lætari* Casaubono

est locutio historica per infinitivum. Rectius Turnebus: „ad lætandum prætr. cor, i. e. ad lætitiam subito festinans; aut ad sequentia refertur.“ Adv. 25, 14. Græca illa loquendi ratione usus est Persius Prol. 11. 1, 70. 71. 118. 5, 15. 24. 6, 3. 23. 24. Cod. Haun. quintus, et unus apud Achaintr. „lætetur.“ Haun. item septimus et Priscian. l. 6. (c. 689. apud Putschium) „pertrepidum,“ ubi tamen hic ex memoria parum fida ita citavit: „sudabit pertr. cor.“ Orellius dimidium hunc versum ex vetere aliquo poeta depromptum existimat, ut 6, 9. ex Ennio. Amat Persius, ut plerumque inferioris ævi scriptores, significationem adiectivorum per præ augere. Ut h. l. *prætrepidum*, ita 1, 14. *prælargus*, 1, 97 et 124. *prægrandis*.

55. *Hinc*, quod Deos, quemadmodum homines, muneribus affici credis. „Totus populus, in alia discors, in hoc (aurum et argentum appetendum) convenit. Hoc suspiciunt; hoc suis optant; hoc Diis velut rerum humanarum maximum, cum grati videri volunt, conserant.“ Sen. Ep. 115, 11. Cod. Haun. quartus cum Husumensi ultimam syllabam vocis *subiit* producendam evitare voluit legendo: „subit ex auro;“ verum illa syllaba usu poetarum producitur ob accentum rhythmicum. Ita Horatius: „Cum gravius dorso subiit onus, incipit ille“ Sat. 1, 9, 21. et Ovidius: „Nec quæ præteriit, iterum revocabitur unda.“ A. A. 3, 63. Weber pro *subiit* cum Parisiensi suo codice „subito“ legens, et *ovato* ad verba *incusaque pingui Auro dona feram*, non ad aurum e manubiis referens, sensum

ita explicat: Quod tu nimis magni facis divitias, inde subito fit, quod Deos, quasi eadem tua cupiditate teneantur, colis auro summa cum lætitia accepto. Quod variæ interpretationis enarrandæ, non quidem commendandæ caussa, hic adnotavimus. *Auro sacras* &c. Deos, qui prioribus Reipublicæ Romanæ temporibus fictiles erant, propitiores fuisse, quam cum procedente tempore ex hostium spoliis aurei fierent, testatur Cato in suasione legis Oppiæ. Liv. 34, 4, 4. Eandem Diis Græcis mentem fuisse, scriptor Alcibiadis 2. significat, cum Athenienses, Lacedæmoniis semper in bellis inferiores, Iovem Ammonem consuluisse perhibet, quærentes, „quam ob caussam Dii Lacedæmoniis potius, quam ipsis, victoriam largirentur, cum ipsi tamen sacrificia tum plura tum decentiora, quam reliqui Græcorum, offerrent, simulacris donisque templa sic ornantes, ut nulli alii, pompasque quotannis venustissimas celebrarent, et omni sumtu, qui ad rem divinam spectat, cunctis Græcis essent magnificentiores; cum Lacedæmoniis nulla esset istorum cura, adeo circa divinum cultum parcis, ut animalia mutilata passim mactarent, et in aliis omnibus cærimoniis longe admodum parcioribus quam Athenienses &c. Ad quæ respondet oraculum Ammonis, placere magis sibi Lacedæmoniorum laudationem, quam reliquorum Græcorum sacra omnia" &c. *)

*) Locorum, quæ Alcibiadem 2. originis non-platonicæ arguunt, hic unus est, in quo de bellis Lacedæmoniorum

„Laudationem vero (ita scriptor pergit) nullam aliam Deus mihi dixisse videtur, quam illorum preces; etenim revera permultum illæ a ceteris differunt. Reliqui namque Græci partim auratis cornibus boves sacrificantes, partim donariis egregiis templa ornantes, quæcumque occurrunt, seu bona, seu mala, a Diis petunt. Dii vero, cum illos imprecantes audiunt, ditissimas eorum pompas et sacrificia non acceptant.“ Quales essent Lacedæmoniorum preces, ad v. 39. dictum est. Pergit idem: „Non eiusmodi est Deorum natura, ut ducatur muneribus, quemadmodum improbus fenerator. *) Etenim grave esset, si Dii ad donaria et sacrificia nostra respicerent potius, quam ad animum, utrum iustus sanctusque sit; ad quem equidem Deos arbitror multo magis attendere, quam ad multi sumtus pompas atque sacra, quæ nihil pro-

---

contra Athenienses aliquantisper ante Socratem (dicit enim se narrationem a senioribus quibusdam accepisse, ὁποτε ἠκουσα πρεσβυτερων τινων) semper feliciter gestis, et de oraculo sermone soluto edito traditur. Diogenes Laertius sine ulla tamen suspicionis nota inter genuina Platonis opera hunc dialogum posuit, et inscriptionem: Αλκιβιαδης δευτερος ἠ περι προσευχης e Diog. Laert. 3, 59. adoptarunt Grammatici. Laudat etiam, ut Platonis, Ælian. Var. Hist. 8, 7. quæ antiquitatem libri satis classicam probant. Vid. Platons Werke von F. Schleiermacher. Th. 1. B. 2. Berol. 1805. p. 365. Platonis Dialogi 4. cur. Biester et Buttmann. Ed. 3. Berol. 1811. p. 177.

*) οὐ γαρ, οἰμαι, τοιουτον ἐστι το των θεων, ὡστε ὑπο δωρων παραγεσθαι, οἱον τοκιστην.

hibet eum, qui multa in Deos hominesque peccaverit, seu privatus sit, sive respublica, singulis annis perficere. Dii autem, utpote muneribus incorrupti (ἅτε δωροδοκοι ὄντες) spernunt hæc omnia."

56 sq. *Perducis*, oblinis, cf. Virg. Georg. 4, 416. *Aënos.* Ita Gellii saltim ævo, non ahenos, scribebatur. Vid. Noct. Att. 2, 3. et Servium ad Virg. Æn. 1, 217. *Nam fratres inter äenos* &c. Turnebus: „Nam si quis Deorum illorum, quorum similes et geminæ, velut fratrum, sunt statuæ ahenæ in templis, somnium tibi verum immiserit, omni carens pituita, quacum caput oppletum est, ut in gravedine fallacia et inania obversantur visa, præcipuus tibi erit, eiusque a te inaurabitur barba: quasi Deus auro delectaretur." Adv. 25, 14. *Fratres aënos* cunctos adeo Deos dictos existimavit. Ita inter recentiores etiam Manso (Charaktere der vornehmsten Dichter. B. 6. St. 1. Lips. 1800.) et Monti (A. Persio Flacco traduzione, Milano 1803.) Interpretationis rationem horum nemo attulit. Afferri quidem potest, quod Dii 12 maiores *) a Romanis dicerentur „consentes," quasi consentientes in rebus gerendis, v. c. in fulmine mittendo, vid. Senec. Nat. Quæst. 2, 59. 42. 43. Fratres etiam dicebantur munere quodammodo sibi iuncti, ut „fratres arvales" Gell. N. A. 6, 7. Adde, quod simulacra Deo-

*) Nomina indicat distichon illud inconditum Ennianum: „Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Iuppiter, Neptunus, Vulcanus, Apollo."

rum ridens satiricus, Deos in genere fratres *aënos* dixerit. Plerique tamen veterem sequuntur Scholiasten, qui hæc habet: „Acron tradit, quod in porticu quadam Apollinis [L] Danaidum effigies, et contra eas sub divo totidem equestres filiorum Ægisthi. Ex iis autem statuis quædam dicebantur postulantibus per somnum dare oracula. Alii autem fratres aënos Pollucem et Castorem, qui utique fratres fuerunt, et aliquando nocte Persen, Macedoniæ regem, nuntiaverunt victum: in quorum templo somniorum interpretes haberi solent, qui puros a pituita visus hominum exponebant.“ [Aliter: Cum Romani pestilentia laborarent, Castor et Pollux in somnis populum monuerunt, quibus remediis morbi curarentur, et licet eorum multæ essent statuæ, Romæ tamen cum non essent, paratæ sunt illis similes, quas postea Romani deauraverunt]. *) Ægisthi pro Ægypti scriptum videtur errore librarii, qui cum Ægypsi legeret, urbem Geticam huius nominis intellexerit, quæ etiam dicitur Ægistus. Vide Heinsium ad Ovid. Pont. 1, 8, 15. 4, 7, 21. 53. Interpretes plurimi cum Casaubono Ægypti filios loco nostro dictos putant. Hos vero per somnium responsa dedisse, nullibi, vix quidem apud Scholiasten, invenimus. Illud potius Danaidibus affingendum fuisse videtur, a sacro non ita alienis, utpote quæ thesmophoria ex Ægypto secum attulerant,

*) Quæ addita sunt e veteribus membranis, editor Elias Vinctus uncis ita comprehendit. L optimum Vineti exemplum indicare, ante diximus.

eaque Pelasgiotidas feminas edocuerant. Herodot. 2, 171. Orellius, illa scholii parte, quæ de statuis Danaidum et filiorum Ægypti narrat, citata, hæc addit: „probante Visconlio Museo Pio-Clem. T. 2. p. 34. ubi laudat inscriptionem in Æsculapii imagine, nondum in Anthol. Palat. receptam: ὦ σωτηρ (sic) Ασκληπιε [σωι κρατει] χρυσον ἐχευσεν [Τερπ] νος ὑπερ τεκνων Γιλουιου ἐυξαμενος.“ Quæ cum Æsculapii quidem simulacro vim sanandi, ex aliis locis satis cognitam, non vero statuis Danaidum et filiorum Ægypti tribuant, quomodo scholium his probatum fuerit, nescio. De Castore et Polluce, qui *fratres* κατ' ἐξοχην dicebantur (Ovid. Fast. 1, 707.) et in quorum templo, inter Faustinæ vetus fanum et porticum, foro Romano adiacente (G. Fabricii Descript. Urbis Romæ 9) somniorum interpretes incubabant, ut est apud Scholiasten, locus non accipi potest, ut recte monuit Casaubonus, quod de pluribus, quam de duobns, Persius loquitur.

De Hermis, statuis Mercurii quadratis, neminem interpretum cogitasse invenio. Athenis non in templis modo, sed et in vicis ad ianuas ædium ponebantur. Corn. Nep. 7, 3, 2. Romæ itidem, id quod vetus Schol. ad Iuvenal. 8, 53. ita indicat: „Hermæ, effigies æneæ aut marmoreæ, sine manibus, quales videmus in Circo.“ Lares erant viales, viarum præsides, quos invocabant peregre abituri, aut signa compitalia, terminalia. Plaut. Merc. 5, 2, 25. Ovid. Fast. 2, 641. Tibul. 1, 1, 11. *Fratres* quidem dici poterant, cum forma omnibus eadem, quin etiam faciei, plerumque

enim ad Alcibiadis vultum effingebantur, quod omnium ætatis suæ multo formosissimus esset, teste Arnobio Contra Gentes 6. Immo nomina illis eadem a conditoribus. Sic „Hipparchæi Hermæ“ dicti sunt, quos Hipparchus, Pisistrati filius, erexerat, et „Andocidis Hermes“ memoratur apud Nepotem. Romanis cultus Mercurii solemnis erat. De æde illi dedicata Livius 2, 21. De certamine consulum, uter ædem illius dedicaret, idem 2, 27. Templum habebat ad metas Murtias, auctore Festo, et aliud spectans Circum, Ovid. Fast. 5, 673. *Somnia* vero ad Mercurium pertinuisse, constat. Illa per duas portas, eburneam et corneam, ex inferis prorumpere credebantur, umbrarum instar spectrorumque. Hom. Odyss. 19, 562. Virg. Æn. 6, 894. Unde δημος ὀνειρων, Odyss. 24, 12. „Somniorum agmen nulli mixta Dea peperit nox obscura.“ Hesiod. Theog. 212. Affingebantur illis alæ vespertilionum nigræ et patulæ, Odys. 24, 6. Hinc somnium Euripidi μελανοπτερυγον, Orpheo ταυνιπτερον, Luciano πτηνον. Hæc vero spectra ex inferis locis virga sua Mercurius prolicere dicebatur, ad quem proinde, quoties cubitum irent veteres, ultimæ semper preces dirigebantur. Ita Calasiris apud Heliodorum: „Age, ad eam partem, a qua sum digressus, aggrediamur, accenso prius lychno et libationibus ante somnum Diis nocturnis factis, ut usitatis cærimoniis peractis pernoctare nobis vacantibus hisce narrationibus tranquille liceat. Hæc dixit, statimque lychnus accensus ab ancilla senis iussu inferebatur, et li-

bationem faciebat, cum alios Deos, tum præ ceteris Mercurium invocans, et petebat felicem insomniis noctem, et ut sibi apparerent carissimi in somnis, supplex orabat. *) Æthiopica 5, 4. 5. Eandem ob caussam in conviviis ultimum ei poculum libabatur. Hermæ quoque, seu icones Mercurium referentes, ad fulcra lectorum, quæ hinc ἑρμαῖαι dicta, affigebantur. Credebatur enim Mercurius hominum mentes, vel oculos, et excitare et sopire, ut ait poeta: *Ἕλκει δὲ ῥάβδον τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει.*" Macrob. Sat. 1, 17. Huc referendum videtur nomen apud Am. Marcellinum 15, 3. delatori Mercurio Persæ inditum: „Mercurius somniorum comes," et quod idem 16, 5. de Iuliano retulit, eum scilicet, cum dimidiata nocte semper exsurgeret, occulte Mercurio supplicasse, „quem mundi velociorem sensum esse, motum mentium suscitantem, theologicæ prodidere doctrinæ." Hermas *æneos* fuisse, iam Scholiasten Iuvenalis auctorem citavimus. Hermis Pentelicis cum capitibus æneis delectabatur Cicero Ep. Att. 1, 7. „Omnino ad rem divinam pleraque ænea adhiberi solita, multa indicio sunt, et in his maxime sacris, quibus delinire aliquos, aut devovere, aut denique exigere morbos volebant." Verba sunt Macrobii Saturn. 5, 19. quibus loca probantia e Sophocle, Plauto, Virgilio &c. adiunxit. Ænearum tria millia tabularum in foro Ro-

*) . . . ἄλλης τε των θεων, και τον Ἑρμην ἐπι πασιν ἐπικαλεσμενος ἐυονειρον τε ᾐτει την νυκτα, και φανηναι αὐτῳ τους φιλτατους κατα νουν τον ὑπνον ἱκετευε.

mano erecta fuisse, docet Onuphr. Panvinius in Descript. Urbis Romæ Reg. 8. Quam affectationem Romanorum Ammianus 14, 6. ita increpat: „Quidam æternitati se commendari posse per statuas existimantes, eas ardenter affectant, quasi plus præmii ex figmentis æreis sensu carentibus, quam ex conscientia honeste recteque factorum.“ *)

57. „Qui vera et sincera, non ut in gravedine fallacia et inania insomnia tibi immittunt.“ *Somnia pituita purgatissima* ex usu linguæ latinæ non de somniis remedia pituitæ indicantibus, sed de somniis animi vaporibus non turbati, i. e. veris, explicanda, scite observavit Manso. **) In *pituita* i per se longum, ut

*) „Exstant Catonis in censura vociferationes, mulieribus Romanis in provinciis statuas poni. Nec tamen potuit inhibere, quo minus Romæ quoque ponerentur.“ Plin. H. N. 34, 6. Sub primis imperatoribus tanta statuarum copia fuit, ut urbem, vias, vicos non ornarent, sed stiparent et arctarent, unde a Claudio illa statuarum affectatio repressa. Dio in Claudio 60, 25. Nec Claudii edictum diutius valuit, quam prior censoria severitas. Cassiodori ætate tot pæne Romæ passim fuere statuæ, quot homines. Cassiod. Var. 7, 15.

**) Quatenus vero, qui Deos cunctos intelligunt, somnia de præmonstratis curationibus, seu remediis morborum per quietem indicatis, explicare malucrint, hæc observanda: Illam præmonendi vim inprimis Æsculapio, Apollini, Isidi tribuit antiquitas. Hinc excubationes et incubationes templorum, quas ridet Petronius: „Somnia, quæ mentes ludunt volitantibus umbris, Non delubra Deum, nec ab

etiam in vocibus „gratuitus," „fortuitus," „vietus," ex arbitrio poetarum corripi, vel præcedentem consonantis locum obtinere, exemplis docuit Grotefend,

---

ætbere numina mittunt, Sed sibi quisque facit" &c. Satyric. c. 104. cf. Claudiani praf. in l. 3. de Rapt. Proserp. In templis scilicet Æsculapii et Isidis ægri dormiebant, ut per insomnia de morborum remediis monerentur. Hinc in agri Bellunensis vico Sebatione saxum: „Asclepio P. Ælius Pollio Visu Monitus Posuit," et in marmore apud Patavinos: „Isidi Sacrum Ex Monit. Eius D. D. L. Valerius Memor VI Vir Aug. L. D. P." Galenus de cur. per sangu. miss. c. 23. „Monitus per quædam insomnia, quorum duo perspicua mihi visa sunt, accessit ad dextræ manus arteriam;" et mox: „Minister D. i Pergami, diutino lateris cruciatu laborans, liberatus est arteria in summa manu incisa; aggressus est ipse illud insomnii monitu." Apud Plautum ægrotus Cappadox in fano Æsculapii incubat. Curcul. 1, 1, 14. 61. 2, 1, 1. sq. Cf. Herodian. 4, 8. Petron. 17. Æsculapio quippe insigne erat extra urbem in insula Tiberina templum a Romanis dedicatum, quo ille ex Epidauro, pestis levandæ caussa, summa cum veneratione translatus erat. Liv. 10, 47. et Epit. libri 11. Illam autem venerationem procedente tempore imminutam fuisse, inde patet, quod cum quidam ægra et affecta mancipia in Æsculapii insulam tædio medendi exponerent, imperator Claudius sanciverit, omnes qui exponerentur, liberos esse, nec redire in ditionem domini, si convaluissent." Sueton. Claud. 25. Plura hac de re vide apud Phil. Iac. Thomasinum de Donariis Veterum c. 34. Huic ceteroquin interpretationi obest usus, quem diximus, linguæ latinæ, et ipsa series orationis, cum in præcedente comminate non de corpore curando agitur, sed de re struenda, quæ potius ad Mercurium, quam ad Æsculapium pertinet.

Lat. Grammatik. 3, 55. cf. quæ supra ad Prol. v. 14. notavimus, et F. H. Bothii Annot. ad Horatium Fœc Sat. 2, 8, 1.

58. *Præcipui sunto*, quibus verbis exponuntur sequentia: *sitque illis aurea barba. Barba aurea* ornabatur statua Iovis, Sueton. Calig. 52. et Æsculapii Epidauri, Cic. de Nat. Deor. 3, 54. Val. Max. 1, 1. ext. 3. Hinc „barbam auream habere" idem fuisse videtur, ac „Deum esse." Quo forsan sensu Petronianum illud c. 58. accipiendum: „Aut ego non me novi, aut non deridebis, licet barbam auream habeas." Immodestiæ tanto maioris erat fastus ille Caligulæ, quod „aurea barba, fulmen tenentem ac fuscinam aut caduceum" se conspiciendum præberet, Sueton. l. c. Haud temere ergo Turnebus ad hæc Persii et Suetonii loca suspicatur, „aurea barba" significari summorum Deorum, ut Iovis et Neptuni, insignia et ornamenta, ut pari honore, qui vera miserint somnia heroes et semidei afficiantur, ac supremus Iupiter." Adv. 1, 16. Adde, quod Græci, quem summo præmio dignum significabant, eum aureum statuendum, vel ei statuam auream collocandam dicerent. Ita Plato in Phædro: *ὑπισχνεῖσθαι χρυσῆν εἰκόνα ἰσομέτρητον εἰς Δελφοὺς ἀναθήσειν*, et Lucianus in Pseudologista: *χρυσοῦς φασιν ἐν Ὀλυμπίᾳ εἶναι*.

Ut hoc commate Persius stultitiam ridet hominum, qui Deos ex suo ingenio metiuntur, eosque muneribus delectari existimant, ita Plato in Eutyphrone absur-

dum illum Deorum cultum increpat, quo sanctitas, το ὅσιον, in scientia quadam vovendi et sacrificandi, Diis dandi et ab iis petendi, ponatur, atque adeo redeat ad mercaturam, qua nos votis et sacrificiis quidquam a Diis mercedis instar accipiamus. *)

59. 60. „Superstitiosa illa de Diis opinio, quod auro et muneribus delectentur, frugalitatem veterum in cultu divino fugavit.“ *Vasa Numæ* mox *Tuscum fictile* dicuntur. Ita „simpuvium Numæ“ Iuvenal. 6, 342. et „Tuscus catinus“ 11, 109. Opera figlina seu fictilia olim tanto in usu fuere Romanis, ut Numa rex septimum figulorum collegium instituerit. Non imbrices tantum tegulæ et laterculi ex argilla fiebant, sed et simpuvia, capedines, urnulæ, tabulæ, lucernæ, candelabra, doliaque ad vina et ad aquas. Quin et defunctos sese multi fictilibus soliis condi maluerunt.

*) „Dic,“ ita rogat Eutyphronem, qui falsas vulgi non solum, sed sacerdotum etiam, eorumque, qui optime versati in rebus divinis putabantur, de eo, quod gratum est Diis, deque hominum erga Deos officiis et Dei natura notiones tuetur, „dic ergo, quænam Diis ex muneribus nostris utilitas? Nam quæ ipsi dent, nemo est qui ignoret; nihil enim nobis est bonum, quin illi præbeant. Quæ vero a nobis accipiunt, quid illis conferunt? An tanto ipsis in hac mercatura præstamus, (ἢ τοσουτον ἀντων πλεονεκτεμεν κατα την ἐμποριαν) ut cum nos omnia ab illis bona accipiamus, ipsi nihil a nobis boni reportent?“ Dolendum est, auctorem dialogi falsis de sanctitate, seu fonte officiorum erga Deum, notionibus subtilissime remotis, non substituisse meliores.

Plin. H. N. 34, 12. ubi plura de arte et industria Etruscorum plastica. Cum fictilibus templorum vasis religionem etiam, piæ certe mentis simplicitatem, sublatam esse, crediderunt veteres. Ita Iuvenalis, priscum illud sæculum describens: „Quis tunc hominum contemptor numinis? aut quis Simpuvium ridere Numæ, nigrumque catinum, Et Vaticano fragiles de monte patellas Ausus erat? 6, 341. *Vasa* ab antiquo vasum, quo Cato apud Gellium 13, 23. et Plautus Truc. 1, 1, 33. usi sunt. *Saturnia æra* Scholiastes refert ad „ædem Saturni, in qua æs condebatur, nondum argento auroque signato, unde ærarium nomen accepit.“*) Vasis ceterum Numæ fictilibus iungit Persius *æra*, quæ vocat Saturnia, i. e. prisca. *Æra* pro rebus ex ære factis poetis et ipsis prosæ scriptoribus (Plin H. N. 9, 40.) plurali frequentissimum. Pro *impulit*. Cod. Haun. 7. „expulit.“ *Urnas Vest.* quibus virgines Vestales utebantur ad aquam hauriendam in sacrificiis, fictiles fuisse, docent quidem Ovidius Fast. 3, 14. et Propertius 4, 4, 16. quamvis hæc loca vix aliis conveniant, quæ virginem Tarpeiam ante sacra Vestalia, et hæc a Numa Pompilio instituta commemorant, v. c. Liv. 1, 11. et 20. sed referri etiam possunt

*) Macrobius Sat. 1, 8. aliam caussam afferens, „Ædem,“ ait, „Saturni ærarium Romani esse voluerunt, quod tempore, quo incoluit Italiam, fertur nullum in eius finibus furtum esse commissum, aut quia sub illo nihil erat cuiusquam privatum“ &c. Vide et Plutarch: Quæstiones Rom. 42.

verba Persii ad receptacula ignis Vestalis, qui asservabatur, non in focis aut altaribus, sed suspensus in vasculis quibusdam fictilibus, quod respexit Valer. Maximus 4, 4, 11. „Per æternos Vestæ focos, fictilibus etiamnum vasis contentos, iuro“ &c. Multa frugalitatis antiquiorum Romanorum exempla congessit Val. Maximus, inprimis 2, 5. 2, 9, 4. 4, 3, 5–11. et 14. 4, 4. quibus locus Am. Marcellini 14, 6. de luxu Romanorum dignus est, qui conferatur. *Tuscum fictile* cf. Winckelmann Geschichte der Kunst, Buch 5.

61. *O curvæ in terris.* Ita codd. Haun. omnes et plerique alii, quos Pithoeus et Passowius sequuntur. Qui „in terras“ legunt, quorum est Ascensius (edit. Lugdun. 1510) Murmellius, Bondius, Wedderburn, Ed. Berolin. Reiz, Koenig, Nasser, Orellius, Weber, sequuntur Lactantium, hunc versum citantem Instit. 2, 2, 13. Casaubonus contra: *in terris,* ait, membranæ omnes, non „in terras,“ idque est ἐμφατικώτερον, qui non solum terram spectant, sed in illa toti hærent, ne minimum quidem attollentes se supra humum;“ qua tamen lectione vera loci emphasis non augeri videtur. Ceterum eadem Horatii est sententia: „Quin corpus onustum Hesternis vitiis animum quoque prægravat una, Atque affligit humo divinæ particulam auræ.“ Sat. 2, 2, 77. ad quem locum cf. Heindorfium. Nec aliter Philo: „Quæ (animæ) gravantur carnium sarcinis, depressæ ab his nequeunt os ad cælestes cursus attollere, sed cervice demissa more qua-

drupedum pronæ ad terram affiguntur." *) de Gigantibus. Item Synesius, cum in libro de Insomniis animam sapientem opponat opimæ et uvidæ, hanc dicit naturali pondere in terræ cavernas demergi, in subterranea loca detrusam. **) Cf. Matth. 16, 23. Rom. 8, 5. 7.

62. *Quid iuvat, hos* &c. Antiquiorum ita Bondius et Wedderburn. Idem legerunt cum Passowio et Webero Orellius, qui Achaintrium et meliores eius codices sequitur. Censor Ienensis ***) itidem lectionem *hos* ratam fecit codice ms. Dresd. perspecto, cui membrana Luneb. in versione Wagneri collata respondet. Pithoeanam lectionem, Codd. etiam Haun. omnibus et Tigurino receptam: „quid iuvat hoc" pura Latinitas respuit. *Nostros mores* dixit Persius pro „huius ævi moribus," auri cupidine corruptis, in rem

*) κατω δε ἑλκυσθεισαι τον ἀυχενα βιαιως δεκην τετραποδων γη προσριζωνται.

**) παχυ και ὑγρον γενομενον τοις χηραμοις της γης ἐνδυεται ῥοπη φυσικη, φωλευον και ὠθεμενον εἰς την καταγαιον χωραν. Similiter Iulius Firmicus: „Hoc est, quod per dies singulos terrenum corpus operatur, ut scilicet possit divinum spiritum suum, et pravis voluptatum cupiditatibus occupatum, et blanda sollicitudine deceptum, caducæ fragilitati semper annectere, ut demersus animus et pessundatus numquam possit originis suæ invenire principia, sed in tenebris semper in cænoque proiectus maiestatis suæ originem cum quibusdam dissimulationum trepidationibus erubescat." Mathemat. l. 7.

***) Allg. Lit. Zeitung 1807. n. 218.

religionis minime inferendis. Eodem sensu *nobis* 1, 104. dictum vidimus, ubi membrana Rothiana explicandi ergo posuerit „vobis.“ Vid. Cens. Ien. cit.

63. De voce Deis in *Dis* contracta vide quæ contra Ruddimannum erudite disputat K. L. Schneider, Formenlehre der lat. Sprache p. 68. *Pulpa*, quod solide carnosum est in fructibus et animalibus, h. l. fere ut σαρξ in N. T. Sensus aut hic: ducere, existimare, illa Diis esse grata, quæ huic vitiis corrupto iudici sint grata; aut ille simplicior et verborum seriei aptior: tamquam bona Diis dare ex pulpa sive esca et pabulo cupiditatis nostræ et corruptelæ. Quæ pulpa multiplex: aurum, unguentum, purpura,

64. 65. *Hæc* pulpa, non contenta naturali rerum simplicitate, miscuit et vitiavit omnia. *Corrupto*, *vitiato* ex usu loquendi veterum: τα μιγνυμενα των χρωματων δι βαφεις φθειρεσθαι, και φθοραν την μιξιν ονομαζουσιν. Plutarch. de Ei apud Delphos 20. et apud Virgilium: „Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi.“ Georg. 2, 466. De *casia* Arabica, frutice aromatico veterum, Theophrast. Hist. Plant. 6, 2. 9, 5. Plin. H. N. 12, 19. Virg. Ecl. 2, 49. ubi Servius herbam dicit suavissimi odoris. Inde mixto oleo, materia suscipiendis servandisque odoribus apta, unguentum fiebat, quo in casiæ naturam oleum transiit. Quanta in unguentis luxuria Romanorum fuerit, discitur ex Plinio H. N. 13, 3. Non pedes solum, antequam calcearentur, sed vestigia pedum Neroni tingebantur, Parietes

balneorum spargebantur unguento. *Et Cal.* Codd. Haun. sex cum Pithoeo. „Hæc Cal.“ Haun. 1. Tig. et Achaint. cum Passowio et Orellio. *Calabrum vellus.* „Calabræ oves eximiæ.“ Columel. 7, 2. inprimis Tarentinæ, Plin. H. N. 8, 48. Hor. Ep. 2, 1, 207. Lana illa optima inficiebatur liquore e murice, et colore purpureo tingebatur, quo genus hoc conchyliorum vitiabatur. Idem sentiebant Lacedæmonii, qui teste Athenæo e Sparta ejecerunt conficientes unguenta, ut qui oleum perderent (ὡς διαφθειροντας τελαιον) et lanam tingentes, ut qui candorem lanæ obliterarent (ὡς ἀφανιζοντας την λευκοτητα των ἐριων). Deipnos. 15, 34. ed. Schweigh.

66. 67. *Bacca,* proprie acinus, uva, unionem etiam in concha nascentem propter similitudinem denotat. *Rasisse* aut de purgatione dictum, qua cutis vel callus ipsi unionis corpori abraditur, aut de avulsione, cum in senecta crassescens et conchæ adhærescens non nisi lima potest abstrahi. De utraque operatione Plinius H. N. 9, 35. *)

*) Mulierum Romanarum in unionibus luxum describit idem l. c. „Hos digitis suspendere, ac binos ac ternos auribus, feminarum gloria est .. Crotalia appellant, ceu sono quoque gaudeant, et collisu ipso margaritarum. Affectantque iam et pauperes .. quin et pedibus, nec crepidarum tantum obstrangulis, sed totis soccolis addunt. Neque enim gestare iam margaritas, nisi calcent, ac per uniones etiam ambulent, satis est.“ Et ævo Persii propior Seneca: „Video uniones, non singulos singulis au-

Stringere venas ferventis massæ c. d. p. Koenig recte interpretatur: „aurum et argentum a scoriis, *crudo de pulvere* ignis ope separare, purgare“ provocans ad locum Plin. H. N. 33, 4. de auro, quod puteorum scrobibus effoditur: „Vagantur hi venarum canales per latera puteorum, et huc illuc, inde nomine invento; tellusque ligneis columnis suspenditur. Quod effossum est, tunditur, lavatur, uritur, molitur in farinam, ac pilis cudunt.“ Id nimirum agit, ut culpam abusus verbi Latini, ad Persium a Casaubono translatam, ab eo amoveat, et demonstret, vocem *stringere* pro „destringere, decerpere, separare,“ positam esse. Cui se Meisterus“ Letzte Studien &c. p. 88. adiungit, nova non tamen promens argumenta. Afferri poterat ipsius, quo nitatur Casaubonus, Plinii locus H. N. 18, 28. „Pabulo folia eius (ulmi) stringis, vitem deputas;“ cui si conferas 16, 24. Caton. 5, 30. 45. patebit, vim decutiendi et separandi illi verbo inesse. Eodem sensu Virgilius: Densas agricolæ stringunt frondes.“ Ecl. 9, 60. Vid. etiam Weber ad h. l.

---

ribus comparatos: iam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt: iunguntur inter se, et insuper alii binis superponuntur. Non satis muliebris insania viros subiecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent.“ de Benef. 7, 9, 4. Idem Gallionem fratrem: „Quare uxor tua,“ rogat, „locupletis domus censum auribus gerit?“ de Vita Beata 17, 2. Cf. Hor. Epod. 8, 14. Sat. 2, 3, 258. Iuvenal. 6, 457. Sueton. Cæs. 50. Vitel. 7.

68. *Hæc* et h. l. et in præcedentibus ad *sceleratam pulpam* referendum, non esset quod moneretur, nisi recentiores interpretes germanici translationis licentia plures induxissent personas. Ita Manso: „Ieder irrt;“ Passow: „Sündig ist dieser wie der;“ Donner: „Sünder sind alle zumal.“ *Peccat* abusu auri, unionum &c. Peccatum, cum in harum rerum inventione et arte ponatur, ut sæpius apud veteres in descriptionibus luxuriæ et temporis acti laudibus probioribus, quam verioribus, colori poetico hoc magna ex parte tribuendum. „*Utitur* huic accipio pro „fruitur.“ Casaub. Recte quidem ex mente Persii, tametsi utrumque verbum alias significatione differat, ut apud Florum 2, 6, 21. de Hannibale, cum post victoriam Campaniam deliciis affluentem peteret: „Cum victoria posset uti, frui maluit.“ Ceterum vitia simili modulo metitur Seneca, luxuriam iræ præferens: „quoniam illa sua voluptate fruitur, hæc alieno dolore.“ de Ira, 3, 5, 3.

69. *Pontificum* Romanorum munus et dignitatem descripsit Cicero Or. pro Domo 1. *In sacro.* Varie legitur: „sancto (sco Haun. 1. 2. 5.) sanctis, sacro, sacris, templo, templis.“ quo res ipsa non mutatur; at frequentius „sancto“ ex serioris ævi Latinitate ortum Webero recte videtur. Illarum lectionum una est apud Æl. Lampridium in vita Alex. Severi, de quo dicit: „In templis sane numquam, præter quatuor aut quinque argenti libras, auri ne guttulam quidem aut bracteolam posuit, susurrans versum Persii: „in sanc-

tis quid facit aurum?“ Eadem est sententia Platonis in Dialogis ante laudatis, et de Legibus 12. ita pronuntiata: χρυσος και αργυρος εν ιεροις επιφθονον κτημα, a Cicerone de Leg. 2. hunc in modum repetita: „Aurum et argentum in fanis invidiosa res est.“ Quin Iuvenalis Iovem auro violari“ dixit Sat. 11, 116. quod scilicet Deo statuæ fierent ex auro rapinis et sceleribus parto, et homines magis aurum quam Deum colerent. Cf. Senec. Ep. 31, 10. Epictet. Arrian. 1, 10.

70. *Nempe*, adverbium confirmandi, quod cum interrogatione aliqua ponitur, adeoque non pro „nimirum“ et „scilicet“ sumendum. Ita 3, 1. et 5, 67. cf. Heind. ad Hor. Sat. 1, 10, 1. „Solebant virgines, antequam nuberent, quædam virginitatis suæ dona Veneri consecrare. Hoc et Varro scribit.“ Vet. Schol. Verba Varronis in Sesquiulysse hæc sunt: „Suspendit Veneri marinas pilas, reticula ac strophia;“ quæ tamen apud Nonium Marcellum ad vocem Strophium ita leguntur: „Suspendit Laribus marinas molles pilas, reticula et strophia.“ Eiusmodi donarium Persio est

*) „Pilæ“, effigies hominum lanceæ, quæ in compitis suspendebantur laribus.“ Festus. „Reticulum“ Nonio est tegmen capitis muliebre. „Reticulumque comis auratum ingentibus implet,“ de viro effeminato Iuvenalis 2, 96. „Strophium“ Plinio H. N. 21, 1. 2. est sertum, corolla, sed Nonio etiam significationem habet „brevis fasciæ, quæ virginalem tumorem cohibet papillarum.“ Cf. Catull. 65, 63. Martial. 14, 134. Terent. Eun. 2, 3, 22. Pilas „marinas“ eruditi intelligunt confectas e vellere marino,

puppa, Latinis etiam pupa, puba, poppæa, Germanis Püppchen, Gallis Poupoe, Anglis Babe, Baby. Veteres glossæ: puppæ, πλαγγονες, ἀι των παιδιων νυμφαι. „Pupæ dicuntur quædam statunculæ, quas virgines solent facere in modum filiarum, et vestibus obvolvere; quas, postquam ad annos nubiles veniebant, et pubilibus abrenuntiabant, quasi sub potestate Veneris porro futuræ, Veneri sacrificabant; unde Persius: Dicite ... pupæ.“ Ioh. de Ianua (de Balbis) lexicographus sæculi 13. Desid. Heraldus, Advers. 1, 8. sigillariola, formata ad imaginem Paniscorum (Deorum sylvestrium) intelligit, et sic νυμφας quoque puellarum pupas dici consuevisse, addit. Et ut puppas et fascias mox nuptura Veneri, ita zonam nupta Iunoni Cinxiæ, et primum parturiens Dianæ λυσιζωνῃ consecrabat. Vid. Th. Bartholin de Puerp. Veterum. Nec femina solum: ipse Persius ephebus bullam Laribus 5, 31. pastor emeritam fistulam Pani, Tibull. 2, 5, 29. Horatius barbiton Veneri suspendit, Od. 3, 26, 4. et Earinus, Domitiani eunuchus, speculum, consilium formæ, et capillos donavit Æsculapio. Martial. 9. 17. cf. Hor. Sat. 1, 5, 65. Martial. 3, 29.

---

quod in glossis πιννινον, et de quo Tertullianus de Pallio 3. „Nam et de mari vellera, quo muscolosæ lanositatis plautiores (lautiores) conchæ comant;“ unde πιννιστρικα προβατα vocari Salmasius observavit ad Tertull. l. c. oves, quæ lanam habent eiusdem coloris cum pinnarum vellere, i. e. aurei. Illud nevere veteres, ut ex eo comas facerent adscitilias.

71. *Quin damus id superis* &c. Husumensis: „hoc sup.“ Deos non munus, sed mentem, non plenas, sed puras manus respicere, docet gravissima hæc satiræ conclusio, quæ sensum veri et sancti prodit, in scholis purioris philosophiæ nutritum. Est illa doctrina Pythagoræorum, si eam Hierocles in commentario sinceram tradiderit, dicens, verum Deorum cultum studium esse illis sese conformandi; offerentem Diis, quasi egentibus, munera se illis maiorem et perfectiorem opinari; sacrificiis vel sumptuosissimis honorem Diis non exhiberi, nisi hæc a pia mente proficiscantur; victimas stultorum ad flammas modo alendas conducere, et dona templis dedicata solum ditare sacrilegos; animum vero ad divina formatum, Diisque assidue deditum eos nobis amicos reddere, cum similis simili gaudeat; vere igitur sapientem solum dici sacerdotem, numini gratum, precationis sacrorumque curæ peritum, cum ille solus, quod sit pium et sanctum, sentiat, veriores de numine honorando notiones concipiat et, quod maximum est, sese ipse tamquam victimam consecret, animam suam tamquam templum sistens, divini luminis plenum; nihil ergo in universa rerum natura idoneum esse, quo divina imago efformetur, nisi puram et piam mentem; hinc dixisse Pythium Apollinem, se quantum Olympo, tantum piis mortalibus delectari*) *Lanx*, discus, in quo carnes in sacrificiis reponebantur, a patina, quæ fictilis erat, di-

*) *Εισεβεεσσι βροτων χαιριμι τοσον οσσον ολυμπω.*

versa. Luxum suæ ætatis in lancibus argenteis describit Plinius H. N. 33, 11. Drusillanus, servus imperatoris Claudii, lancem quingenariam, (quingentis argenti libris) habuit, cui fabricandæ officina prius exædificata fuerat, et comites eius octo lances, quæ singulæ fere centum et septem libras penderent. Ad cenas illæ, nam addit: „quæso ut quam multi eas conservi eius inferrent, aut quibus cenantibus?“ Nec dubium est, morem obtinuisse similem in lancibus sacris.

72–74. *Non possit* vel ditissimus, quod nullis opibus est parabile. *Magnum* dicit *Messalam*, familiam spectans Romæ florentissimam, et quidem M. Valerium Messalam Corvinum, qui adoptione in Aureliam gentem transiverat, unde et Cottæ cognomen sibi adscivit, oratorem maximum, quem Cicero de Oratore 1, 7 et 51. 2, 23. 3, 3. et in Bruto 49 et 55. multis laudat nominibus. *Lippam propaginem* filium oratoris intelligit vetus Scholiastes, ut videtur, non iniuria, additque, cum tam vitiosos oculos in senectute habuisse, ut palpebræ eius in exteriorem partem verterentur, et multis deditum fuisse vitiis. *) Com-

*) De illo Nic. Heinsius in epistola ad Iac. Perizonium: „Hunc etsi miris ubique laudibus extollit sibi coniunctissimum Naso, tamen sub Tiberii principatu malis cum artibus gratiam Cæsaris captasse, satis demonstrat Tacitus. Insignem etiam helluonem fuisse, e Nat. Plinii Historia patet, unde lippos oculos sub extremum vitæ vi-

mendat illum Cottam Messalinum Ovidius non ab eloquentiæ solum studio, sed a poesios cognitione Pont. 3, 2. 3, 5. 4, 16, 41. Illum vero non commendat Tacitus, qui dicit, eum in favorem aspere dominantis Tiberii fuisse „promptissimum cum atroci sententia.“ Annal. 5, 3. Similis adulationis exemplum hic refert 4, 20. Helluationis eum etiam arguit inventum, quod Plinius H. N. 10, 22. fastis gulæ servavit, „palmam cuiusque culinis cum fide tribuens,“ cum scilicet reperisse, „palmas pedum ex anseribus torrere, atque patinis cum gallinaceorum cristis condire.“ Hinc quæ habet Scholiastes de eius lippitudine, cum Orellio nugas dicere non ausim, tametsi sequentia de adoptione ad patrem trahenda videantur. Vide Heinsium de hoc Scholiastæ loco ad Ep. a Ponto 3, 2. Ovid. Opp. ed. Burmanni. Poetas ceterum *lippos* sæpius ponere pro improbis, ad animum, quod corporis est, transferendo, patet e Pers. 1, 79. 5, 77. Hor. Sat. 1, 1, 120. Turnebus rem suspensam relinquit, *lippam propaginem* dici existimans, „vel quod Messalinus revera lippus fuerit, idemque improbus, vel quod lippus improbus est, ut Sat. 5. *lippus et in tenui* &c.“ Adv. 25, 14. De *propagine* Valerius Probus apud Putschium c. 1455: „Sunt alia nomina, quæ in uno intellectu per casus

---

detur contraxisse. Utrumque in illo perstringit Persius: *De magna . . propago.* In Neroniana enim tempora Cottam produxisse vitam, monet Scholiastes antiquus.“ Syll. Epist. ed. a P. Burmanno. T. 4. p. 795.

syllabæ naturam vertunt, ut propago; in nominativo prima syllaba brevis est, ut: Esse sinent, nimium vobis Romana propago; at in ablativo longa est, ut: melius propagine vites Respondent.“ Potius dixerim, primam huius vocabuli syllabam, quæ Virg. Georg. 2, 65. producta sit, verum Æn. 6, 871. ut nostro loco correpta, Romanis fuisse ancipitem.

73. *Compos. ius fasque animi.* Vere Casaubonus: „animum bene comparatum ad omnia divina humanaque iura.“ Latini enim, teste Servio, *fas* ad divina, ius ad humana referre solent. Observandum tamen, utrumque ad religionem pertinere, adeo ut *fas* (quod fari dignum sit) ad ipsa divina, *ius* (quod iussum est) ad hominum de rebus sacris præcepta referatur. Ita Cicero: „Contra fas, contra auspicia, contra omnes divinas et humanas religiones.“ Or. Verr. 5, 13. cfr. Virg. Georg. 1, 268. Verum dubito, an Persius duas illas notiones cogitando distincte separaverit, cum non, ut Virgilius, fas iuri præposuerit. *Animi* lectio est codd. Haun. omnium, Achaintrii item omnium et Tigurini, etiam citantis Lactantii. Ita Horatius: „Rectum animi servas?“ Sat. 2, 3, 201. Pithoei cod. L. „animos.“ Norimb „animo.“ *Recessus mentis*, intima penetralia, *sinuosum pectus* 5, 27. *Generosum* legit Passowius, sequens Lactantium, qui Inst. 6, 2. hoc ad pectus refert, locum ita explicans: „Sentiebat videlicet (Persius) non carne opus esse ad placandam cœlestem maiestatem, sed mente sancta, et iusto animo, et pectore, ut ipse ait, quod naturali sit

honestate generosum.“ Sed idem 2, 4. habet *generoso*, ut monet Orellius et Weber ad h. l. unde mutationem illam liberam esse, factamque ex eius arbitrio patet. Videtur quidem coniunctio duorum adiectivorum: „generoso honesto,“ quorum unum vim habeat substantivi, elegantiæ Latinæ minus convenire, vid. Cens. Ienens. A. L. Z. 1823. Apr. at vero alia huius usus exempla inveniri, et *honestum* inprimis frequentibus philosophorum disputationibus substantivi naturam induere, bene observavit Weber, cuius tamen argumento „egregium honestum,“ a Tac. Ann. 3, 70. petito, cum „egregium publicum“ vera sit lectio, substituo Lucan. 2, 389. „rigidi honesti.“ Ceterum *generoso*, lectio Pithoeana, cunctis exemplaribus impressis recepta, codd. etiam Haun. omnibus, Paris. Tig. et Husumensi probatur. *Incoctum* &c. „Cor omni virtute non leviter tinctum, sed nativa et genuina honestate,“ ut lana colore, imbutum. Bondius. *)

*) Phrasis similis imperatoris Antonini, a Casaubono citata, insignem huius philosophi locum in memoriam revocat, in quo de attentione mentis ad honestum vere tendentis ita monet: „Assuefacere te ipsum debes, ut de his tantum rebus cogites, de quibus si quis te subito interroget, quid nunc mediteris, confestim libere possis respondere: hoc aut hoc; nimirum ut statim constet, cogitationes tuas esse ingenuas, benevolas, consentaneas animali ad societatem nato, teque phantasmata, quæ ad voluptatem et oblectationem omnino faciant, nil curare, et te vacuum esse acerbitatis, invidiæ, suspicionis aliorumque, quæ si te animo agitasse fassus esses, pudore suffundi oportuisset. Nam qui talis est, ad certam præsentemque

75. *Hæc cedo*, hoc purum Diis offer *) sacrificium. Idem Seneca: „Vis Deos propitiare? bonus esto. Satis illos coluit, quisquis imitatus est.“ Ep. 95, 50. et Iuvenalis: „Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano. Fortem posce animum, mortis terrore carentem, Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat Naturæ, qui ferre queat quoscumque labores, Nesciat irasci, cupiat nihil, et potiores Herculis ærumnas credat, sævosque labores, Et Venere et cenis et pluma Sardanapali. Monstro, quod ipse tibi possis dare. Semita certe Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.“ Sat. 10, 356. Textus Pithoei, omisso *ut*, legit: „Hæc cedo, admoveant,“ quod sensus quidem, non vero breves syllabæ vocis *cedo* admittunt. Cfr. Iuv. 13, 210. Cod. Pith. perantiquus: „ut admoveant“; Haun. quinque: *ut admoveam;* 1 „*ut* moveam“; in septimo *ut* erasum. De „obmoveam,“ lectione a Wag-

summi boni fruitionem quantum potest contendens, Deorum quasi sacerdos et administer, eo utitur (animo), qui in ipso tamquam sacrario consecratus est, quique hominem præstat purum a voluptatibus, inviolatum a doloribus, intactum a contumelia, inscium omnis malitiæ, certatorem maximi certaminis, ne scilicet ullus cum affectus prosternat, alte tinctum iustitia (*δικαιοσυνη βεβαμμενον εις βαθος*) &c. de Se Ipso 3, 4.

*) Vel, si mavis, offerte, cum in plurali: *Dicite* et *Quin damus* dictum sit in antecedentibus; nam verbum *cedo* non uni tantum, sed et pluribus dicitur, ut in illo Ciceronis: „Cedo, qui rempubl. tantam amisistis tam cito,“ de Senect. c. 6.

nero proposita, adeundus Weber ad h. l. *Farre*, sacrificio vilissimo, ævo Romanorum frugaliore instituto. „Numa instituit, Deos fruge colere, et mola salsa supplicare, atque, ut auctor est Hemina, far torrere, quoniam tostum cibo salubrius esset. Id uno modo consecutum, statuendo, non esse purum ad rem divinam, nisi tostum.“ Plin. H. N. 18, 2. Idem in Præfatione: „Mola salsa litant, qui non habent tura, nec ulli fuit vitio, Deos colere quoquo modo posset.“ Far sale mixtum vel conspersum id fuit, Ovid. Fast. 1, 128. Virg. Ecl. 8, 82. ad quem locum Servius, molas ex fruge horna et horno sale factas esse docet. Parabatur a Vestalibus, unde „far pium“ dicebatur: „Immunis (munere vacua) aram si tetigit manus, Non sumtuosa blandior hostia Mollibit aversos Penates farre pio et saliente mica.“ Hor. Od. 3, 23, 17. *) *Litare* apud

*) Haud aliter Græcorum sapientissimi de sacrificiis iudicabant. Cum Socrates de facultatibus exiguis tenuia sacra faceret, putabat se non præstare minus, quam eos, qui de magnis opibus multas et amplas hostias cæderent. Etenim neque decere Deos, aiebat, ut magnis potius, quam exiguis sacrificiis gauderent, quod alioquin eis improborum hominum sacrificia sæpius essent grata, quam bonorum, neque vitam mortalibus optandam esse, si sacrificia scelestorum Diis essent acceptiora, quam proborum. Nimirum existimabat, sacra illa et munera esse maxime grata Diis, quæ ab hominibus maxime piis offerrentur. Xenoph. Memorab. 1. Lycurgus etiam modicas admodum et frugales victimas Diis offerendas instituit, easque diuturniores habuit. ἵνα μὴ ποτ', ἔφη, τιμωντες το θειον διαλιπωμεν. Plutarch. Lycurg. 19.

Senecam et aliquos iuniores simpliciter est „sacrificare.“ Non ita apud antiquiores, v. c. Plaut. Poen. 2, 41. „Si hercle istuc umquam factum est, tum me Iupiter Faciat, ut semper sacruficem, nec umquam litem.“ et Liv. 27, 23. „Per dies aliquot hostiæ maiores sine litatione cæsæ, diuque non impetrata pax Deum.“ cf. 41, 19. *Litare* igitur est „Deos placare et amicos sibi reddere, felici eventu sacrificare,“ Græcorum καλλιερεῖν. Bene Bondius: „Litant solummodo boni viri, et quod volunt, sacrificio impetrant, petunt enim honesta tantum; sacrificant vero tam mali quam boni.“

Verumtamen Noster se *litaturum* dixit. Crederes scriptorem, vere adeo et sobrie de cultu divino iudicantem, quævis sacrificia haud necessaria pronuntiaturum fuisse. At vero sacrificia ad religionem publice institutam pertinebant, nec vim aliquam, et quidem eximiam, illis inesse, philosophorum acutissimi, pro cognitionis theologicæ et naturalis suæ modulo, olim inficiabantur. Audiamus Simplicium ex commentario in Epicteti Enchiridion, de quo I. A. Fabricius iudicat, in tota antiquitate ethnica paucissima exstare scripta, quæ vel ad mores formandos saniora principia contineant, vel providentiam divinam rectius asserant propugnentque: Bona humana, inquit, sacrificiis quasi splendore quodam gratiæ collustrari et augeri; animam quidem, a Deo oriundam, ei inprimis consecrandam esse, et veris de eo notionibus vitaque naturæ conveniente purgandam; verum etiam corpus, divinum donum, ei dedicandum, et internis æque ac ex-

ternis immunditiis liberandum; animam ita purgatam per corpus, tamquam instrumentum suum purum et, quod fieri possit, purissima veste indutum, primitias rerum externarum, divinorum munerum, sacrificare debere; Diis, quibus omnia debemus, illas etiam deberi primitias, non tamquam egentibus, eos enim nobis et nostra virtute non egere, his vero sacrificiis, divino splendori recipiendo, quantum fieri possit, a nobis conformatis, nos divinitatis et summi boni fieri participes; res etiam externas, altari ex pura mente oblatas, pro sua natura participes fieri bonitatis divinæ, et vim quandoque exserere naturæ vires excedentem; unum ita tradidisse, se primitias illas gustando e morbo comitiali convaluisse, alterum se earum reliquiis grandinem inhibuisse et tempestatem; eas qua par est observantia offerentem splendoris, quo collustrantur, divini fieri compotem, et grati insuper erga Deos animi officio fungi; exigua altari imposita parte totam massam et genus Diis consecrari, et prosperitate, qua nos egeamus, divinitus beari. c. 58. Illa θεια ἑλλαμψις apud Simplicium est כבוד—יהוה Levit. 9, 23. 24. Num. 16, 19. &c. non enim dubium est, sacerdotes ethnicos, ut auctoritatem sacrificiorum servarent, his easdem, quas suis Iudæi, virtutes tribuisse.

SATIRA III.

Desidia et mollities Romanæ iuventutis, morumque inde oriunda corruptio describitur. Initium satiræ dramaticum est. Philosophus inducitur, discipulos, iuvenes divites et dissolutos, excitans et illis, quod serius pro more suo surgerent, irascens. „Hanc satiram poeta ex Lucilii libro quarto transtulit castigantis divitum luxuriam et vitam.“ Vet. Schol.

1. 2. *Nempe hoc.* Codd. Haun. quinque cum Tig. et uno apud Achaintr. Prisciamus item apud Putschium c. 1020. „N. hæc“ Haun. unus cum Husumensi. *Iam clarum* &c. quod Ausonius imitatur: „Mane iam clarum reserat fenestras.“ *Mane* in substantivis defectivis numerat K. L. Schneider, Formenlehre p. 453. Abl. mani Plaut. Poenul. 3, 3, 57. et Virg. Cir. 350. agnoscitur a Donato ad Terent. Phorm. 1, 1, 2. *Angustas rimas extendit lumine*, latiores apparere facit. „ostendit“ Haun. quintus cum Tig. et Luneb. ceteri *extendit*.

3. *Stertimus* pro „stertis“ modestiæ, si vis, pædagogi tribuas; ceterum apta obiurgationibus prima persona. *Indomitum* dicit *Falernum*, ut Horatius „severum“ Od. 1, 27, 9. per metonymiam caussæ, quod homines indomitos vel severos reddit. Lucanus, quem Persii studiosissimum novimus ex vita eius antiqua,

hunc versum videtur imitatus: „Indomitum Meroe cogens spumare Falernum.“ Phars. 10, 162. Tales eius ævi homines, crapulam edormientes et ad medium usque diem stertentes, Seneca et Cicero describunt. *) Falernum, tantis laudibus ab Horatio celebratum, terris nunc subductum queritur doctus vinorum scriptor A. Henderson: The history of ancient and modern Wines. Lond. 1824. *Despumare* pro „concoquere,“ cum quod coquitur, despumari solet.

4. *Dum linea tangitur quinta umbra*, hypallage pro: dum qu. linea tangitur umbra; dum in solari horologio gnomon quintæ lineæ umbram facit. Orto sole adumbrabatur hora prima; cum ad sextam lineam umbra venerat, meridies erat. Solaria Romanis olim frequentia fuisse, ostendit locus a Gellio servatus Plautinus, vel, ut ait, Plautinissimus. **) Ce-

*) „Turpis, qui alto sole semisomnis iacet, cuius vigilia medio die incipit, et adhuc multis hoc antelucanum est. Sunt, qui officia lucis noctisque pervertunt, nec ante diducunt oculos hesterna graves crapula, quam appetere nox coepit. Qualis illorum conditio dicitur, quos natura, ut ait Virgilius (Georg. 1, 250.) sedibus nostris subditos e contrario posuit. Sunt quidam in eadem urbe antipodes, qui, ut M. Cato ait, nec orientem umquam solem viderunt, nec occidentem.“ Ep. 122, 1. 2. „Asotos“ illos dicit Cicero, qui in mensam vomant, et qui de conviviis auferantur, crudique postridie se rursus ingurgitent; qui solem, ut aiunt, nec occidentem umquam viderint, nec orientem.“ de Finibus 2, 8.

**) Parasitus esuriens inducitur ita loquens: „Ut illum Di perdant, primus qui horas repperit, Quique adeo primus

terum de usu horologii solaris Romanis seriore quam Græcis Plinius H. N. 2, 76. 7, 60. cf. Censorin. de Die Naturali 23.

5. 6. Calidissimum meridiei tempus describitur. *Insanam caniculam* dicit, ut Horatius „rabiem canis“ Ep. 1, 10, 16. *messes* pro „segetibus“ ut Ovid. Heroid. 17, 263. *coquit* pro „urit,“ „arefacit,“ ut Martialis 10, 62, 7. „Tostamque fervens Iulius coquit messem,“ et *pat. pecus* ut Virg. Ecl. 2, 8. „Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant.“

7. *Unus ait comitum.* *Comites* Casaubono sunt condiscipuli, quorum uni, iam expergefacto, verba sequentia tribuit. Verum multo simplicior videtur explicatio, qua illud *unus ait com.* ad præcedentia refertur, interpretibus fere omnibus a Murmellio usque ad Orellium recepta. Ita Koenig, ut eruditi viri illius verbis plurium sententiam efferam, unum existimat ex illis fuisse, qui adolescentulo comites a patre erant adiuncti; moris enim fuisse, plures philosophos domi alere, cum ad liberorum institutionem, tum ad literarum studium ostentandum; tantam scilicet philosophiæ doctorum fuisse frequentiam, ut adagii loco usurpare-

---

statuit hic solarium, Qui mihi comminuit misero articulatim diem! Nam me puero uterus erat solarium, Multo omnium istorum optumum et verissimum. Ubi ubi iste monebat esse, nisi cum nihil erat. Nunc etiam quod est, non est, nisi soli lubet. Itaque adeo iam oppletum est oppidum solariis, Maior pars populi aridi reptant fame.“ Noct. Att. 3, 3.

tur. Ita Lucianum: „Ut est in proverbio: facilius aliquis in navi cadens ligno destituatur, quam oculus quocunque respiciens non incidat in philosophum.“ *) Quin etiam ex iis servis, qui pueris comites dabantur, non neminem forsan fuisse, qui supra servilem conditionem saperet, philosophia omnibusque artibus liberalibus instructum, cuius personam inducrit Noster. Hunc igitur, quisquis ille sit, cui Persius suas partes tradidisse videtur, in primis iam allatis versibus secum loquentem, in illis duobus, qui sequuntur, iuvenem ipsum increpantem induci. *Verumne . . nemon'?* Verba expergefacti. Stupet ille, quod audit de alto iam sole, et suam se desidiam moleste ferre simulat; servorum aliquem cum vestimentis adesse iubet, nomen non designans, quasi plures sibi esse significans, et iratorum more suos inclamat. Cf. Hor. Sat. 2, 7, 34.

8. 9. *Vitream bilem* dixit ut Horatius „splendidam“ Sat. 2, 3, 141. Quo loco Heindorfius scite intelligi voluit atram bilem, unde insania (*μελαγχολια*) deducebatur, hodiernis medicis „piceam bilem“ dic-

*) *Θαττον ἀν τις ἐν πλοιῳ πεσων διαμαρτοι ξυλε, ἡ ἐνθα ἀν ἀπιδῃ ὁ ὀφθαλμος, ἀπορησει φιλοσοφυ.* Dial: Bis Accusatus. c. 6. Adde secundum Orellium ad h. l. *comitem* fuisse philosophum domesticum, illorum ex genere, de quibus Taurus apud Gellium 6. 10. „At nunc,“ inquit, „videre est philosophos ultro currere, ut doceant, ad fores iuvenum divitum, eosque ibi sedere atque operiri prope ad meridiem, donec discipuli nocturnum omne vinum edormiant.“

tum, eumque atræ bilis habitum, quo pellucida et ipso cruore splendidior esse videtur. Citavit verba Galeni περὶ ἀντ. συμπτ. 2, 50. Μελαινα χολη ϛιλπνοτερα ἀυτη τα ἁιματος ἐϛιν &c. et Gorræi Definit. Med. ubi μελαινα χολη bilis splendens, humor splendidus dicitur. Cum vero addiderit, *vitream bilem* Persii otiosum epitheton ornans esse, vix iis probabitur, qui bilem Græcis item medicis *vitream*, vitro similem, ὑαλωδην χολην, i. e. splendidam, pellucidam dici observaverint; vide Casaubonum ad h. l. et Turnebum, Adv. 23, 23. cf. Hor. Sat. 2, 3, 222. et Od. 1, 17, 20. ubi *vitrea* fama, *vitrea* Circe notionem splendoris habent, ad formam Græcorum ὑαλινος παις, ὑαλεη ὀψις. „Finditur: Arc.“ quam Reizius et recentiores editores adsciverunt lectionem, nexui quidem aptior est, nec libris antiquis Murmellii, Turnebi, Bondii et Marcilii illa emendatio ignota, verum omnes membranæ, excepta Haun. tertia, cum Pithoeo et Casaubono legunt *Findor ut* vel *et Arc.* Quin invenio Servium ad Virg. Georg. 3, 374. et Eutychem, Grammaticum sexti Sæculi (Putsch. c. 2173) versum Persii citantes, legisse: *Findor ut Arc.* Quod, recens licet a Weber improbatum, cum sensum admittat non prorsus improbabilem, nec sit a sermone Persii abrupto alienum, videtur recipiendum. *Findor*, „rumpor clamando,“ et, si vis, etiam præcedentia: *turg. vitr. bilis*, „bilis mihi effervescit,“ sint adeo verba adolescentis ira conciti. Vel tribuatur huic modo posterius, prius describenti poetæ: „bilis illi eum in modum intumescit, ut excla-

met: findor.“ Quod sequitur, est descriptio vociferantis insani: „verum est, quod ait se findi, ita enim clamat, ut asino rudenti similis sit.“ „Asini Arcadici in Græcia nobilitati.“ Varro de R. R. 2, 1. cf. Plaut. Asinar. 2, 2, 67. Primam syllabam vocis *rudere* Virgilio et Ovidio correptam, h. l. productam esse, iam ad Prol. 14. notavimus.

10–14. Tandem lecto excussus iuvenis multa comminiscitur, quibus studendi laborem subterfugiat.

10. *Liber*, ex quo aliquid vel scribat vel legat. *Membrana*, palimpsestus, chartæ Pergamenæ, Plin. H. N. 13, 11. *bicolor*, alba ab interiore parte, ab altera, in qua pili erant, crocea et flava. „Scribebatur optime ceris, nisi forte visus infirmior membranarum potius usum exigeret.“ Quinct. Inst. 10, 3, 31.*) *Positis capillis* Casaubonus et post eum omnes intelligunt de pilis e membrana abrasis. Quæ interpretatio nescio quomodo in usum venerit, cum capillus frequentius de capitis pilo latine dicatur, et duo ista verba, si membranam, rem satis notam, describant,

*) In scribendo a foliis ad tunicam interiorem corticis, quæ ligno arboris cohæret, a libris arborum ad tabellas ligneas, nudas vel ceratas, i. e. codices, ab his ad membranaceos libros ventum est. *Membranæ* autem ex animantium membris detractæ. In his ex palimpsesto seu tabula rasili, ex diariis, tabulis ceratis, scripta confusius obscuriusve descripserunt Romani nitidius, ordinatius perfectiusque, tamquam evulganda atque oculis omnium exponenda. Vid. Cruq. ad Hor. Sat. 2, 3, 2.

otiosa et affectata in textu exstarent. Rectius antiqui: Murmellius et Bondius, quorum ille: „iam capillis compositis et pexis, accepit in manus librum,“ et hic: „Iam ubi e somno iste piger excitatur, capillis pexis et in ordinem dispositis, liber &c. Iuveni scilicet molli et delicato, qui studiorum laborem æque ac desidiæ crimen effugere tentat, illa inter pectinem et speculum occupatio conveniebat. *) Sunt quidem interpretes,

*) Qui dubitat, an viri more antiquo, sicut mulieres, capillos composuerint, adeat Servium ad Æneid. 10, 832. Cultum capillorum ab ingenio huius sæculi non fuisse alienum, quin novo instructum esse luxu, vel ex eo patet, quod Nero „comam semper in gradus formatam, etiam pone verticem, summiserit,“ Sueton. Ner. 51. quod viri Romani canitiem adscititia nigredine tinxerint, Martial. 3, 43. 6, 57. et quod Domitianus librum de capillorum cura ediderit, Suet. Dom. 18. Immodicam Romanorum in coma curanda sedulitatem perstringit ita Seneca, Persio coævus: „Quid? illos otiosos vocas, quibus apud tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur, si quid proxima nocte succrevit, dum de singulis capillis in consilium itur, dum aut disiecta coma restituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur? Quomodo irascuntur, si tonsor paullo negligentior fuit? tanquam virum tonderet! Quomodo excandescunt, si quid ex iuba sua decisum est, si quid extra ordinem iacuit, nisi omnia in annulos suos recciderunt? Quis est istorum, qui non malit rempublicam suam turbari, quam comam? qui non sollicitior sit de capitis sui decore, quam de salute? qui non comtior esse malit, quam honestior? Hos tu otiosos vocas, inter pectinem speculumque occupatos?“ de Brevitate Vitæ 12, 1. 2.

qui hanc explicationem reiiciant, quod *ponere capillos* solam significationem deponendi, detondendi habere dicant. Hos remitto ad loca Ovidiana Metam. 1, 477. Heroid. 4, 77. Amorum 2, 8, 1. Art. Am. 1, 506. 3, 434.

11–14. *Chartæ* in plurali, ut alibi frequentius. *Nodosa*, geniculata, nodis distincta, Plin. H. N. 16, 36. *Arundo*, calamus, fistula v. sequ. „Chartis serviunt calami, Ægyptii maxime, cognatione quadam papyri.“ Plin. l. c. Martial. 14, 38. Scribendi instrumenta calami arundinei fuerunt primi, transiitque vox καλαμος a Græcis, quamvis calamum scriptorium illi numquam sumpserint, ad Romanos. Calamorum optimi habebantur, qui crescerent iuxta Memphim, Nilum et Gnidum. cf. Winckelmanns Werke, herausg. von Fernow. B. 2. p. 256. 335. Pro *tunc* cod. Husumensis „nunc“; pro *queritur* vet. Schol. codd. Norimb. et 5 apud Achaintrium legunt: „querimur.“ *Calamo pendeat.* Quæ flaccida sunt et deficiunt, *pendere* dicuntur Ovid. Met. 15, 231. Iuvenal. 10, 193.

15–18. Verba philosophi, nugatorias desidiosi iuvenis excusationes reprehendentis. *Ultra* pro „ulterius.“ „*Cur non potius* ad infantiam redis, qui infantium mores ita imitaris?“ De reditu ad voluptates h. l. nondum agitur. In *columbo* et „palumbo“ codd. variant; prius tamen vulgarius; et cum columbus adsimilis sit palumbo, caveamus, ne λαβοντες ὀιον χαυτον ἀντι περιστερας, ut est apud Platonem, posterius

huic loco minus idoneum optemus. Columbæ enim a Romanis diligentissime nutriebantur, et aptissima venereis muneribus habebantur. Ovid. Metam. 13, 833. A. Am. 2, 269. Petron. 85. palumbæ vero silvestres sunt, quæ solæ morantur, et nidificant in ramis et cavis arborum, ut observant Bochart Hieroz. 1, 5. Buffon &c. *Regum pueros* vid. 2, 57. *Pappare* alias: balbutie puerili patrem appellare, sed h. l. cibum sumere, ut in Epidico Plauti 5, 2, 62. „Novo liberto opus est quod pappet. Dabitur, præbebo cibum.“ „*Pappare* puerorum est, sicut manducare virorum. Versus Strabonis: Deque sono mandentis habet formabile nomen.“ Glossarium antiquum Papiæ apud Barthium, Advers. 4, 24. Hinc „papparium,“ quod edendum præbetur. De illo nutricum pappario Aristophanes in Equit: „Nutricum more tu populum pascis male, Quia ubi præmanderis, in os paullum ipsi ingeris,*) Tu vero triplo plus, quam alumnus, devoras;“ et Theophrastus de tædioso homine: „Infantem etiam nutrici suæ adimens, ipse mansum ei cibum in os inseret,**) et blandule compellans &c. Charact. 20. „*Mammam* in Persio nutricem esse putem, ut et apud Martialem 1, 101. Mammas atque Tatas habet Afra &c. De mamma sic scribit Ammonius: *τηθη μεν γαρ ἐστιν ἡ τα παιδος τροφος, ταυτας δ' ἐνιοι μαιας και μαμμας καλεσι.*“ Turnebus, Adv. 18.

*) *μασσωμενος γαρ, τω μεν ὀλιγον ἐντιθεις.*

**) *μασσωμενας οιτιζειν ἀυτος.*

34. *) De *lallare* ita Turnebus l. c. „Lallus Deus fuisse videtur, qui præesset næniis illis balbis, quas nutrices pueris occinunt et pueros reddere cogunt. Nulla enim litera est, quam facilius sonant pueri, quam Lambda. Quin etiam eius frequentia somnum inducebant. Ausonius Epist. 17. de filio Probino: Nutricis inter lemmata, Lallique somniferos modos. Inde *lallare* Persii natum crediderim.“ Et Adv. 19, 21. citatis Hieronymi verbis: „Forsitan et laxis uberum pellibus mater, arata rugis fronte, antiquum referens *mammæ lallare* congeminet,“ addit, istam congeminationem nihil aliud esse, quam eiusdem carminis iterationem; aliis vocem esse, qua nutrix ad lactandum invitet, indeque Gallis la vocem esse adhortantis. **)

*) Mammas et Tatas apud Romanos nutrices dictas esse, docent etiam inscriptiones, ut illa Romæ in hortis Carpensibus: „D. M. S. Emilii. Nisi. Vixit. Mensibus. 11. Fecit. Valeria. Hygia. Nutrix,“ si cum altera ad aquam Virginis conferatur: „Dis. M. Zetho. Corinthius. Tata. Eius. Et. Nice. Mamma.“ Inscript. I. Gruteri p. 662. Legitur et in marmore aliquo apud Fabrettium: „Mammæ pientissimæ.“ Inscr. antiqu. expl. p. 58.

*) Illæ vero nutricum næniæ apud veteres non semper verba fuere balba, ut ait Turnebus, et eiusdem vocis iterationes. Erant etiam „Almæ nutricis blanda atque infracta loquela.“ Lucret. 5, 231. Chrysippum quoque nutricum, quæ adhibentur infantibus allectationi, suum quoddam carmen assignasse, tradit Quinctilianus Inst. 1, 10, 32. In variis Græcorum cantibus apud Athenæum sunt καταβαυκαλήσεις, nutricum lactantium cantilenæ, Deipnos. 14,

19. 20. Pergit se ignavus excusare, calamum minus bonum prætendens; verum „culpantur frustra calami“ Hor. Sat. 2, 3, 7. et acrius a monitore reprehenditur. Ad calamum iam ante transtulit culpam suam, hinc: *succinis ambages:* simulationem cum verborum circuitu repetis. Illa repetitionis notio inest verbo *succino* Hor. Ep. 1, 17, 48. et *ambages* Cicero de Divin. 2, 61. circuitionem dicit et anfractum. *Tibi luditur* ab alea sumptum. Tua res, de tuo, non meo periculo agitur. Similiter Plautus: „mihi seritur, metitur.“ *Effluis* ad fideliam in sequentibus non referendum. Fluere, diffluere dicuntur luxuriæ dediti Cic. Offic. 1, 30. Tusc. 2, 22. Tibull. 2, 6, 33. Eodem modo hic licentius: *effluere*, Vel: *effluis* pro: „vita, ætas tua effluit,“ Cic. Senect. 2. et „nihil agendo senescis,“ pari quidem licentia positum.

21. *Contemnere.* Ita Horatius: „Contemnere, miser; vitanda est improba Siren, Desidia.“ Sat. 2, 3, 14. cuius satiræ Persium memorem fuisse, loca quædam ostendunt. *Sonat vitium. Sonare* ita cum accusativo Virg. Æn. 1. 332. et „sonere“ Lucret. 3, 886. Contrarium in simili sententia est *solidum crepare* 5, 25. „*Fidelia*, si ex limo (argilla) viridi et crudo nec probe cocta sit, emptoris digito pulsata, rauco sonitu

10. et exstat apud Theocritum Idyll. 24, 7. istiusmodi næniarum exemplum suavissimum. Mater Alcmenæ ita gemellos suos καταβαυκαλα: Ἔνδετ' ἐμα βρεφεα γλυκερον και ἐγερσιμον ὑπνον, Ἔνδετ' ἐμα ψυχα, δὺ ἀδελφεω, ἐυσσα τεκνα, Ὄλβιοι ἐυναζοισθε, και ὄλβιοι ὰω ἐκοισθε.

rimas indicat; ita tu futili sermone ignorantiam prodis.“ Idem brevius utriusque linguæ proverbium: ὁ λογος εἰδωλον ἐστι των ἐργων, oratio factorum simulacrum, et: ὁιος ὁ λογος, τοιουτος ἐστι και ὁ τροπος, qualis oratio, tales item mores. Propius nostro loco est dictum Diogenis apud Laertium 6, 3. mirari se, quod cum ollam et operculum emendo (tactu scilicet et tinnitu) exploremus,*) solo in homine emendo aspectu contenti simus“; et Luciani in Dialogo Tychiade inquirentis, an parasitica ars sit et veræ arti consonet, „quemadmodum, ait, ollæ vitiosæ pulsantur, an maligne resonent. **) Tautologia in *sonare vitium* et *maligne respondere*, *viridi limo* et *fid. non cocta* loco ultimam limam defuisse prodit, quod vitæ Persii convenit, cum librum ab eo imperfectum relictum esse traditur.

23. Persequitur allegoriam desumptam a figulo, qui rota fingit vasa sua. „Dum adhuc satis flexibilis es, bonis artibus diligenter es informandus, et severiore disciplina sine mora coercendus.“ Pro *lutum es* exemplar Pithoei vetustissimum: „l. est.“

24–26. *Sed rure ... patella.* Otiosum „est“ in fine omisi cum Passowio et Orellio, codd. Haun. omnes, Norimb. Tig. et tres Achaintrii secutus. Meisterus ita interpretatur: „Est tibi patrimonium non

*) ἐι χυτραν μεν και λοπαδα ὠνουμενοι σκοπουμεν.

**) καθαπερ αι ποτεραι χυτραι διακρουομεναι, μη καπρων ἀποσθεγγηται.

contemnendum, mensa parata (quid metuas?) et olla in foco domestico non deficiens.“ Illi, cum *patella* non de vase solum sacrifico, sed de quavis oris patentioris olla dicatur, mens adolescentis religiosa et cultus Deorum Romanus sensui videtur alienus, Letzte Studien p. 90. quem Orellius haud improbans citat. Cum Meistero etiam facit Censor Ien. A. L. Z. 1822. n. 198. Verum non modo patellæ, sed etiam *salini* ratio est habenda. Profanam sine salino mensam Romanorum fuisse constat. Hinc Arnobius: „Sacras facitis mensas salinorum appositu et simulacris Deorum.“ Quin salinum ipsum ad vasa sacra referebant. Inde ad illud Horatii Od. 2, 16, 13. „Splendet in mensa tenui salinum,“ ita vetus interpres: „Salinum proprie est patella, in qua Diis primitiæ cum sale offerebantur“; et Statius Silv. 1, 4, 131. „Sæpe Deis .. exiguo placuerunt farra salino.“ Vid. hac de re I. Lipsius Saturn. Serm. 1, 2. *Patella* vero, auctore Festo, vas significat sacrificiis faciendis aptum, qui sensus, ut ipse monuit Meisterus, adeo certus est, ut Cicero Fin. 2, 7. „non religiosos“ dicat, „qui edant de patella.“ Adde Ovid. Fast. 2, 633. „Et libate dapes, ut grati pignus honoris Nutriat incinctos missa patella Lares“; et 6, 310. „Fert missos Vestæ pura patella cibos.“ Nam et ad Vestam, ut ad Lares, focorum pertinebat præsidium. At nostro loco utraque vox iungitur, haud secus ac apud Val. Maximum 4, 4, 3. de paupertate Fabricii et Æmilii: „uterque patellam Deorum et salinum habuit,“ et Liv. 26, 36. ubi Lævinus

consul senatores hortabatur, ut aurum et argentum suum in publicum conferrent, et tantum modo relinquerent, „ut salinum patellamque Deorum caussa habere possent.“ Sensus ergo religiosus his vocabulis vix detrahendus videtur, hoc inprimis loco, ubi *patella* dicitur *cultrix foci*, quia, interprete vetere Scholiaste, delibatæ (delibandæ) dapes in ea positæ ad focum feruntur. Quo pertinent verba Varronis apud Nonium 15, 6. „Oportet bonum civem legibus parere et Deos colere, in patellam dare μικρον χρεως,“ et nomen „Patellarii,“ quo Dii minorum gentium, ut sunt Lares et Penates, per iocum appellantur Plaut. Cistell. 2, 1, 46. Noster, cum adolescentem inducat obiicientem, se habere, quo vitam sustentet, adeoque illa non opus habere disciplina, commemorat *salinum* et *patellam*, quæ vitæ Romanorum vel frugalissimæ maxime essent necessaria, quia ad victum quotidianum pariter ac cultum Deorum pertinebant. Eodem sensu duo illa vasa memorat Plinius H. N. 33, 12. „Fabricius, qui bellicosos imperatores plus quam pateram et salinum ex argento habere vetabat“ &c. coll. loco cit. Val. Max. 4, 4, 3. Ceterum de usu salis apud veteres cum in victu quotidiano tum in sacris cf. Plin. H. N. 31, 7. *Purum salinum* quidam referunt ad virtutem salis, quæ tanta erat veteribus, ut Homero dicatur ἁλς θειος et Plutarcho ὀψων ὀψον; verum solemni epitheto sal *purum* dicitur, v. c. „Sit mihi .. concha salis puri,“ Hor. Sat. 1, 3, 14. et „purior salillo,“ Catull. 23, 19. Quo verba *sine labe* etiam referenda, nisi eis significari malueris

virtutem et nobilitatem maiorum, nullis plebeiorum hominum sordibus contaminatam, quod sequentia suadent. Parenthesis verborum *Quid metuas?* vel sine appositis signis semilunaribus agnoscitur.

27–30. *Hoc satis? . . . in cute novi.* Pro *hoc* cod. Husumensis: „hæc.“ „Tene adeo tumidum, inflatumque et superbi animi esse oportet, vel quod longa serie sis nobilis, vel patricia sis ortus familia, vel senatoria, vel quod ex equestri sis ordine, et in traductione trabeatus spectantem salutes censorem? Tuorum equorum phaleris et ornamentis populum fallito, mihi nihil impones.“ Turnebus, Adv. 23, 23. *Pulmonem rumpere ventis* pro „inflari superbia“ inter phrases Persii insolitas numerandum. Ita et enallage vocativi pro nominativo in vocibus *millesime*, *trabeate*, (*afflate* 1, 123.) cuius tamen exempla exstant apud Virgilium Æn. 10, 327. Hor. Sat. 2, 2, 55. Tibullum 1, 8, 53. aliosque. Vide Priscianum apud Putschium c. 1116. et Ios. Scaligerum de „macte virtute esto“ in Epistola ad Franc. Fortumanum. „Censoremve“ nonnulli ante Casaubonum, qui disiunctiva remota coniecit scribendum „censoremne“; nostram vero lectionem codd. quinque Haun. Tig. et Achaintrii nec non edd. Passowii et Orellii exhibent. „Censoremve“ Haun. duo. *Trabeati* dicebantur equites a virgis latis coloris purpurei, quæ veluti trabes percurrebant vestes eorum in solemni illa transvectione, de qua Val. Maximus 2, 2, 9. „Trabeatos equites Id. Iul. Q. Fabius (Censor) transvehi instituit“; cf. Liv. 9, 46. Quod institutum,

diu neglectum, Augustus demum reduxit: „Equitum turmas frequenter recognovit, post longam intercapedinem reducto more transvectionis.“ Sueton. Aug. 40. In transvectione solemni sive annua (ἐτησίαν ἔξεταστν vocat Dio in Nerone 15.) recogniti equites, et salutati ab eis censores. *Phaleræ**) sensu proprio: ornamenta equorum, metaphorico: verba fucata (Terent. Phorm. 3, 2, 15.) significant; (Barth. Advers. 24, 3.) utro heic modo sumantur, nil videtur referre; saltim non dixerim cum Casaubono, nihil omnino illi observationi tribuendum, quæ phalerarum docet ideo fieri mentionem, quia sermo sit de equite. Notatur externa species decora, cui opponitur, quod *intus et in cute* est.

31. „Nactæ“: Haun. 2. 3. 4. 5. 6. Luneb. Tig. Hus. et codd. Turnebi. „Natæ“ vet. Schol. et Haun. 1. Varie scribi hoc nomen: Natam, Nattam, Nacam, Nactam, et de eius orthographia nihil dici posse ex veterum commentariis, iam observavit El. Vinctus ad h. l. Scholiastes Persii, „Natam“ scribens, nomen ab Horatio (Sat. 1, 6, 121.) translatum putat; ibi vero

*) In codd. *phalera* nonnumquam per f scriptæ reperiuntur; verum sequimur Grammaticum antiquum Flavium Caprum, qui ita præcipit: „Phryne, Phalanx, Phronimus, Phaleræ per p et h. scribenda sunt.“ Putsch. c. 2240. Singularem, quem Diomedes, Putsch. c. 315. et Varro L. L. 9, 4. negant, in glossis Philox. modo reperitur; nam phalera posita apud Plinium H. N. 33, 1. utrum sing. fem. sit, an plur. neutrum, incertum est. cf. K. L. Schneider, Formlehre p. 423.

Porphyrio „Nattam“ legit. „Nattam“ etiam in nummis gentis Pinariæ expressum invenit Ursatus, v. Comment. de Notis Rom. in Thes. Græv. 11, 875. Vulgatam ergo sequimur lectionem. Quisnam ille *Natta* fuerit, non tanti est, ut altius inquiratur. Turnebus et Aldus Manutius eum dicunt „nequam fullonem, qui non est nauci,“ quia „nactæ“ fullones vocantur; alii „luxoriosum quemdam, qui patrimonium suum prodegit, et nobilitatem male vivendo deturpavit“; iterum alii: „hominem ex infima plebis fæce, vitæ sordibus infamem.“ Vetus noster Scholiastes vero videtur propior, nomen ab Horatio et Persio fictum esse dicens. Certe eum plebeium fuisse non probari potest ex adiecto *discincti*, quod etiam de hominibus amplioris loci dicitur, v. c. de Mæcenate Senec. Ep. 114, 4. 6. et de Nerone apud Dionem 63, 13. Quanto habitum fuerit probro *discinctum* incessisse, docet h. l. Dio Cassius, qui, postquam multa Neronis infanda percensuit, adiicit: quibus ipsis in rebus ita faciebat contra ius fasque, ut etiam tunicis discinctis publice incederetur. *) Hinc „discinctus nepos“ Horatii Epod. 1, 34. Discingi

*) ὥστε καὶ ἀζωστους χιτωνας ἐν τῳ δημοσιῳ ἐνδεισθαι. Quinctiliani: „Ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paullum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant. Nam infra mulierum est, supra centurionum.“ Inst. Or. 11, 3. 138. Mulierum enim stola ad talos demissa erat. Hor. Sat. 1, 2, 25. 29. 99. cf. Plaut. Poenul. 5, 5, 19. 21. et Heindorf. ad loca Horatii cit.

nimirum ad poenas militares maxime ignominiosas pertinebat. Sueton. Aug. 24. Val. Max. 2, 7, 9.

32–34. „Sed flagitiorum non habet sensum; opimum illud vitiorum pingue se animi sensibus inseruit et callum obduxit; nescit se male agere; qualium et quantarum rerum iacturam faciat, stupidus ignorat; quasi profundo mari obrutus, ad superiora exsurgere nequit.“ *Opimum pingue*, ut „densum pingue“ Virg. Georg. 3, 124. cf. Hor. Sat. 1, 3, 58. Ovid. Met. 11, 148. *Caret culpa, nescit quid perdat:* Nichts ist diesem mehr Sünd', er ahndet auch seinen Verlust nicht. Passow. cf. Iuvenalis 2, 16–20.

35–38. A stupido Natta, qui nulla poenitentia tangitur, ad intemperantem iuvenem, qui virtutem cognitam deseruit, et desertæ virtutis conscientiam poeta transit, compellato Iove per apostrophen, qua nullam poenam graviorem et ipsis tyrannis digniorem, quam illa conscientiæ supplicia, enuntiat. Locus sane gravissimus, et facile anteferendus descriptionibus punientis conscientiæ ponderosioribus Romanæ antiquitatis, v. c. Iuvenal. 13, 2–4. 192. fin. Senec. Ep. 97, 12–14. Macrob. Somn. Scip. 1, 10. Cic. Or. in L. Calp. Pisonem 20. et pro S. Rosc. Amerino 24. Sallust. Catil. 15. de Catilina et Iug. 72. de Iugurtha; Sueton. Cal. 50. de Caligula; Tac. Annal. 6, 6. de Tiberio, et 14, 10. de Nerone. *Velis* cf. 5, 170. et Heind. ad Hor. Sat. 1, 4, 111. *Virtutem videant.* Si comma præcesserit, supplendum est „quam ut,“ quæ dictionis in-

convenientia vix emendata fuerit lectione „virt. ut videant,“ *) a codd. 2. apud Achaintrium et a Passowio adscita, cui codd. 3. 6. Haun. conveniunt; ceteri cum Husumensi „ut“ omittunt; minus dura videbitur, si cum Orellio præmiseris colon. Ita codd. Haun. 1. 2. 4. 5. Alii codd. 2 Achaintrii legunt „virtuti invideant;“ verum sequimur sententiam textus vulgaris, expressam ab Ovidio Metam. 7, 20. „Video meliora proboque; Deteriora sequor,“ et ab Euripide in Medea: *Τα χρης' ἐπιξαμεθα και γιγνωσκομεν, Ουκ ἐκπονεμεν. Videant — intabescantque;* locutio similis Ovid. Met. 2, 780.

39. *Siculi.* Sicilia tyrannos aluit crudelissimos, Phalaridem et Dionysios. Hinc Iuvenalis „aulam Siculam“ pro familia quavis immiti dixit 6, 485. De *iuvenco æneo* Phalaridis, ab artifice Perillo fabricato, in quem immissi damnati, igne subiecto, bovis mugitum ederent, vid. Cicero, Ovidius et Seneca, inprimis autem Lucianus in Phalaride 1 et 2.

40. *Et magis*, Codd. Haun. et Tigurinus cum plerisque Casauboni et Achaintrii. De *ense*, *auratis laquearibus* appenso, qui Damoclem, assentatorem Dionysii, fortunam regiam experientem, terrebat, Cic. Tusc. 5, 21. Macrob. Somn. Scip. 1, 10. Hor. Od. 3, 1, 17.

*) „Particula „ut“ interposita sine dubio a librario profecta est, qui post verba *Haud alia ratione velis* exspectaret „quam ut,“ illud tamen metro coactus omitteret.“ Weber.

43. *Infelix*, tanto infelicior, quanto taciturnior, nam „strangulat inclusus dolor, atque exæstuat intus," Ovid. Trist. 5, 1, 63. et „fervens æstuat occultis animus, semperque tacendis." Iuvenal. 3, 49.

44. Desidem iam excitat argumento ab ætate sumpto. *Tangebam olivo*, ut viderer oculis laborare. „Mihi lippitudinem arcessebam." Vet. Schol. Pithoei et nonnullæ aliæ editiones legunt „tingebam," at codd. Haun. 1. 2. 4. 5. 6. *tangebam*, quam lectionem Scholiastes eo stabilivit, quod oculos oleo „tactos" ad tempus perturbari dixerit. Eodem sensu verbum „tangere" adhibuit Ovidius Art. Am. 1, 662. Haun. tertius: „figebam."

45. „Si sublimia illa Catonis Uticensis de morte verba, quæ in ludis exercitii loco proponebantur, ediscere et recitare nollem." Verba scilicet deliberativa, an devicto Pompeio moriatur, nec ne. Deliberationi instituendæ ipsa verba morituri Catonis ad amicos gladium ei denegantes facta opportunitatem præbent: „Et quidem nihil dum statui; quod autem statuero, id ut exequar, integrum mihi esse debet. Deliberabo autem etiam vobiscum, si prius rationes habuero cum iis libris et doctrinis, quibus etiam vos, cum philosophamini, uti soletis." *) Quod exercitatio-

*) *Καιτοι βεβουλευμαι μεν ἐδεν ἐγωγε περι ἐμαυτου. δει δε με βουλευσαμενον ειναι κυριον δις ἐγνωκα χρησθαι. βουλευομαι* &c. Cato Plutarchi 69.

nis genus apud rhetores dicebatur ἠθοποιία vel μίμησις. Quinct. Inst. 9, 2, 58. De eius usu et abusu apud Romanos vid. quæ Koenig ad hunc Persii locum fusius disseruit. Huius generis declamationes Iuvenalis perstringit: „Et nos ergo manus ferulæ subduximus, et nos Consilium dedimus Sullæ, privatus ut altum Dormiret.“ Sat. 1, 15. et Petronius: „Num alio genere furiarum delamatores inquietantur &c. Satyric. ab initio.

46. *Discere.* De varia lectione ita Heinsius ad Ovid. Art. Am. 1, 662. ed. Burm. „In codd. Persii nonnullis „discere,“ non „dicere,“ idque rectius fortasse; primo enim alienas declamationes memoriæ mandabant pueri, deinde ipsi incipiebant marte proprio commentari nonnihil eiuscemodi; „discere“ igitur *cum parvus* optime quadrat, quod puerorum proprium.“ Consentiunt Codd. Haun. omnes, Husumensis, Uratisl. Luneb. Achaintrii aliquot cum Murmellio, Farnabio, Passowio et Orellio. Displiceat forsan *discere*, quod eo tantum de tirunculorum memoriter ediscendi opera cogitamus; nec suo carebit patrocinio, si quis posthabitis codicibus, quorum modo tres apud Achaintrium „dicere“ exhibent, hanc lectionem prætulerit, cum Quinctilianus Inst. Or. 2, 7, 1. illud ex consuetudine mutandum præcipiat in ætate puerili, „ne omnia, quæ scripserint, ediscant, et certa, ut moris est, die *dicant*, quod quidem maxime patres exigunt &c. Codd. Haun. 1. 2. 4. 5. 6. 7. Husumensis et multi apud Achaintrium: „et insano“; Haun. tertius cum Luneb.

apud Passowium et Turic. apud Orellium: „ab insano.“ Alii apud Achaintr. cum Pithoeo et Casaubono: *non sano*. „Quod verum videtur; *non sano* explicabant „insano,“ quod cum in codd. irrepsisset, propter metrum imperite alii inserebant „et“. Orellius. cf. Weberum ad h. l. Petronius magistros sui temporis eloquentiæ, cum futiles exercitationes laudent, eo nomine excusat, quod „necesse habeant cum insanientibus furere;“ quod „nisi dixerint, quæ adolescentuli probent, soli in scholis relinquantur,“ et „nisi, tamquam piscatores, eam imposuerint hamis escam, quam scierint appetituros esse pisciculos, sine spe prædæ morentur in scopulo.“ A doctoribus culpam transfert in parentes, „qui nolunt liberos suos severa lege proficere, qui, sicut omnia, spes quoque suas ambitioni donant . . et eloquentiam, qua nihil esse maius confitentur, pueris induunt adhuc nascentibus“ &c. Satyric. 3 et 4.

47. Petronium sui temporis parentes non iniuria accusasse ambitionis, Persius, illi coævus, docet patris sui exemplo, quod quidem fictum, cum infans patre erat orbatus, *) at tempori convenienter dictum existimabitur. Ita Quinctilianus, qui pauca post decennia floruit, cum loco ad v. 46. citato declamandi consuetudine pueris interdicit, ita pergit: „quod quidem maxime patres exigunt, atque ita demum studere libe-

*) „Pater eius Flaccus pupillum reliquit moriens, annorum fere sex.“ Vita antiqua Persii.

ros suos, si quam frequentissime declamaverint, credunt.“ Idem 10, 5, 21. vituperat „persuasionem patrum, numerantium potius declamationes, quam æstimantium.“ *Sudans.* De sudore „præ lætitia“ facile cum plerisque interpretibus hoc et præcedente loco (2, 55.) cogitaturus eram, si lætitia sudorem, æque ac lacrymas, ex usu loquendi eliceret. Utique „parentum imperitorum inane gaudium,“ de quo Quinctilianus 2, 4, 16. huic, tamquam suo, loco conveniret. Censori item Ienensi *) lætitia videtur anteponenda anxietati, quæ sensui minus quadrat. Nec sudor ob laborem in amicis adducendis arridet. Sequamur ergo Casaubonum, qui vocem præbet ambiguam: ἀγωνιῶν, et Statium admittamus interpretem, in epicedio pulcherrimo patrem ita compellantem: „Qualis eras, Latios quoties ego carmine patres Mulcerem, felixque tui spectator adesses Muneris? heu quali confusus gaudia fletu Vota, piosque metus inter, lætumque pudorem! Quam tuus ille dies“ &c. Silv. 5, 5, 215.

48–51. *Iure,* puerili ætati convenienter. Cod. Tig. omittit *id.* Haun. quintus et 6 apud Achaintr. „summo.“ Tres enumerantur lusionum species. Prima, talorum vel tesserarum usus, quo spectat *senionis* et *caniculæ* mentio. Ut quisque talis iactatis senionem, græcismo coum, miserat, vincebat, sin canem, gr. chium, vincebatur. De utroque iactu Martialis 13,

*) Allg. Lit. Z. 1822. n. 198.

1, 6. „Senio nec nostrum cum cane quassat ebur.“ Erant scilicet tali ex ebore, ut etiam fritillus, in quo concussi super tabulam effundebantur. Senio *dexter* erat, nisi aliter ex lusus lege convenisset, ut in epistola Augusti ad Tiberium: „Inter cenam lusimus γεροντικῶς et heri et hodie. Talis enim iactatis ut quisque canem aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat, quos tollebat universos, qui Venerem iecerat.“ Sueton. Aug. 71. Hic tam senio quam canis (cum scilicet unio prodiret) damnosus erat. Propertius 4, 9, 17. Venerem, prosperrimum iactum, cum scilicet omnes quatuor tesseræ cecidissent dissimiliter, per talos secundos quærit, at „semper damnosi subsilire canes.“ De talis, ἀστραγάλοις, et tesseris, κύβοις, cf. Heindorfium ad Hor. Sat. 2, 3, 171. et scriptores hac de re ab eo laudatos. *) Cod. Haun. septimus: *voto* et *damn.*

---

*) Quærendum forte, an pueri Romanorum talis luserint. De Græcorum pueris hoc certe constat. Plinius Polycletum Sicyonium duos pueros nudos ex ære fecisse perhibet talis ludentes, unde astragalizontes vocabantur, H. N. 34, 8. De Cupidine et Ganymede item Apollonius Rhodius Argonaut. 3. ἀμφ᾽ ἀστραγάλοισι δὲ τώγε χρυσείοις, ἅτε κοῦροι ὁμήθεες, ἑψιόωντο. Verum apud Romanos lusum talorum levamentum plerumque senile fuisse, indicat illud γεροντικῶς in epistola Augusti cit. et Ciceronis de Senect. 16. „Sibi habeant arma, sibi equos . . nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant et tesseras.“ Puerulis non in usu fuisse invenio, nec adolescentibus, nisi cum Græcorum more constitueretur rex sive magister convivii.

50. *Raderet* de acervo, damno illato auferret: contrarium præcedenti *ferret*, quod lucrum indicat. *Angustæ . . orcæ.* Secunda lusio puerilis, qua nuces vel id genus alia distante ex loco in angustum foramen coniiciebatur. In elegia de Nuce, quæ Ovidio tribuitur, quædam eiusmodi ludorum genera describuntur, et hoc v. 85 ita: „Vas quoque sæpe cavum spatio distante locatur, In quod missa levi nux cadat una manu.“ Græcis ille lusus τρυπα dicitur, „cum talos aut nuces in foveam quandam collineando proiiciunt.“ Pollux Onomast. Casaubonus loco ex Polluce citato rem confirmans, fieri posse existimat, ut non alia heic lusionis species intelligatur, quam ea, de qua in præcedentibus versibus; id quod repetunt interpretes haud ita pauci, eo scilicet adducti, quod pyxis cornea vel vasculum poculo simile, in quo tali et tesseræ concutiuntur, et inde in tabulam talariam coniiciuntur, non solum fritillus, pyrgus, phimus et turricula, sed ut aiunt etiam *orca* dicebatur. Verum illam orcæ significationem nulla alia auctoritate, quam hoc Persii loco, probant. De hoc vero Scholiastes: „Collo amphoræ ex distanti loco ait nuces mittere, ut manus non erret: qui ludus ubique celebratur . . . . Orca est amphoræ

---

qui talorum iactu arbiter bibendi creatus, leges ad potionem pertinentes præscripsit, aut cum in amore fausta quærerentur omina. Hor. Od. 1, 4, 18. Plaut. Asinar. 4, 1, 55. 5, 2, 55. Plutarch. Sympos. Probl. 4. Licentius igitur talos ad teneriorem ætatem Persius videtur retulisse.

species," &c. Vix crederes, Marcilium, eruditum ceterum interpretem, de hac orcæ definitione dixisse, eam convenire, ut mari arbores, nemori pisces. Orcam multorum vasorum appellationem esse, ut olearii, vinarii, ficarii &c. notum est ex Varr. R. R. 1, 15. Columel. 12, 15. quin ex ipsa nostra Satira v. 76. ubi pro cado salsamentario adhibitur. *) Adde, quod *angustæ*, si pyrgum exprimat, adiectum sit otiosum, sin vero nostro sumatur sensu, rationem τῶ *fallier* contineat; et quod lusio hæc vere puerilis Persio tanto minus sit detrahenda, quanto maior præcedentis exempli videatur infelicitas.

51. *Buxum*, trochum buxeum, Græcorum τροχον, tertium puerile ludicrum, turbinem scilicet scutica circumactum, describit nobilis ille locus Virgilii Æn. 7, 378. „Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo, Quem pueri magno in gyro vacua atria circum Intenti ludo exercent: ille actus habena Curvatis fertur spatiis: stupet inscia supra Impubesque manus, mirata volubile buxum." A Græcis eum ad Romanos transiisse, Horatius indicat Od. 3, 24, 57. et usum eius frequentem ostendunt loca Hor. A. P. 380. Tibul. 1, 5, 3. Propert. 3, 15, 6. Martial. 14, 168, 2. 169, 2. &c. At trochus veterum alius omnino erat a turbine et trocho hodierno, quod locorum citatorum aliqua satis indicant: rotula scilicet, seu circulus, postremo ex ære

*) Est Græcorum ὀρχη, æol. ἐρχη, υ in ο mutato, ut νυξ, nox. Hinc nonnulli codices „orchæ" scriptum exhibent.

seu ferro conflatus, cuius axiculis appensi annuli inter currendum tinniebant. Hieron. Mercurialis de Arte Gymn. 3, 8. figuram trochi exhibet, in vetustissimo cuiusdam comici vel satirici poetæ monumento expressam, ubi præter annulos dentes quidam circulo infixi et mobiles sunt, qui ad strepitum maiorem edendum appositi videntur. *Callidior torquere* inter græcismos Persio solemnes numerandum.

52–62. Comma ob antapodosin dissimilitudinis cum præcedente connectendum. Per antithesin describit adolescentiam, cui nullum socordiæ paratum est ab ætate patrocinium; cum enim bonorum et malorum rationem habere possit, et philosophiam Stoicam, cuius præcipuum caput est de fine, iam degustaverit, alia hæc ætas alios mores postulat.

52. Cod. Haun. tertius: „inexp. est.“ Ceteri *cum* Husumensi „est“ omittunt. *Curvos depr. mores.* Horatius: „curvo dignoscere verum“ Ep. 2, 2, 44.

53. *Sapiens porticus* metonymice pro sapientum *in illa* disputantium. Poecile, Ποικίλη, varia, dicebatur a picturarum varietate, quas Athenis Polygnotus gratuito, Mycon mercede fecerunt. Plin. H. N. 35, 9. Plutarch. in Cimone. Picturas illas describit Pausanias, et earum quidem partem, verbis: *braccatis illita Medis* significatam, pugnam scilicet Marathonicam, hoc modo: „In extremo picturæ loco sunt, qui in Marathone pugnarunt: ex Bœotiis Platæenses, et item Attici nominis omnes, qui cum Barbaris con-

flixerunt. Spectatur autem in pugnando par in utraque acie alacritas; quod ad interiorem pugnæ faciem attinet, fugientes videas Barbaros, et se invicem in paludem trudentes. In ipso operis fine Phœnissæ naves sunt, et Barbarorum, qui in eas se conieccrant, a Græcis facta cædes." *) Vid. et Corn. Nep. Milt. 6, 5. *Medi* dicuntur pro Persis, quia cum his eundem agnoscebant regem Darium, qui ad debellandam Græciam venerat. *Braccati*, braccis, femoralibus laxis, a lumbis ad talos usque protensis, induti. Ovidius hoc vestimenti genus Persis Trist. 5, 10, 34. et Getis 5, 7, 49. Lucanus 1, 430. et Val. Flaccus 5, 424. Sarmatis tribuit. „Barbarorum tegmen" vocat Tacitus Hist. 2, 20, 2. quod Barbarorum proprium esset, earumque gentium, quæ frigidiores regiones incolebant. Hinc Gallia Transalpina „Braccata" dicta, et Cisalpinæ, quæ „Togata" nominabatur, contraria est, quod ibi gallice braccis, *non* togis Romano more vestirentur. Vid. Plin. H. N. 3, 3 et 4. Sueton. Iul. Cæs. 80.

54. Lectionem „indetonsa" habent codd. Haun. quatuor cum Tig. apud Orellium et al. apud Achaintrium, editiones etiam antiquæ Murmellii, Bondii et Wedderburni. Eadem videtur Scholiastæ veteris

*) *Τελευταιων δε της γραφης εισιν οι μαχησαμενοι Μαραθωνι. Βοιωτων δε οι Πλαταιαν εχοντες και οσον ην Αττικων, ιασιν ες χειρας τοις βαρβαροις. Και τουτω μεν εξιν ισα παρ' αμφοτερων ες το εργον, το δε εσω της μαχης, φευγοντες εισιν οι βαρβαροι και ες το ελος ωθουντες αλληλους. Ε'οχατα δε της γραφης νηες τε αι φοινισσαι, και των βαρβαρων τους εσπιπτοντας ες ταυτας φονευοντες οι Ε'λληνες* &c. 1, 15, 4.

fuisse lectio, cum exponat: „philosophi, qui non tondebantur.“ Illi officit, quod Stoicus ad cutem usque tonsus esset, et hinc a Luciano Hermot. 18. per irrisionem dictus ὁ πωγων βαθυς και ἐν χρῳ ἡ κυρα, cui illud apud Iuvenalem 2, 15. convenit: „supercilio brevior coma.“ Obiici quidem poterit, comam apud Romanos nutritam fuisse ad pubertatis usque tempus, annum scilicet quartum decimum, et hoc elapso demum præcisam, teste Acrone ad Hor. Od. 4, 10, 2. Martialem igitur 3, 58, 30. impuberes „capillatos,“ et Persium 1, 29. discipulos *cirratos* dixisse. Hic vero cum de porticu Stoica omnino agatur, lectio „indetonsa,“ quæ de Romanis cirratis intelligenda esset, a re aliena visa est, alteri *et detonsa*, a membranis pluribus, et in his Haun. 1. 4. criticisque inprimis recensionibus Casauboni, Passowii et Orellii receptæ, postponenda.

55. *Siliquæ*, leguminum seu fabarum folliculi, ciborum vilissimum genus, Græcis κερατια. Κερ. ὧν ἠσθιον οἱ χοιροι. Luc. 15, 16. Horatio vates „vivit siliquis et pane secundo,“ Ep. 2, 1, 123. quæ etiam Iuvenal. 11, 58. pro frugalitate ponuntur. Iis, quæ Casaubonus de tosta *polenta* attulit, adiici possunt Virg. Æn. 1, 185. et Ovid. Met. 5, 450. quibus veteris admonemur moris, nullibi sine damno aboliti, quo far ante torrebatur, quam molebatur, et tum demum coquebatur. Sic „far bis tostum“ panis est.

56. 57. *Et tibi qui Samios diduxit* &c. „Novimus Pythagoram Samium vitam humanam divisisse

in modum *Y* literæ, scilicet quod prima ætas incerta sit, quippe quæ adhuc se nec vitiis nec virtutibus dedit; bivium autem *Y* literæ a iuventute incipere, quo tempore homines aut vitia, id est partem sinistram, aut virtutes, i. e. partem dextram, sequuntur." Servius ad Virg. Æn. 6, 136. cf. præter Schol. vet. ad h. l. epigramma de litera *Y* in Catalectis ita dictis Virgilianis, Auson. Eidyl. 12, 9. de lit. monosyll. Hieron. Epist. 7. Isidor. Hisp. Orig. 1, 3. Lactant. Div. Inst. 6, 3. *) Ceterum comparandus locus similis et pulcherrimus Hesiodi, huius argumenti: „Malitiam quidem cumulatim capere facile est; brevis quippe via est, et in proximo habitat. Ante virtutem vero sudorem Dii posuerunt immortales; sed longa atque ardua via est ad ipsam, primumque aspera; ubi vero ad summum

*) Si quæritur, qualis literæ huius Pythagoricæ figura fuerit, eam epigramma, quod Virgilio tribuitur, ita describit: „Litera Pythagoræ, discrimine secta bicorni, Humanæ vitæ speciem præferre videtur; Nam via virtutis dextrum petit ardua callem, Difficilemque aditum primum spectantibus offert, Sed requiem præbet fessis in vertice summo. Molle ostendit iter via lata, sed ultima meta Præcipitat captos, volvitque per ardua saxa" &c. Monet heic scriptor, unum eius cornu rectum, alterum proclive et tamen præceps fuisse. Eam igitur formam, quam hodie habet, olim non obtinuisse, necesse est. Testatur tamen Plinius, veteres Græcas literas fuisse pæne easdem, quæ suo tempore erant latinæ, provocans ad Delphicam tabulam antiqui æris, quæ in Palatio dono principum Minervæ dicata fuerat cum inscriptione. H. N. 7, 58. cf. Herodot. 5, 59.

ventum sit, facilis deinceps est, quantumvis difficilis fuerit;“ *) item inde forsan desumta narratio Prodici de Hercule in bivio, Xenoph. Memorab. 2, 1, 21. Cic. Offic. 1, 32. eodemque tendens descriptio Matthæi 7, 13. „Deduxit,“ lectio quorundam codicum, scilicet Haun. secundi, Tigurini, Achaintrii, Husumensis &c. a Casaubono emendata est in *diduxit*, quod dudum tamen a Murmellio veræ latinitati restitutum erat. Quam lectionem firmant codd. Haun. 1. 3. 4. 5. 6. cf. Heinsium ad Ovid. Metam. 4, 375. et quæ de verbis diducere et deducere disseruit Car. Fea ad Hor. A. P. 129.

58. 59. Temulentum velut oculis conspiciendum præbent. Cf. luculentas ebrii descriptiones apud Lucretium 3, 475. et Lyconem Philosophum, cuius fragmentum cum annotatione edidit Dav. Ruhnkenius Opusc. T. 1. Caput somnolentorum more ad utrumque latus dependet, et dissolutum se non sustinet, quasi fractis colli vinculis et extensis maxillarum iuncturis. „Lassum“ Passowii non approbant codices Haun. qui omnes *laxum* habent. „Laxa cervice“ ita in Stat. Theb. 4, 70. ex MS. legit Burmannus ad Claudian. in Eutrop. 1, 110. Conferendus Philo, cum in dissertatione de Plantatione Noe ebrium ita describat: ἀυχενα και κεφαλην παραβαλων και ὀκλασας, και ὁλον το σωμα

*) Την μεντοι κακοτητα και ἰλαδον ἐξιν ἑλεσθαι Ῥᾳδιως. ὁλιγη μεν ὁδος, μαλα δ' ἐγγυθι ναιει. Της δ' ἀρετης ἱδρωτα θεοι προπαροιθεν ἐθηκαν Ἀθανατοι, μακρος δε και ὀρθιος ὀιμος ἐπ' ἀυτην, Και τρηχυς το πρωτον. ἐπην δ' ἐις ἀκρον ἱκηται, Ῥᾳδιη δ' ἐπειτα πελει, χαλεπη περ ἐουσα. Op. et dies 285.

παραισρεις πεσειται: et de temulentia: βεβαρημενος τους ὀφθαλμους ἀπ' οἰνου, και την κεφαλην παραβαλλων, και τον ἀυχενα ἐγκαρσιον πλησιαζων. ubi Mangeius coniectura ὀκλαζων, sed Ruhnkenius πλαγιαζων legit. Pro *dissutis* cod. Haun. secundus: ‚discussis" et septimus: „diffusis".

60-62. Allegoria a sagittariis, qui certum sibi scopum proponunt, non *corvos*, rem vagam et incertam, spectant. Eadem Horatio imago Od. 2, 16, 17. „Quid brevi fortes iaculamur ævo multa?" et Luciano in Toxaride: ἐπειδη νυν ἀσκοπα τετοξευκαμεν &c. De iis, quæ frustra fiunt, adagium est Græcis: διωκειν δρομῳ τα πετομενα vel πετεινα. *Corvos* dixit, ut Horatius „merulas," quibus „intentus decidit auceps in puteum foveamve." A. P. 458. *Testa lutoque*, eo arrepto, quod primum in manus venerit. *Ex tempore vivens*, de futuris non sollicitus. Ita βιων καθ' ἡμεραν Aristophanes. De certo vivendi consilio deligendo multa et præclara Stoici: Senec. Ep. 23, 7. 8. Epict. Enchir. 33, 1. Marc. Antonin. de Se Ipso 2, 4. 14. 11, 19. 12, 15.

63. 64. Quod de corpore dicitur, de anima accipiendum. *Helleborum* nigrum mederi hydropicis, ait Plinius H. N. 25, 5. verba repetens Dioscoridis 4, 151. Sed incipienti morbo remediis in tempore occurrendum. Ita Ovidius: „Sero medicina paratur, Cum mala per longas invaluere moras," et alibi: „Opprime, dum nova sunt, subiti mala semina morbi;"

in quam sententiam Theognis: *Ζητωμεν δ' ἑλκει φαρμακα φυομενῳ*, Pharmaca nascenti sunt adhibenda malo. Hoc inprimis pertinet ad hydropicos, quorum „morbus fieri potest longus, nisi primis diebus succurritur.“ Celsus de Medicina 3, 21.

65. „*Craterus* fuit medicus celeberrimus ætate Ciceronis et Augusti (?) ut mirum sit, Plinium in commemoratione illustrium medicorum illum præteriisse, quem celebrant Horatius et Persius.“ Popma. De eo nimirum Horatius: „Craterum dixisse putato,“ Sat. 2, 3, 161. Verba item Ciceronis Epp. ad Atticum 12, 13 et 14. magnam in eo positam fidem probant. *Magnos promittere montes*, res maximas. Ita „aureos montes polliceri,“ Terent. Phorm. 1, 2, 18. „montes argenti,“ Plaut. Mil. 4, 2, 73. „maria et montes polliceri,“ Sallust. Catil. 23. Idem expressit Seneca, cum ægros, „si mortis periculum admotum est propius, medicorum genua tangere“ dicit de Brev. Vitæ 8, 3.

66. Ut sapientes veterum frequenter, hominum quemlibet velut dispensatorem in partem suam collocatum a supremo domino dicit. Antoninum ita sua, ut imperatoris, Romani, philosophi, hominis denique officia complexum fuisse aureolis illis eclogis librorum *των εις εαυτον* meminit C. Barthius Adv. 42, 5. dolens, quod usque ad duos libros immani reipublicæ literariæ detrimento perierint. Similes officiorum descriptiones apud Senecam, Arrianum, Epictetum, Hieroclem et alios reperies. *Discite, o miseri.* Ita

cum membranis plurimis Pithoeus et Casaubonus. Verum hiatus evitandi studium multimodam loci emendationem peperit, quod ostendit lectionum varietas. Scriptum scilicet invenimus: „Disciteque, Disc. et, Disc. iam, Disc. at, Disc. io.“ Variant ita codd. Haunienses omnes. Exemplar L. vetustissimum Pithoei et editiones aliquot cum Casaubono legunt *Disc. o*, nulla ob hiatum inserta syllaba. In editione Veneta an. 1449. et Lugdunensi 1510. apud Weberum *disciteque, o miseri* scriptum invenitur; ita quoque apud Augustinum de Civ. Dei 2, 6. ubi de Vivis duos hos versus illustrat. Si quid inseri necesse foret, facile præferrem „at“ membranæ Luneb. vel „io“ Reizii et Nasseri. Otiosum „et“ Eliæ Vineti, a Passowio et Orellio receptum, a putido prope abesse videtur. Observationem tamen, ab emendandi studio locum satis vindicantem, adiecit ita Orellius: „O longum et aspiratum; ideoque vocalis antecedens sæpe non eliditur. Didot. Sed exempla nulla attulit. O quidem passim non eliditur, velut in notissimo illo Virg. Ge. 3, (2,) 486. O ubi campi.“*)

*) Exempla similia sunt sequentia: Virg. Æn. 10, 18. „O pater, o hominum, divumque æterna potestas!“ Ovid. Heroid. 1, 5. „O utinam tunc, cum Lacedæmona classe petebam.“ Metamorph. 2, 520. „O ego quantum egi! quam vasta potentia nostra!“ Tibull. 2, 4, 7. „O ego ne possim tales sentire dolores!“ Alia sunt: Virg. Ecl. 2, 65. „Te Corydon o Alexi: trahit sua quemque voluptas,“ et 6. 44. „Clamassent, ut litus Hyla, Hyla omne sonaret,“ ubi vocalis non elisa corripitur more Græcorum.

Miseros, ægros, insanientes esse homines, qui non vivant e præceptis philosophiæ, Stoici docuerunt, vid. Cic. Parad. 4. Hor. Sat. 2, 3, 43 sq. Seneca de Constantia sapientis 12. et libri Stoicorum alii. *Caussas cognoscite rerum*, duce philosophia, quæ igitur ἐπιστήμη ἀληθῶν καὶ ψευδῶν dicitur apud Diog. Laert. in Zenone; „Sapientia, rerum divinarum et humanarum, caussarumque, quibus hæ res continentur, scientia." Cic. Off. 2, 2. Huius sapientis felicitatem laudat Virgilius Georg. 2, 490 sq. Sublimes sapientis sui descriptiones Stoicorum vid. Senec. Ep. 92, 4 sq. Marc. Antonin. 3, 4. 10, 1. Persius h. l. spectat „vivendi caussas" Iuvenal. 8, 84. gravissima philosophiæ capita de cognitione sui ipsius &c. quæ in sequentibus traduntur, a Casaubono fusius illustrata. *Caussas* in textum receptum est ex codd. aliquot et antiquis inscriptionibus, in quibus *s* geminatum frequentius, quam simplex, reperitur, non tamen defenderim contra Quinctilianum, cuius verba Inst. Or. 1, 7, 20. *ss* ævo quidem Ciceronis et Virgilii usitatum, suo vero tempore antiquatum fuisse indicant, et contra Grammaticos apud Putschium c. 2257. 2283. 2331. Vid. K. L. Schneider Formenlehre p. 431 sq.

67. *Quid sumus, et quidnam victuri gignimur.* „Qui nescit, quid sit mundus, nescit, ubi sit. Qui nescit, cuius rei caussa exstiterit, neque quis sit, neque quid mundus sit, intelligit. Quorum alterutrum cui deest, is quam ob caussam ipse exstiterit, dicere ne-

quit.“ *) M. Antoninus. 8, 44. Cod. Husumensis: „an quid morituri gignimur.“

68. *Ordo quis datus.* Iis, quæ Casaubonus et Koenig ad h. l. de fato ex sententia Stoicorum attulerunt, adiicias verba M. Antonini 7, 9. „Omnia inter se complexa sunt sacro nodo . . ordine omnia certo disposita.“ *Aut metæ qua mollis flexus, et unde.* Bona pars codicum (sex apud Achaintrium) cum Pithoeo et Schrevelio legunt *qua*, quibus vetus interpres consentire videtur. Elias Vinetus ita: „*Qua* et *unde* adverbia hic agnoscuntur ab interprete vetusto. Pro *qua* „quam“ multi inepte legerunt.“ Quod quidem docto viro non omnino concedendum, cum „quam“ τῳ *mollis* appositum aptum edat sensum. Ita et Haun. 2. 3. 4. 5. 6. Attamen non inficiandum, *qua* et *unde*, „qua via et ex quo loco,“ apprime sibi invicem congruere, et utrumque, *flexui* iunctum, aptius exprimere metaphoram a certamine curruli desumptam. De qua ita Turnebus: „In circo ad metam, qua inflectebatur curriculum, *flexus* dicebatur: a Græcis καμπτηρ, ut et in stadio; et ipsa quoque flexio et lustratio metæ *flexus* dicebatur. In lustranda autem curru meta, in ipsoque flexu maxima aurigandi industria erat, maximumque periculum imperitiæ. Ac certus erat locus, *unde* cursum flectere oportebat. Qui secus fecerat,

*) Ὁ μεν μὴ εἰδως ὁ, τι ἐστι κοσμος, ἐκ οὐδεν ὁπου ἐστιν, ὁ δε μη εἰδως προς ὁ, τι πεφυκεν, ἐκ οὐδεν ὁσιος ἐστιν, οὐδε τι ἐστι κοσμος. ὁ δε ἐν τι τουτων ἀπολιπων, οὐδε προς ὁ, τι αὐτος πεφυκεν εἰποι.

rotam plerumque frangebat metæ impactam. Cum autem curriculum vitæ humanæ simile sit curriculo circensi, per *flexum metæ* artem intelligit vitæ regendæ atque moderandæ.“ Adv. 23, 23. His perpensis *metam* non cum plerisque mortem, vitæ humanæ terminum, intelligo, sed virtutem, finem vitæ Stoicorum, „qui omnia, quæ ad beatam vitam pertinerent, in una virtute ponebant, nec quidquam aliud numerabant in bonis.“ Cicero de Zenone, Quæst. Acad. 1, 10. Eundem sensum Passowius accepisse videtur, ita transferens: auch zarterer Pflicht Eingriff in das Leben; quam quidem translationem non eo nomine, quo Censor Goettingensis,*) quod ideam mortis, verum quod metaphoram scriptoris omiserit, improbo. Bondius, qui legit „undæ,“ respici existimat ad metam in naumachia constitutam, ad quam navis subito esset convertenda, et locum citat Virgilianum Æn. 5, 129. Codd. Haun. 2, 3, 5, itidem „undæ“.

69. 70. *Quid asper* &c. „Quæ nummi asperi, sive novi sive candidi, utilitas: non implere ollam denariorum, sed uti liberaliter. In thesauris nummi asperi, sive non detriti et quasi decotes, deponebantur.“ Marcilius. Ita Neronem, in nummis fastidiosum, ne alios quidem in exactione tributorum recipere voluisse, locus ostendit Suetonii Ner. 44. „Exegit ingenti fastidio et acerbitate nummum asperum“ &c.

*) Goetting. gel. Anz. St. 99. 1823.

Creditores item cavere solitos, hoc sibi genere nummorum solutum iri, verba indicant Senecæ: „si te novi, nec voles, quod debeo, nisi in aspero et probo accipere.“ Epist. 19, 9. Hinc *asperitas* novitatem, ignotam Lexicographis notionem, designat apud Vitruvium 7, 5. „Itaque cum aspectus eius scenæ propter asperitatem eblandiretur omnium visus, et iam id opus probare fuissent parati, tum Licinius &c. vid. C. Barthii Adv. 11, 27. cf. Turnebi Adv. 18, 28. et Iac. Duporti Prælect. in Theophrasti Charact. 4.

71. Cod. Husumensis: „largiri“; at verbo *elargiri* notio profusionis inest, cum ab e composita significationem augeant. *Quem te Deus* &c. Vestigium monotheismi h. l. significatum apud ceteros Stoicos haud raro invenimus. Ita Zeno eiusque sectatores unum Deum esse, ipsumque et mentem, et fatum, et Iovem, multisque aliis appellari nominibus crediderunt. *) Diog. Laert. 7, 135. „Deum“ dicebant „ex omni substantia propriam qualitatem, eundemque incorruptibilem“ &c. ibid. 137. **) Marco Antonino item est „unus per omnia Deus, una natura, una lex.“ de Se Ipso 7, 7. ***) Merito quidem eis obiicit Plutarchus, Adversus Stoicos c. 48. „quod Deum, quem principium statuunt, corpus dicant mente præditum, men-

*) *ἓν εἶναι θεον, καὶ νεν, καὶ εἱμαρμενην, καὶ Δια, πολλαις δε ἑτεραις ὀνομασιαις προσονομαζεσθαι.*

**) *Θεον, τον ἐκ της ὑπαρξης ὑσιας ποιον, ὁς δη ἀφθαρτος ἐςι* &c.

***) *Θεος ἐις ὁια παντων, καὶ ὑσια μια, καὶ νομος ἐις* &c.

temque in materia versantem, non simplicem cum esse, neque purum, sed ex alio et per aliud esse pronuntiantes.“ *) Cum tamen „Deos“ num. plur. dixerunt, ut Noster sæpius et Antoninus, qui 12, 23. Deos esse probavit argumentatione physico-theologica, consuetudini sermonis sese videntur accommodasse. Nec desunt alia Antonini loca, quæ Deum numero singulari pronuntiant, v. c. 7, 26. 10, 12.

72. Cf. Epict. Enchir. 17, 29. 30. Antonin. 11, 16. Cic. Offic. 1, 31–34.

73. Noster philosophus hucusque serius, in dogmate Stoico de contemptu divitiarum non imperat sibi, quin prodat genium satiricum, avaritiam cum caussidicorum, dona captantium, tum clientum, munera tantum vilia offerentium, carpens. Illam clientum illiberalitatem perstringit item Iuvenalis loco acerbitatis pleno 7, 119 sq. „Quod vocis pretium? siccus petasunculus“ &c. *Fidelia* Nonio est „vas Samium ad plurimos usus.“ De testa Samia Plin. H. N. 35, 12. Umbria et Tuscia vel Etruria a copia tritici, vini, casei et carnium, quæ producebant, annonariæ appellabantur. Auctor est Plinius H. N. 17, 4. Cæsarem Vopiscum, apud censores caussam agentem, dixisse, „campos Roseæ,**) qui sunt in Umbria, Italiæ sumen

*) *Και μην ἐτοι τον θεον ἀρχην ὀντα, σωμα νοερον, και νεν ἐν ὑλῃ ποιουντες, ἐ καθαρον, ἐδε ἁπλεν, ἐδ' ἀσυνθετον, ἀλλ ἐξ ἑτερε και δι ἑτερε ἀποφαινεσιν.*

**) Roseæ campos in coronam cingunt Roscidis colles, ita

esse, in quibus perticas pridie relictas gramen operiret.“ Hinc Persius *pingues Umbros* dixit, Virgilius Georg. 2, 193. „pinguem Tyrrhenum,“ et Catullus 39, 11. „obesum Etruscum.“ Cum vero ibidem Catullus „parcum Umbrum“ dicat, eruditis hoc epitheton pinguedini terræ et hominum inconveniens, ideoque expungendum, videbatur, eam maxime ob caussam, quod Athenæus Deipnos. 12. Umbros ventri deditos fuisse tradat. Ita Petrus Daniel legendum proponit „pinguis Umber,“ quod sese in antiquissimo lexico ait reperisse (Turnebi Adv. 14, 8.) et Scaliger (Coniect. ad Varr. p. 17.) pro „parco“ vult scribendum „porco“. Verum Persii locum inspicienti nulla opus erit emendatione; nam fidelia cibi putidi plenæ parsimoniam donantium satis superque arguunt, nec insolitum est, homines cura sui nimios in alios parcos esse et avaros. *Piper*, e πεπερι Græcorum per apocopen formatum, omnium aromatum Romanis fuisse vulgatissimum, vel ex hoc loco et sequentibus 5, 55. 136. 6, 21. 59. liquet. Apud Apicium Coelium de Arte Coquinaria *) piper in sex-

---

Festo teste dicti, quod in eis arva rore humida semper serantur. Cf. Cic. Ep. ad Attic. 4, 14.

*) Apicium Coelium citavi, non quidem classicum, cum verba eius semibarbara nihil tantæ vetustatis redolent et multa in ipsis compositionibus reperiuntur, quæ degenerem ætatem fatentur, antiquum tamen scriptorem, e bibliothecis Gallicis sæc. 15. medio erutum, in quem viros eruditos, Humelbergium, Barthium, Reinesium, Listerum et Almeloveenum multum studii impendisse non poenituit.

centis patinis vix umquam deest. Sed tempore Persii piper verum Indicum magni venibat, „pondere emebatur, ut aurum vel argentum.“ Plin. H. N. 12, 7. Piperis arborem iam quidem Italia habuit, sed Indica viliorem. „Deerat tosta illa maturitas, ideoque et rugarum colorisque similitudo.“ Plin. ibid. Notat tenuitas manusculi, si non clientis,*) certe patroni avaritiam. Quod ad reprehensam patronorum cupiditatem attinet, observandum, lege Cincia A. U. C. 549. iam sancitum fuisse, ne quis ob caussam orandam pecuniam donumve acciperet, Tac. Ann. 11, 5. quam antiquatam et contemptu oppressam Augustum vindicasse, Dio Cassius 54, 18. tradit his verbis: „Oratores iussit, nullo accepto præmio agere (ἀμισθεὶ συναγορεύειν); qui secus fecisset, eum quadruplum acceptæ mercedis pendere.“ Non diu tamen illa sanctio obtinuit; sed iam Claudii etate cautum, ne saltim ultra dena sestertia, sive decem millia nummum, pro caussa agenda poscere liceret, h. e. non ultra aureos 100, quorum singuli 25 drachmas sive denarios conficiunt, vel non ultra thaleros $312\frac{1}{2}$. Vid. obs. ad locum Dionis, ed. Reimari.

77–87. Philosophiam suos osores habere et irrisores, non dissimulat Noster, eorumque obiectiones, ne adolescentes offenderent imparatos, et iis assentientem Romanorum vulgum vivida pingit oratione.

---

*) Vide Meisterum Ueber Aulus Persius Flaccus, Lips. 1810. p. 56.

77. Cf. 5, 189. *Centuriones* Horatius pro ditibus et prænobilibus posuit Sat. 1, 6, 73. „Multi erant, qui, ut militare robur præ se ferrent, ab omni elegantiore et humaniore cultu videri volebant abhorrere; nam isti erant ea ætate philosophiæ et literarum præcipui hostes.“ Casaub. Foedam illam affectationem etiam apud Athenienses invaluisse, docet idem ad locum Theophrasti: τας μασχαλας θηριωδεις, Charact. 19. *Hircosos* „unguentatis“ opponit Seneca, de libris Ennii ita iudicans: „Quidam sunt tam magni sensus, ut licet scripti sint inter hircosos, possint tamen inter unguentatos placere.“ Gellii N. A. 12, 2. Coævos Ennii non „vetustos“ dixit, ut Koenig ad h. l. existimat, sed agrestes et male olentes, quod hircorum et caprarum et agriculturæ erant studiosissimi, et unguenta, ut ait Plautus (Mostel. 1, 41.) exotica olere non poterant.*) *Hirc.* etiam ad barbam referri potest: Plaut. Pseud. 4, 2, 12.

78. *Quod satis est, sapio mihi.* Sic bene codd. Haun. sex, item Wimariensis et Chemnicensis apud Weberum, Achaintrii plerique, cum Murmellio, Pithoeo, Bondio, Wedderburn et Orellio; sed recen-

*) Conferendus „hirsutus Capella“ Iuvenal. 5, 155. quem in magna interpretationis varietate Britannicus *Centurionem* novos milites erudientem optime intelligit, ob corpus hirsutum et odorem hircinum, multo labore et sudore contractum, quo robur militare significari credebatur. De affectatione habitus militaris cf. Hor. Sat. 1, 2, 25-27. et Quinct. Inst. Or. 11, 3, 138.

tiores Achaintrii cum Casaubono et Passowio: „Quod sapio, satis est mihi.“ Illa quidem minora, sed nihil in studiis (criticis) parvum est.“ Quinct. Inst. 10, 3, 31.*)

79. *Arcesilas* vel Archesilas (ita codd. Haun. 1. 2. 6. 7. et Husumensis) Latinis, Græcis *Αρχεσιλαος*, novam sive mediam instituit Academiam, in quam Platonico-dogmatico philosophandi more derelicto methodum Socratico-scepticam intulit. Decessit plus quam septuagenarius circ. a. 244 ante Chr. De eo multa Cicero Acad. Quæst. 1, 12. 2, 4. 6. et de Or. 3, 18. Diogenes Laert. 4, 28–33. Eusebius Præp. Ev. 14, 6. et quatenus poeta fuerit: Gyraldus de Poetarum Hist. Dial. 3. *Ærumn. Solones,***) philosophi tristes, miseri.

---

*) „Alterum, „quod sapio, satis est mihi,“ non tam aptum est centurionis superbi, at inculti, moribus. Is enim, mihi, inquit, sapio, quantum satis est, non expeto peregrinam sapientiam. Propterea igitur, quod *mihi* aperte oppositionem facit, necessario id coniungendum est cum *sapio*. Sic „sibi“ et „alteri“ inter se opponuntur apud priscum poetam in Cic. lib. 1. de Divin. c. 133. „Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.“ Weber.

**) Ciceronem umquam *Solo* dixisse, non ausim affirmare cum Zumptio, Lat. Gram. p. 44. ed. 4. At Gellius dixit N.A. 11, 18. Ceterum post Gronovios et Drakenborchium Heindorfius ad Hor. Sat. 2, 3, 254. tamquam legem proposuit, quod nomina Græca in *ων*, genitivi *ωνος* vel *ονος*, Latine in *o*, sed genitivi *ωνος* vel *ονος* in on efferanda sint more Romanorum, qui Plato, Zeno, Xenophon,

80. *Obstipum caput.* „Quod nititur undique contra, firmoque statu resistit, *obstipum* dicitur et inflexibile.“ C. Barthius Adv. 7, 16. „Obstipo, i. e. inclinato, et gravitatem simulante, et cum obliquitate fixo.“ Vet. Schol. Est gestus superbientis, ut Tiberii: „Incedebat cervice rigida et obstipa . . quæ omnia ingrata atque arrogantiæ plena.“ Sueton. Tib. 68. vel potius attoniti et quasi metuentis, ut apud Horatium: „Stes capite obstipo, multum similis metuenti,“ Sat. 2, 5, 92. quod suadent sequentia: *figentes lumine terram*, oculos humi defixos tenentes: phrasis Statianæ illi similis: „domum torvo lumine figere,“ Silv. 5, 1, 140. Arati verba λοξον καρη (draconis) ita reddita sunt a Cicerone de Nat. Deor. 2, 42: Obstipum caput et tereti cervice reflexum.“

81. 82. Quinctilianus similiter de oratoribus meditantibus: „resupini, spectantesque tectum, et cogitationem murmure agitantes,“ Inst. Or. 10, 3, 15. item Hieronymus ad hunc Persii locum et 5, 11. 12. simul respiciens: „Alii, sublatis in altum humeris, et intra se nescio quid cornicantes, stupentibusque in terram oculis, tumentia verba trutinantur, ut, si præconem addideris, putes incedere præfecturam.“ Epist. 4. *Murmura, rab. silentia,* qualia canis rabiosi. Lectio codicis Pithoeani vetustissimi „produnt“ correc-

Ctesiphon dixerunt; id quod Vir Cel. ex idoneis MSS. quondam firmatum iri existimat. Cf. K. L. Schneider, Elementarlehre p. 319. Formenlehre p. 276.

torem sapit. *Exporr. labello.* Labrorum exporrectio, gestus admirantis vel cogitabundi peculiaris.

83. 84. Pro *veteris* membrana Luneb. legit „ventris," quod cum somnia ab ægroto ventre plerumque proficiscantur, facile admittendum, si plurium firmatum fuisset auctoritate. Haun. omnes: *veteris.* sc. philosophi, v. c. Epicuri, cuius hoc erat principium physicum: „Nullam rem e nihilo gigni divinitus umquam," Lucret. 1, 150. „Epicuræi dicunt, nihil esse, quod non habeat originem sui; nam hoc est gigni de nihilo." Serv. ad Virg. Georg. 2, 49. Hoc fundamento antiqua nitebantur systemata philosophorum, v. c. Anaxagoræ consimiles partes, ὁμοιομερη. Vid. Aristot. Metaphys. 1, 3. Phys. 1, 4. de Generatione et Corrupt. 1, 1. Cod. Tigurinus cum Robio et Passowio: „De nihilo nihil in" &c.

85. Codd. Haun. 3. 4. 5. „Hoc est cur." Sic et Thuaneus apud Achaintrium, edd. duæ Venetæ an. 1449 et 1492. et Lugdunensis 1510. apud Weberum, item Murmelliana. Ceteri codd. et edd. cum Pithoeo et Casaubono: *Hoc est quod.**) Husumensis: „cum

*) Weber „cur" existimat glossam esse voculæ *quod,* additque: „Censor Heidelbergensis comparat Virg. Æn. 2, 644. „Hoc erat, alma parens, quod me per tela eripis" Casaubonum vituperans, quod Senec. Ep. 48. „Hoc est, quod tristes docemus et pallidi?" afferat, ubi *quod* relativi vim habeat. Sed nihil impedit, quominus etiam hoc Persii loco *quod* relativum sit, quum *pallere* cum accusativo construatur."

quis.“ „Hæ scilicet nugæ sunt, quarum studio pallorem sibi contrahunt philosophi, ac inedia tantum non se conficiunt.“ *Pallere* active, ut Hor. Od. 3, 27, 28. *Non prandere* de philosopho, ut Hor. Sat. 2, 3, 257. de magistro.

86. Consuetudo philosophos tum etiam ridendi, cum se ipsi non ridendos offerrent, satis nota est. Simplicius ad Epict. 22. hunc risum commemorat, et consilia de illo evitando adiungit. Ipse Epictetus philosophiæ studiosum hortatur, ita se comparare, tamquam futurum sit, ut risu excipiatur, et vulgus eum habeat ludibrio. Enchir. 22.*) *His* censor Heidelbergensis intelligit „hoc modo,“ „his dicteriis,“ statuens epiphonema, cuius exemplum ex Sophoclis Electra v. 293. ταδ' ἐξυβριζει affert. Bene Weber: „De eiusmodi dicteriis et conviciis, quæ philosophis fiunt, rident inculti Romani, quo quidem risu se idem de philosophis sentire indicant, quamquam ipsi, quid sentiant, non eloquuntur. Egregie itaque Persius centurionem introducit populi sensorum interpretem, quod hominum genus, quamvis rude, arrogans et magniloquum erat.“ *Torosa iuventus* Casaubono est „iuventus militiæ dedita, et hircosa gens centurionum,“ de qua supra. Malo intelligere iuventutem Romanam universe, quæ studiis non enervata dicitur *torosa*, toris mollis et luxurians, philosophis pallidis et impransis contraria.

*) Εἰ φιλοσοφιας ἐπιθυμεις, παρασκευαζε ἀντοθεν, ὡς καταγελασθησομενος, ὡς καταμωκησομενων σε των πολλων &c.

Ut enim iuvenum desidiam et in studiis philosophiæ negligentiam hæc satira, ita petulantiam notat locus Plinii, in quo mortem Iunii Aviti sui, adolescentis ingenuæ indolis, deplorat.*) Notionem mollitiei, quam voci *torosa* inesse diximus, usus diminutivi probat. Ita Hieronymus Epist. 47. „torosulum et in sordibus delicatum" dixit, et in Iovianum 2, 14. „Formosuli nostri et torosuli, et vix summis pedibus adumbrantes vestigia, quorum verba in pugnis sunt et syllogismi in calcibus."

87. Nativa descriptio soluti risus, quo ha ha ha *tremula* voce iteratur, naso, risus sede, in rugas contracto. cf. 5, 91.

88-106. Philosophiæ doctor respondet per similitudinem, desumptam ab ægro, qui neglecto medico perit. Ob ambiguitatem dialogi iuvat apponere paraphrasin: „Inspice: pectus trepidat mihi, nescio quam ob rem, et faucibus ægre spirantibus exsuperat gravis halitus; explora, quæso, quid sit morbi." Qui verbis eiusmodi compellavit medicum, iubetur requiescere. Postquam tertia nocte animadvertit, meatus sanguinis non amplius esse concitatos, vinum Surrentinum, tamquam mitius, e domo ditioris amici in la-

*) „Rarum" inquit, „hoc adolescentibus nostris. Nam quotusquisque vel ætati alterius, vel auctoritati, ut minor, cedit? Statim sapiunt, statim sciunt omnia; neminem verentur, imitantur neminem, atque ipsi sibi exempla sunt." Ep. 8, 23.

gena modicæ capacitatis afferri sibi balneum ingressuro rogat. Iam medicus cum revisens et revocans: „Heus bone, tu palles.“ Æger: „Nihil est periculi.“ Medicus: „Consideres illud quidquid est palloris, quod tu nihil esse dicis. Pallida cutis tibi sensim intumescit.“ Æger: „At tuus pallor meo deterior est; noli me quasi pupillum habere. Iam dudum unum sepelivi tutorem nimium molestum; tu restas, a me etiam sepeliendus.“ Medicus: „Fac ut libet, tacebo“ &c.

89. „Exuberat,“ lectionem a Passowio et Orellio receptam, versus ob u longum respuit. Vid. Virg. Georg. 1, 191. 2, 516. Ita tamen codd. Haun. omnes et Achaintrii plures. Metro aptius est *exsuperat*, quod Tigurinus et nonnulli apud Achaintrium cum Pithoeo et Casaubono, Farnabio et Schrevelio exhibent. Cui tamen, cum accusativum adsciscere soleat, prætulerim „exudat“ s. „ex[illegible]dat“ cum Murmellio. Vid. Weber, qui hanc lectionem adoptavit.

90. *Iussus requiescere*, ab omni motu, nimioque cibo et potu cessare. De morbis ab initio curandis ita Celsus: „Omnium optima sunt quies et abstinentia; si quid bibendum, aqua, idque interdum uno die fieri satis est“ &c. 3, 2. et de morbo heic dicto, hydrope: „Inter initia non difficillima curatio est, si imperata sunt corpori quies, sitis, inedia.“ 3, 21. *Iubere*, imperare medicorum est. Terent. Andr. 3, 2, 4. Martial. 2, 40, 7.

91. *Tertia nox.* „Etiamsi enim tertio die febris non reverteretur, tamen non poterat securus esse

a quartana.“ Koenig. De tertio febrium die Celsus 3, 3. Cod. Haun. septimus: „Tertia nox vacuas vidit concurrere venas.“

92. 93. *De mai. domu.* *) Vinum cum ægrotis amicis communicandi morem significat Iuvenalis 5, 32. *Sitire* metaphorice de *lagena*, ut sæpius de agris et segetibus. *Lag. mod. sitiens*, capiens modicum vel parum vini. Koenig intelligit lagenam tantum non

*) Romanos *domu* pro domo abl. dixisse, iam novimus ex Plauto, Mil. glor. 2, 1, 48. „Ait sese . . ex hac domu,“ et ex vet. inscript. apud Gruterum: „Natus Mesia Inferiore Domu Escum.“ et alia ibid. de domu Aug. De illa lectione Fea ad Hor. Od. 1, 3, 29: „Domu, non domo; ita scribas ex Calendario Verri Flacci apud Foggin. p. 69. et aliis lapidibus scriptis, ex mss. et præcipue libris iuris, notante Brissonio.“ Irritus ergo fit notissimus Grammaticorum versus: „Tolle me mi mu mis, si declinare domus vis“, et iam dudum factus est, quod ad mi attinet, locis Plaut. Trinum. 4, 3, 20. et Terent. Eun. 4, 7, 45. Etiamnunc tamen illud distichon, tamquam præceptum nullam admittens exceptionem, proponitur a Grammaticis egregiis, v. c. Zumptio, Lat. Gram. p. 71. ed. 4. — — Comparativorum ablativos, cum feminino iungantur, sæpius postulare e, cum aliis generibus, sæpius i, antiqua est Grammaticorum regula. Ita meliore fortuna, maiori sumptu &c. dicendum præcipiunt. At Persius h. l. æque *maiore domo* ac 2, 1. *meliore lapillo* dixit. Et Horatius quoque ablativum in i vitavit. Nec aliter Nepos, qui semel tantum 10, 2, 4. abl. maiori usus est. Ipsum quidem Ciceronem non nisi Tusc. 1, 49. i usum fuisse observarunt, ubi nunc scribitur: superiore e loco. Vid. G. Stallbaum ad Ruddimanni Inst. Gram. Lat. I. p. 89.

plenam, „quod æger hìc, qui in exemplum inducitur, minime modice debet bibere, sed vino se ingurgitare ad venturi morbi vim augendam.“ Verum ægrotus ille, ne medici omnino oblitus esse videatur, moderationem aliquam servat, cum in quantitate vini rogandi, tum in qualitate. Rogat nimirum *Surrentinum*, „convalescentibus maxime probatum propter tenuitatem salubritatemque.“ Plin. H. N. 14, 6. Eadem affectata moderatio ægrotantis Tongilii, „qui Falernum parvo vitro condit,“ Martial. 2, 40, 6. Passow cum ed. Britan. „rogarit“; Codd. duo apud Ach. „*rogabit*“; at vulgatam Haun. et Achaintrii plerique cum Tigurino servant. „Quæ lectionum diversitas fere ubique inventa, ubi perfectum hoc modo, ut apud Iuv. 14, 134. 5, 168. 9, 80. usurpatur, originem inde ducit, quod librarii latinæ linguæ indolem ignorabant. Perfectum aoristi h. l. vim habet.“ Weber. *Loturo.* Ægro imperata erat quies, cui non convenit lavatio, et quidem minime hydropico, a quo morbo Celsus balneum ait, atque omnem humorem esse alienum, 3, 21. Verum negligit præceptum medici, lavationis voluptati, consuetudini Romanis familiari, indulgens. *)

*) Usus balneorum a Græcis (Hom. Il. 10, 576. Odyss. 8, 249. 10, 360. Pindar. Nem. Od. 4. Olymp. Od. 12.) transiit ad Romanos, quibus cum primus campus Martius constitutus fuisset vicinus Tiberi, „in quo iuventus post exercitium armorum sudorem pulveremque diluerent, ac lassitudinem cursusque laborem natando deponerent,“ (Veget. de re milit. 1, 10.) de aquis tandem e montibus

94. *Nihil est.* „Qui in gravi morbo dolorem non sentit, in illo spes sanitatis exigua est, aut prope nulla.“ Hippocrates.

95. Cod. Tig. „tacite surgit.“ *Pellem* a „cute“ distinguere videtur Persius, ut Iuvenalis 10, 192. Hæc sanis, illa ægrotis et quidem hydropicis convenit.

96. 97. *Ne sis mihi tutor.* „*Tutor*, qui pupillum tuetur, h. e. intuetur, de quo in consuetudine

---

fluviisque proximis in urbem ducendis statutum est. Liv. 9, 29. Plin. H. N. 36, 15. Balnea publica et privata procedente tempore adeo invaluerunt, ut a tota civitate omniumque ordinum hominibus singulis diebus frequentarentur. Post initia diu admodum angusta fuerunt et tenebricosa, „non enim calida videbantur, nisi obscura,“ (Senec. Ep. 86, 3.) sed deinde specularia addita, ut clarissimam undecunque admitterent lucem. Idem Ep. 90, 25. et de Provid. 4, 9. Tanta propediem amplificabantur magnificentia, „ut quisque pauper sibi videretur ac sordidus, nisi parietes balneorum magnis et pretiosis orbibus refulsissent, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta fuissent, nisi illis undique operosa et in picturæ modum variata circumlitio prætexeretur, nisi vitro conderetur camera, nisi aquam argentea epistomia fudissent.“ Senec. Ep. 86, 5. Erant vel æstivalia vel hiemalia, itemque vel plana vel pensilia, quorum hæc suo ævo inventa tradit Seneca Ep. 90, 25. Tribus instructa erant cellis: caldaria, tepidaria et frigidaria. Plin. Ep. 5, 6. Vitruv. 5, 10. 8, 2. Celebrata sunt balnea Agrippæ, Neronis &c. Ceterum qualia vitiorum diversoria balnea Romanorum fuerint, vid. Senec. Ep. 51, 3. Martial 1, 63. &c.

vulgari dicitur: quid me mones? Et tutorem et pædagogum olim obrui.“ Isidor. Orig. 10, 5. Horatius: „Ne sis patruus mihi.“ Sat. 2, 3, 88. *Sepeli* contractum pro sepelii. *Tu restas.* Hor. „Nunc ego resto.“ Sat. 1, 9, 28.

98. *Turgidus . . albo ventre.* Morbum ita descripsit Horatius: „Crescit indulgens sibi dirus hydrops; Nec sitim pellit, nisi causa morbi Fugerit venis, et aquosus albo Corpore languor.“ Od. 2, 2, 13. cf. Sat. 2, 2, 21.

100. *Calidum tr.* Potio calidæ aquæ, Romanis in conviviis frequentissima, (Iuvenal. 5, 63. Martial. 8, 67, 7. Senec. de Ira 1, 12, 4.) non potest intelligi ob præcedentia: *inter vina subit;* nec calidi meri, vini puri puti poculum, quod habent interpretes omnes præter Censorem Ienensem (A. L. Z. 1807 n. 218) sed vinum aqua calida temperatum. Martial. 1, 12, 3. 4. 2, 1, 9. 10. „Inde thermopotare et thermopolium apud Plautum, Trinum. 4, 3, 6. Curc. 2, 3, 13. Rud. 2, 6, 45. *Trientem.* Ita codd. omnes Haun. Tigurinus et Achaintrii cum Murmellio, Pithoeo, Bondio et recentioribus Passowio, Orellio et Webero. „Triental, ἅπαξ λεγομενον, e cod. Put. Casaubonus, Reizius (adde Schrevel. Farnab. cet.) sed Achaintre notat, in cod. Put. nunc Lutetiæ reservato, truncam esse hanc satiram inde a v. 37. Ceterum triens utique non mensuram tantum, sed vas etiam significat. Densos trientes bis dixit Martial. 6, 86, 1. 9, 88, 2.“ Orellius.

102. *Pulmentarium*, ὄψον, quidquid edebatur cum pane, Hor. Sat. 2, 2, 20. Senec. 87, 3. vel potius cum pulte, antiquissimo Romanorum victu, cf. 6, 40. unde *pulmentaria* dicta refert Plinius H. N. 18, 8. et Varro ad Cic. apud Charisium, Putsch. c. 56.

103. *Hinc* pro „dehinc.“ Describitur inverso ordine pompa funebris, ad quam *tuba* pertinebat, Virg. Æn. 11, 192. Hor. Sat. 1, 6, 44. Gell. N. A. 20, 2. Funera maioris ætatis ad tubam proferri solita, auctor est Servius ad Æn. 5, 140. ut ad funera indictiva omnia *tuba* pertinuisse videtur. cf. Kirchmann de funeribus Rom. 2, 5. De *candelis* in funere adhibitis Seneca sæpius, v. c. de Brev. Vitæ 20, 4. de Tranqu. 11, 5. Ep. 122, 10. Mortuos quidem „beatos“ Romani sine dissimulatione dicebant, ut apud Amm. Marcellinum 25, 3. de Anatolio: „quem cum beatum fuisse Sallustius respondisset præfectus, intellexit (Iulianus) occisum“;*) sed forma diminutiva et ipsa orationis series felicitatem significant ironicam, splendidæ scilicet sepulturæ. Latinis enim opulentus frequenter *beatus*, ut Græcis πλουσιος, μακαρ, ὀλβιος, εὐδαιμων dicitur. Ita Martialis *beatum* et pauperem opponit Epigr. 12, 15, 8. 10. cf. Propert. 2, 19, 34.

104. Casaubonus *compositionem* defuncti a „collocatione“ seiungit, adeo ut illa sit περιοδη νεκρου,

*) Ita et Græci: Πας γαρ λεγει τις: ὁ μακαριος ὠιχεται, κατεδαρθεν εὐδαιμων. (Omnes ita inquiunt: Abiit beatus ille, obdormivit felix.) Menander apud Stobæum.

qua cadaver probe lotum et unctum linteis involvebatur, hæc vero προθεσις, qua cubiculo efferebatur et in vestibulo ædium collocabatur: subtili quidem distinctione, quam veteres in funeralibus describendis, si umquam, certe raro admodum servaverint. Ponere, componere et collocare usu quodam technico de toto funere adhibita videntur. Ita cadaver Pallantis ad limina „positum erat," Virg. Æn. 11, 29. et Garrulus ille apud Horatium se omnes cognatos „composuisse" dicit Sat. 1, 9, 28. Suetonius item: „A Bovillis equester ordo suscepit (corpus Augusti) atque in vestibulo domus collocavit." Aug. 100. Euripides in loco Alcestis: „qui te mortuum component et collocabunt," *) an utramque vocem distinguere voluerit, incertum est. Illum non citavit Casaubonus, nec locum Pollucis l. 8. in quo caussam προθεσεως indicat, „ut cerneretur mortuus, ecqua vis ei illata, an fato, an violenta morte, obiisset." **) *Lectus* pro sarcophago, ut λεχος Græcorum. „Lectum Libitinæ" vocat Asconius, Proleg. in Milonianam. Apud Romanos iam inde ab antiquissimo tempore mortui efferebantur lectis, qui ne plures sternerentur uni, cautum erat lege Tabularum 12.***)

*) *Οἱ ... θανοντα σε περιςελȣσι και προθησονται νεκρον.*

**) *Και ἁι προθεσεις δια τȣτο ἐγινοντο, ὡς ὁρωτο ὁ νεκρος, μη τι βιαιως πεπονθε.*

***) „Ut uni plura (funera) fierent, lectique plures sternerentur, id quoque ne fieret, lege sanctum est." Tab. 10. Fragm. Cic. de Legibus 2, 24. cf. H. E. Dirksen Zwölf-Tafel-Fragmente. Lips. 1824. p. 685.

Altus dicitur lectus, quod gradibus instructus erat, Stat. Theb. 6, 55. Tenuioris fortunæ homines non lectis efferebantur, sed capulis, ut notat Servius. *Lutatus*, delibutus, vid. Heinsii Advers. 1, 1. Codd. Haun. 2. 5. 6. 7. „litatus." *Crassis amomis.* „Spissa amoma" dixit Ovidius Heroid. 21. 166. „pingue amomum" Statius Silv. 1, 2, 111. et apud Iuvenalem Crispinus sudat matutino amomo, „quantum vix redolent duo funera," Sat. 4, 109. Est frutex Indicus, de quo Theophrastus Hist. Plant. 9, 17. Virgilius Ecl. 4, 25. Assyrium amomum commemorat; Strabo l. 16. e Mesopotamia, Dioscorides 1, 14. e Media et Armenia illud oriundum dicunt. De unguentis et aromatibus exoticis, Romanis olim incognitis, bellis autem Persicis Alexandri Magni in Græciam, indeque in Italiam invectis, disseruit Plinius H. N. 13, 1 et 3. Quanta inde fuerit materia luxus in funeribus, idem docuit 12, 18. „Beatam Arabiam fecit hominum etiam in morte luxuria, quæ Diis intellexerat genita, adhibens urendis defunctis. Periti rerum asseverant, non ferre tantum annuo fœtu, quantum Nero princeps novissimo Poppææ suæ die concremaverit. Æstimentur toto orbe singulis annis tot funera, acervatimque congesta honori cadaverum, quæ Diis per singulas micas dantur . . Minima computatione millies centena millium sestertium *) annis omnibus India et Seres peninsula-

*) „Monetæ Gallicæ libræ sunt, ut vocant, 10,000000, seu decem milliones." Harduin.

que illa imperio nostro adimunt.“ De *amomo* et magno, quo tunc temporis venibat, pretio Plinius item 12, 13.

105. *In portam* &c. Cod. Husumensis: „in portas.“ Non desunt vestigia moris vetustissimi, cadaver ad ostium domus, versis in portam pedibus, collocandi. Qualia: Hom. Il. 19, 212. „Iacet ad vestibulum conversus;*) Senec. Ep. 12, 2. „Conversus ad ianuam: quis est, inquam, iste decrepitus, et merito ad ostium admotus? foras enim spectat. Unde .. alienum mortuum tollere?“ Plin. H. N. 7, 8. „Ritu naturæ capite hominem gigni mos est, pedibus efferri.“ Virg. Æn. 11, 29. „Recipitque ad limina gressum, Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acoetes Servabat senior.“ Interpretes extremum illam abitionem hoc situ significatam esse existimant. Verior videtur moris ratio a Polluce prodita, vid. v. 104. In voce *porta* Casaubonus ἀνυρολογιαν videt, cuius non meminit exemplum, cum porta Latinis est urbis, heic vero ianua domus. Ego quidem non video. Portam „omnem exitum, quasi qua potest vel importari vel exportari aliquid,“ dixit Servius ad locum Virgilii: „Qua data porta ruunt.“ De genere *calcis*, Grammaticis apud Putschium c. 27. 72. 655. 658. 1462. confuso, vid. K. L. Schneider, Formenlehre p. 119. *Illum* sc. in lectica positum. Inferioris sortis funera in sandapila (Martial. 8, 75, 14.) vili arca (Hor. Sat. 1, 8, 9.) locata,

*) Κειται, ἀνα προθυρον τετραμμενος. Ibi interpretes: Εἰς το προθυρον βλεπων, τουτο γαρ το σχημα της των νεκρων προθεσεως.

andapilarii, vespillones efferebant. V. Kirchmannum
le fun. Rom. 2, 8.

106. *Hesterni Quirites,* qui pridie vel paullo
nte domini sui mortem libertate et civitate donati
rant. Illa enim vis manumissionis erat, ut liberti
ives fierent. „Servos, quorum vis et conditio infirma
st, bene de Republica meritos, persæpe libertate, id
st, civitate, publice donatos videbamus.“ Cic. Or.
ro Balbo 9. Servorum immensa Romæ erat multi-
udo. Tenuium civium cuique suus erat servulus,
autis vero et divitibus centeni plerumque vel duceni,
n varia sua officia aut munia divisi. Unus Pedianus
Secundus quadringentos domi habuit. Tac. Ann. 14,
42. et Demetrio Pompeiano „numerus quotidie ser-
orum, velut imperatori exercitus, referebatur.“ Se-
neca de Tranqu. 8, 4. Illam turbam, haud ita raro
perfidam (Pedianum scilicet servus suus interfecit) mo-
ientes domini sæpius manumittebant, ut cives eo plu-
es lecticam prosequerentur. Ita Dionysius Halicarn.
. 4. testatur, se complures de intempestiva ista libe-
alitate querimonias Romæ audivisse. „Scio,“ inquit,
„qui integra servitia testamento libera esse iuberent,
ut post mortem humanitatis laudem ferrent, et lectos,
n quibus mortui deferrentur, magna pileatorum pro-
sequeretur frequentia;*) in qua pompa nonnulli erant,

*) *ἵνα χρηστοὶ καλῶνται νεκροὶ, καὶ πολλοὶ ταῖς κλίναις αὐτῶν ἐκκο-
μιζομέναις παρακολουθῶσι, τοὺς πίλους ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἐχοντες.*

id quod a scientibus audivi, qui paucis ante diebus carcere emissi fuerant, malefici, sexcentas mortes commeriti. Illos impuros in urbe pileos plerique cum indignatione aspiciunt, eorumque consuetudinem respuunt, indignum facinus clamitantes, populum, rerum dominum, terrarumque imperium sibi vendicantem, talibus contaminari civibus." Quæ manumittendi licentia, ab Augusto quidem terminata (Suet. Aug. 40) non autem abrogata, satirica certe digna erat censura. „Orcini" dicebantur eiusmodi liberti ab orco, quasi ab inferis emissi, quod morte domini libertatem erant consecuti. Ulpian. in Pandect. 28, 5. 8. „*Quirites*, nomine dignitatis et maiestatis pleno, Noster scoptice appellat servulos illos, ad frequentiam pompæ funebris augendam manumissos, qui iam nescio quid sibi viderentur." Koenig. *Capite obducti:* codd. Haun. 2. 4. 5. 6. quod vulgato: „cap. induto" præferendum; obducti sc. pileo, libertatis symbolo, vid. Sat. 5, 82. *Subiere* (Virg. Æn. 6, 222.) *illum* extra urbem efferendum; nam „hominem mortuum," ita lex tabularum 12 iubet, „in urbe ne sepelito, neve urito."*) Cic. de Leg. 2, 23. ubi addit: „Credo vel propter ignis periculum." Legem renovavit Hadrianus, et decretum aliud Diocletiani eiusdem tenoris veram caussam prodit: „Mortuorum reliquias, ne sanctum municipiorum ius polluatur, intra civitatem

*) Tab. 10. Fragm. 1. vid. cit. Dirksen p. 659.

condi iam pridem vetitum est.“ Vide Ant. Augustinum de legibus et senatusconsultis Rom. *)

107. 108. Contra Bondium, Marcilium et ipsum Casaubonum, qui *Tange . . dextram* et *Summos . . manusque* adolescenti, verum *Nil calet hic* et *Non frigent* medico tribuerunt, cum Montio et Orellio illa philosopho monitori, hæc adolescenti adscribo. „Quod si, miser, te illum ægrum esse, credere recusas, te iam ipse explora.“ Nec aliter Turnebus, ita locum explicans: „Ad morbos animi transitionem facit, atque inspicere nos ait et explorare diligenter debere, num in animo nostro aliquis resideat morbus, et venas veluti

*) Si quæritur, utrum cadaver illud sepeliendum, an cremandum extulerint, me nescire respondeo, cum uterque mos ævo Persii Romæ obtinuerit. In quæstione de variæ illius curæ extremæ temporibus adeundus quidem Plinius H. N. 7, 54. ea tamen adhibita cautione, ut crematio novi instituti fuisse non dicatur; cui Plinianæ opinioni etiam convenit Ciceronis de Leg. 2, 22; verum repugnant cum supra citatæ 12 tabularum leges, quas anno 300 ab urbe condita scriptas perhibet Gellius 20, 1. tum verba Plutarchi de Numa c. 39. „Corpus crematum non est, quod ipse, ut fertur, prohibuerit, duas autem lapideas arcas confecerunt, et sub Ianiculo posuerunt, in quarum altera corpus eius condebatur“ &c. unde patet, antiquissimum cremandi corpora morem fuisse. Adde, quod ipse Plinius H. N. 14, 12. rogum vino aspergi, a Numa vetitum tradat. Utraque consuetudo, et terra obruendi et igne cremandi, videtur invaluisse usque ad tempora Antoninorum, quibus cessavit crematio, Macrobiano (Saturnal. 7, 7.) i. e. Theodosiano sæculo demum antiquata.

tangere debere nostras. Alter id ceu de febri corporis accipiens, sibi nec pectus calere, nec extrema frigere, seque sanum esse, refert." Adv. 25, 23. Celsus 2, 4. inter mala signa ægrotantium numerat, „si venæ vehementer agitantur" et „extremæ partes frigidæ fuerint." De vitiis, animi morbis, solennis sermo apud veteres. Ita Horatius: „Quisquis Ambitione mala aut argenti pallet amore, Quisquis luxuria, tristive superstitione, Aut alio mentis morbo *calet*." Sat. 2, 3, 77. et Cicero Tusc. 4. sæpius. Quæ his contraria est mentis sanitas, scilicet temperantia, omnium commotionum animi moderatrix, qua ratio præsit, et appetitus rationi obediant, eam, velut præcipuum philosophiæ propositum et institutionis suæ summam finemque, monitor in ultimo hoc satiræ commate adolescenti commendat. De illa Cicero l. cit. et multa ceterum præclara Offic. 1, 20 et 29. Tusc. 2, 21. 5, 6 et 14. de Fin. 1, 14 et 18. Ad vocem *miser* observanda est illius vocabuli vis, qua pro scelesto et perdito, præsertim in convicio, dicitur Terent. Eun. 3, 1, 29. 5, 5, 11. Heaut. 3, 2, 15. Conveniunt græca δυσηνος et κακοδαιμων, quorum exempla vide apud D. Ruhnkenium, Opusc. T. 2. p. 739.

109. *Frigere* ita de frigore febrili Hor. Ep. 1, 11, 15. Sat. 1, 1, 80. *Visa est si forte* &c. Latet appetitus, semen morbi; se data occasione exserit. Docuerunt ergo Stoici, „indurandum esse animum et a blandimentis voluptatum procul abstrahendum; militandum nobis esse, et quidem genere militiæ, quo numquam quies, numquam otium datur." Senec. Ep. 51,

5. Plura de imperio sui ipsius apud Epictetum, Ench. 1, 5. 34. M. Antonin. 2, 2. 4, 51. 5, 18. 6, 36. 8, 41. 9, 5. 10, 14. De avaritia primo loco monitor, quia „nihil tam angusti animi est, tamque parvi, quam amare divitias," Cic. Off. 1, 20. et quia „illa, quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat, semper infinita et insatiabilis est, neque copia neque inopia minuitur." Sallust. Catil. 11. Quare merito eam Paulus 1 Tim. 6, 10. dicit ῥίζαν παντων των κακων, Diodorus Sic. Bibl. 21, 1. μητροπολιν των ἀδικηματων, et Claudianus 2, 111. „matrem scelerum." Morbum illum animi pariter ac mali remedium ita Cicero describit: „Cum est concupita pecunia, nec adhibita continuo ratio, quasi quædam Socratica medicina, quæ sanaret eam cupiditatem, permanat in venas, et inhæret in visceribus illud malum, existitque morbus et ægrotatio, quæ avelli inveterata non possunt, eique morbo nomen est avaritia." Tusc. 4, 11.

110. *Candida* pro formosa, ut 4, 20. *Puella*, quævis mulier, virgo, marita, vidua, modo ætatis sit virentis; non vero serva, ad analogiam pueri, quod existimat Censor Ienensis (A. L. Z. 1822. n. 198.) Utique *puella* etiam coniugata dicitur Hor. Sat. 1, 2, 71. 72. ubi de stola velatis, sive matronis, sermo est, Ovid. Heroid. 4, 2. &c. Hoc vero loco amicam vicini potius dixerim, ut Passow: Mädchen des Nachbars. *Subrisit molle.* Eodem sensu adiectivum pro adverbio Hor. Od. 1, 22, 23. 24. Libidinem improbabant Stoici eo nomine, quo corporis voluptatem in genere,

quod „fragilis et brevis est voluptas et fastidio obiecta, quo avidius hausta est, citius in contrarium recidens, cuius subinde necesse est aut poeniteat aut pudeat; quod in ea nihil est magnificum, aut quod naturam hominis, Diis proximi, deceat; quod res humilis est, membrorum turpium ac vilium ministerio veniens, exitu foeda.“ Seneca de Benef. 7, 2, 2. 3. cf. Ep. 14, 1. 23, 5. 65, 21. 92, 6 seq. 123, 15. M. Antonin. 2, 7. 9, 1.

111 – 114. „Si tibi in catino frigido propositum fuerit durum olus et farina furfurea, videamus, an fauces sanæ sint. In gula tenella et delicata latet putre aliquod ulcus mollitiei, quod vili cibo offendere non decet.“ Breviter Turnebus l. c. „Es etiam cuppes et liguritor: ac si tibi plebeiæ et parabiles apponantur epulæ, fauces tuæ ulcerosæ sunt.“

111. *Alg. catino.* Casaubonus, veteres ferventibus cibis mirifice delectatos dicens, in Athenæum provocat. Loca non invenio. Sed exstant Persii 1, 53. „Calidum scis ponere sumen,“ et Martialis ad Turanium 5, 78, 6. „Ponatur digitis“ &c. ubi cum membranis Gruterus legit „ustis“ pro „unctis.“ Adde „tomacula ferventia“ Petron. 31. in fine. Huc etiam referas quæstionum undecimam, quas Disario proponit Avienus Macrob. 7, 12. Quæ ferventissimos cibos mensis inferendi consuetudo *algentis catini* apparatum designat viliorem. „Camino,“ emendationem Reizii et Koenigii, non approbant codices, in quibus Haun. omnes vulgatum sequuntur.

112. Pro *olus* codd. aliquot habent „holus“ cum aspiratione, de qua forma vid. K. L. Schneider, Elementarlehre p. 183. 185. *Olerum* et heluellarum cena erat frugalium, Hor. Ep. 1, 5, 2. nec delicatorum 1, 17, 13. 15. „Terrestrem cenam dicit Plautus Capt. 1, 2, 80. *Durum*, male coctum, addit ad vim vocis augendam. *Populi cribro decussa farina*, panis plebeius et fere furfureus, confectus e farina, succreta non cribro pollinario, sed laxiore, quod minutos etiam furfures transmittit. Vetus Scholiastes: „Farinam, panem, non deliciosius cribro decussum, sed plebeium, de populi annona, i. e. fiscalem.“ Hinc Lipsius frumentariæ largitioni, cum diu obtinuisset, panem iam sub Nerone successisse suspicatur, adeo ut, cum Persium decessisse constet anno imperii Neronis 8. Rubrio Mario et Asinio Gallo Consulibus, iam tum panis pro frumento datus videatur. Verum cum Persius 5, 74. diserte ostenderit, distribui solitum ætate sua frumentum, non panem, et Tacitus Ann. 15, 72. tradiderit, Neronem anno imperii undecimo, Silio Nerva et Attico Vestino Consulibus, (is fuit a Persii morte annus tertius) dedisse prætorianis militibus „sine pretio frumentum, quo ante, ex modo annonæ, utebantur,“ ex „pane fiscali,“ vocabulo, quod non minus quam ipsam Scholiastæ auctoritatem suspectum habere licet, de ista annonæ mutatione nihil certi definiri potest.*) Vid. Vinc. Contarinus de Largitione Frumentaria

*) Qui moris populo Romano panem loco frumenti publice

c. 4. Cum *pop. . . farina* conferas verba Plinii in asperrima illa luxus Romani censura: „alio pane procerum, alio vulgi, tot generibus usque ad infimam plebem descendente annona.“ H. N. 19, 4. Pro *decussa* Passowius „discussa,“ quod item sextus Haun. exhibet.

113. *Ulcus* in codd. quandoque „hulcus“, quod forsan melius ob originem Græcam ab ἕλκος.

114. *Plebeia beta*, vulgaris. Decoquebatur cum vino; incocta etiam et in orbes resecta pro lactuca comedebatur cum aceto, cumino, pipere &c. Pro cibo vilissimo ponitur insipidum olus, de quo Martialis 13, 13. „Ut sapiant fatuæ, fabrorum prandia, betæ, O

---

distribuendi originem a Traiano petunt, locum citant Iuvenal. 10, 81. in quo populus dicitur duas tantum res anxius optare, „panem et circenses.“ Iuvenalem nimirum, sub Domitiano florentem, ad Hadrianum usque vitam produxisse volunt. Quod si posterius concedatur, non item prius, cum panem poetice dixerit pro frumento, et Sat. 7, 174. frumenti tesseram commemoraverit. Nec maioris ponderis sunt cetera, quæ afferunt, argumenta. Mirum certe, neminem scriptorum, tanto intervallo, sub tot imperatoribus, qui a Traiano usque ad Aurelianum præfuerunt, huius rei mentionem fecisse. A vero propius abesse videntur, qui moris originem tribuunt Aureliano, de quo Vopiscus c. 35. „cum aureas populus speraret, neque Aurelianus aut posset aut vellet, coronas cum fecisse de panibus, qui nunc siliginei vocantur, et singulis quibusque donasse, ita ut siligineum suum quotidie toto ævo suo et unusquisque reciperet et posteris dimitteret.“ Idem porcinam carnem populo primus distribuisse, in sequentibus dicitur.

quam sæpe petet vina, piperque coquus.“ *Radere* Horatio: „tergere palatum,“ Sat. 2, 2, 24. quod iocose pro „permulcere;“ Terentio: „ulcus tangere,“ Phorm. 4, 4, 10. *Ulcus*, ἀπόσημα ἕψιλον, sensu metaphorico frequens Stoicis: Senec. Ep. 8, 2. Marc. Antonin. 2, 14. 5, 7. 4, 19.

De mollitie, tertio animi morbo, et huic contraria frugalitate vide monita philosophiæ Stoicæ apud Senecam Ep. 8, 4. 78, 22 sq. 92, 16. 110, 12 sq. 119, 3. 15–16. 123, 1 sq.

115. *Alges cum* &c. „Timidus præterea et pavidus es adeo, ut tibi inhorrescant stantes capilli.“ Turnebus. *Aristas* Persius pro pilis posuit, qui, cum inhorrescimus, eriguntur instar aristarum. De erectionis illius caussa naturali Aristoteles, Problem. 8, 18. et de metuentium pallore Disarius apud Macrobium, Saturn. 7, 11. disserunt. Timiditatem, iuvenilis item animi morbum, damnant Stoici Marc. Antoninus 10, 23. 11, 8. Seneca Ep. 14, 5 sq. 65, 22. 110, 5 sq.

116–118. Perturbationibus animi, quæ homines subigunt, iram denique adiungit. Ita Claudianus: „Si metuis, si prava cupis, si duceris ira, Servitii patiere iugum.“ *Face supposita*, perinde ac si fax supponeretur. Cod. Husumensis: „fervet tibi sanguis.“ *Scint. oculi.* Oculos irati Agamemnonis πυρὶ λαμπετοωντι ἐοικειν Homerus dicit Il. 1, 104. De erubescentibus oculis irati Aristoteles, Problem. 30, 3. *Dicis et facis* quæ ipsis etiam insanis furiosa vide-

antur. Insaniam *Orestis*, qui cum matrem in ultionem necis paternæ occidisset, Furiis exagitatus est, Euripides in Oreste et Æschylus in Eumenidibus descripserunt. „Orestes pro insania ipsa positus est. Facere igitur aliquid, quod insania ipsa iuret, insanientis esse, hoc est, insaniam ipsam factis dictisque vincere.“ Koenig. Habitum, quo se ira indicat, externum eiusque signa, eorum simillima, quæ furenti propria esse solent, videas descripta a Seneca de Ira 1, 1. 2, 35. 3, 3. 4. qui tractatus egregia ceterum præcepta de tetro illo affectu, quinto apud Persium morbo animi, inhibendo tradit, quibuscum conferantur cetera Stoicorum monita: Epict. Ench. 20. 33, 9. 42. M. Antonin. 1, 15. 2, 7. 4, 8. 6, 5. 20. 43. 7, 17. 19. 8, 6. 9, 3. 37. 10, 23. 11, 8. 16.

SATIRA IV.

Persius sub persona Socratis, Alcibiadem reprehendentis, increpat adolescentem, qui rudis et sese regendi imperitus rem publicam regere susceperit, formæ et nobilitatis suæ ostentatione inflatus. Sequuntur loci communes de hominis sui ipsius ignorantia et inde nata alios criminandi libidine, quam velut oculis conspiciendam præbet exemplis. An Neronem subtilius descripserit poeta, cum eum aperte insectari non ausus esset, ab interpretibus vocatum est in disceptationem, quam ipsa forsan descriptio discernet.

1. 2. *Rem populi tractas* &c. Qualis inter Socratem et Alcibiadem intercesserit consuetudo, discimus ex Plutarcho. *) Veteribus in libris non *hoc* sed „hæc" legunt Turnebus et Pithoeus; ita et Haun. 1. et Husumensis; sed Haun. 2. 3. 4. 5. 6. plerique apud Achaintrium, Tigurinus et Chemnicensis: *hoc*. Iuve-

*) „Alcibiadem iam puerum videbat Socrates occupatum a turba civium, hospitum, commilitonum, qui divitiis, dignitate, adulatione, gratiaque animum eius alliciebant." Plutarch. Alcib. 4. et paullo post: „Qui cum depravabant, ambitionem eius et gloriæ cupiditatem multo magis captabant, persuadentes fore, ut quam primum rem publicam gerere coepisset, statim non aliorum modo ducum, sed ipsius quoque Periclis potentiam apud Græcos et gloriam sua obscuraret." c. 6.

nalis item *barbatos magistros* severos philosophos, morum bonorum informatores dixit 14, 12. *Barbatos* Romani pro antiquis dixerunt, v. c. Cic. Or. pro Murœna 12. pro Cœl. 14. pro Sext. 8. quod illi vetustissimi Romani intonsi erant. Socratis quidem statuas omnes barbatas fuisse constat. Vide quæ ad 1, 133. observavimus. Illum philosophorum sapientissimum Alcibiades fidum habuit amicum acremque monitorem; et amor hic, ut ait Plutarchus, „testimonium erat virtutis egregiæque indolis adolescentis." *) Conversationis Socraticæ, quam mox Plutarchus „verum Deorum ministerium ad curandos et servandos adolescentes" dicit, typus exstare creditus est in Dialogis ita dictis Platonicis: Alcib. 1 et 2. quorum priorem **) Persius hac in satira respexisse videtur. Qua Socratis consuetudine

*) „Alcibiades, etsi ab iis, qui gratiam ipsius in conversando captabant, initio molliter habebatur, neque ad huiusmodi sermones audiendos admittebatur, quibus ad virtutem instrui posset, tamen indolis suæ vi, quis Socrates esset, agnovit, eumque, remotis amicis divitibus et generosis, admisit. Cuius consuetudine deinde usus, cum audivisset sermones non eius, qui amorem viro indecorum venaretur, sed vitia animi reprehenderet, inanemque et stultum factum deprimeret, ibi sese trepidus, ut alas gallus ille territus, demisit." Alcib. 4.

**) Hunc Dialogum, cum loca quidem vere Platonica, non vero totum aliquid Platone dignum contineat, et in partibus minime sibi constet, a discipulo quodam Platonis exaratum existimat Schleiermacher: Platons Werke. Vol. 3. p. 291.

levem illum et incogitantem Alcibiadem, si non emendatum, saltim mire commotum fuisse, ostendit locus Symposii Platonici. *) *Sorbitio tollit quem* &c. Cod. Haun. sextus: „rapuit quem," septimus: „quem tollit." Socratem, „qui omnium eruditorum testimonio, totiusque iudicio Græciæ, cum prudentia et acumine et venustate et subtilitate, tum vero eloquentia, varietate, copia, quam se cumque in partem dedisset, omnium fuit facile princeps" (Cic. de Oratore 3, 16.) et quod maius est his omnibus, quem Xenophon per omnem vitam nil aliud cogitasse dicit, quam quæ iusta essent, quæ iniusta, atque illis quidem operam sedulo dedisse, his vero quam maxime abstinuisse — hunc, quasi Deos non coleret et iuvenes corrumperet, morte damnatum interemerunt „Athenæ, nil præter gelidas ausæ conferre cicutas." (Iuvenal. 7, 205.)

3. *Quo fretus?* Ita Alcibiadi Platonicus: „Quid tandem est, in quo confidit hic adolescentulus?" **)

---

*) Inducitur in hoc Dialogo professus, „auditis eius sermonibus, multo magis quam corybantum vociferationibus, cor sibi salire et lacrimas profluere; se alios multos eadem perpeti videre; se Periclem et alios bonos oratores bene quidem dicere arbitratum fuisse, tale vero sibi eos audiendo nihil accidisse; se neque conturbatum, neque indignatum fuisse . . sed ita affectum, ut sibi non vivendum esse putaverit, qui talem vitam viveret." „Cogit enim," ait, „me fateri, quod, cum ipse adhuc multarum rerum indigus sim, me ipsum tamen negligo, rem publicam vero Atheniensium curo."

**) τι ἐν ποτε ἐςιν ὁτῳ πιςευει το μειρακιον;

Dic, o ob καινοφωνιαν τυ „*dic hoc*“ vulgati cum Passowio et Orellio legendum suadent codd. Haun. 3, 7. quorum prior, haud secus ac Luneb. Wagneri, „hoc“ rasum et o substitutum exhibet; tres etiam Achaintrii, quorum Parisiensis apud Weberum: *dic o.* Alcibiades, patre Clinia mortuo, educatus est a matre Dinomache et Pericle, cui nepos erat ex fratre Diod. Sic. 12, 38. Val. Max. 3, 1. extr. Gell. 15, 17. Periclis consanguineum dicit Plutarchus, Alcib. 1. et privignum Nepos, Alcib. 2, 1. *Pupille*, administrandæ igitur reipublicæ inhabilis. *Magnum* dixit Periclem, non quidem ob hostes novies ab eo superatos, sed ex sententia huius satiræ, eiusque fontis, Dialogi Platonici, in quo laudatur Pericles, quod non rudis imperium Atheniensium regendum capessiverit, „casu quodam spontaneo sapiens factus, sed cum multis, iisque sapientibus, Pithoclide et Anaxagora, et iam in tanta sua celebritate cum Damone versaretur.“ *) *Pericli*, contractum pro Periclei a Pericleus; itidem Cic. de Oratore 2, 22. ut alibi Achilli, Ulixi, cf. K. L. Schneider, Formenlehre p. 163 sq. et Ruddimanni Inst. Gram. Lat. ed. Stallb. I. p. 168. De Pericle ceterum Socrates Alcibiadi in Dialogo citato: „Præ omnibus, quos dixi, maiorem tibi potentiam esse existimas ex Pericle, Xantippi filio, quem pater tutorem tibi et fratri reliquit, qui non in hac solum civitate quidquid voluerit facere potest, sed

*) Locus est eorum, qui scriptoris inconstantiam produnt, cum Pericles heic sublatus mox omnino deprimitur.

etiam in universa Græcia, et apud multas et magnas barbarorum gentes."

4. 5. *Scilicet*, ironicum, ut Terent. Andr. 1, 2, 14. et sæpius. Pro *et rerum* cod. Haun. septimus cæsuræ convenientius: „rerum et." Ceterum *prudentia velox ante pilos*, ante barbam, veniens omnis non admodum fausti vulgo habetur. „Illud ingeniorum velut præcox genus non temere umquam pervenit ad frugem." Quinct. Inst. Or. 1, 3, 3. *) De ætate

*) Illam maturam prudentiam Alcibiadis satis prodit consilium Pericli ab eo datum, de quo Val. Maximus 3, 1. extr. „Alcibiades, cum adhuc puer ad Periclem avunculum suum venisset, eumque secreto tristem sedentem vidisset, interrogavit, quid ita tantam in vultu confusionem gereret? At illo dicente, mandato se civitatis propylæa Minervæ, quæ sunt ianuæ arcis, ædificasse, consumtaque in id opus ingenti pecunia, non invenire, quo pacto ministerii rationem redderet, atque ideo conflictari: Ergo, inquit, quære potius, quemadmodum rationem non reddas. Itaque vir amplissimus atque prudentissimus suo consilio defectus, puerili usus est, atque id egit, ut Athenienses, finitimo implicati bello, rationibus exigendis non vacarent." Addit Diodorus Siculus 12, 38. Athenienses, iam maris imperium sibi vendicantes, exactas in communi Græcorum contributione pecunias in Delo ad octo millia talentùm (plus quam 8 milliones imperialium) Athenas transtulisse, easque fidei Periclis custodiendas tradidisse, eum vero, magna eius parte in privatos usus expensa, ut rationem populo reddendam ex consilio pueri Alcibiadis effugerit, iam coepisse meditari, quo pacto Athenienses gravi alicui bello implicaret, et illud initium fuisse belli Peloponnesiaci, omnium, quæ Græcorum historiis celebrantur, maxime diuturni.

Alcibiadis ita Dialogus cit. „Alcibiades ille primo quidem nondum viginti annos prorsus natus, (πρωτον μεν ἐτη ἐπω γεγονως σφοδρα εἰκοσιν) deinde omnino indoctus.“ *Dicenda tacendaque calles.* Fraudulentæ memineris eloquentiæ Alcibiadis cum Nicia contendentis, Plutarch. Alcib. c. 14. et in patriam redeuntis c. 33. &c. Non ea fuit calliditate Vulteius Horatii, „dicenda, tacenda locutus.“ Ep. 1, 7, 72. Græci: ῥητα και ἀῤῥητα.

6–8. Cum imperitum vulgus ira concitatur, eam scilicet tui fiduciam habes, ut porrectæ manus gravitate seditionem componas.“ Constat, Alcibiadem „singulari præ ceteris audacia fuisse,“ Diod. Sic. 13, 68. nec quod ad facultatem dicendi attinet, qua valuit maxima, sibi umquam diffisum esse: ἀδενος ης ἀνθρωπων ἐνδεης ἐιναι ἐις ἀδεν &c. „te nulla ais in re hominibus aliis indigere, quippe quæ tibi insunt, ita præclara esse, ut nec ad corporis, nec ad animi bona cuiusquam egeas.“ Alcib. Platon. 1. ab initio. Adolescentem cum in concionem populi prodire et in publico dicere veritum fuisse, id quod tradit Ælianus, Var. Hist. 2, 1. ad fabulas huius scriptoris referendum videtur, narrationi Plutarchi minime conciliandum. *Plebecula*, infima multitudo, quæ primitivi, plebis, notio est Cic. pro Mil. 33. „Miseram et ieiunam plebeculam“ idem dicit Ep. Att. 1, 16. *Maiestate manus.* Ita Iupiter „voce manuque Murmura compressit; tenuere silentia cuncti.“ Ovid. Metam. 1, 205. et Valentinianus, „præmeditata dicere parans, brachium exsertat, et elata

prospere dextra, vi principis fiducia pleni, ausus increpare quosdam ut seditiosos et pertinaces.“ Am. Marcellinus 26, 2. cf. Lucan. 1, 298.

9. *Hoc puto.* Casaubonus et Orellius, in membranas Bongarsii et Priscianum provocantes, et codd. quinque Achaintrii legerunt „puta,“ quod quidem adverbialiter pro „scilicet“ vel „verbi caussa“ sumitur Hor. Sat. 2, 5, 52. Senec. Nat. Quæst. 2, 2. &c. Nec obstat *a* correptum, de quo Priscianus, nostrum locum citans, l. 15. de adverbio (apud Putschium c. 1007) hunc in modum: „A terminantia . . ut „ita,“ quod solum A correptum habuit, quamvis quidam „puta“ quoque adverbium esse accipiant, ideoque Persium id corripuisse, ut: *Hoc, puta,* non iustum.“ Servius item ad vocem „contra“ Virg. Æn. 2, 651. „Præpositiones vel adverbia in *a* exeuntia modo producunt ultimam literam, excepto „puta“ et „ita“; quia apud Ennium et Pacuvium brevia sunt“ &c. At codd. omnes Haun (1. 6. 7. quidem in rasura) cum nonnullis Ach. et Tigurino legerunt *puto,* quod loco convenientius videtur, in quo puerilis et inepta sistitur oratio. Bene Lubinus: „Puto, quasi dicat: o Romani, ego æquum censeo, ut ab eiusmodi tumultu desistatis, quia credo, quod hoc non rectum et honestum est, illud autem male fieri existimo, et istud rectius est. Videtur inepta et puerilis oratio, cum dicat *puto*, cum orator non debeat putare.“ Passow: „rectius *istud,* quod latine melius dictum codd. nostri Haun. 2. 5. 6. 7. et Wimariensis apud Weberum approbant. Ceterum

repetitio vocis „illud“ in codd. Norimb. Tig. Ach. ut et tribus Haun. et apud Priscianum, non prorsus improbanda, cf. Martial. 7, 9, 2. æstuanti oratori haud male convenit. Quod vere *iustum* sit, ad rem publicam tractandam adgredienti perfecte cognoscendum sequendumque, et quantum ab ista prudentiæ civilis norma abesset novus ille politicus Atheniensis, fusius et oratione seria verbis fere iisdem ostenditur in Alcibiade primo. *)

10–12. „Cum libræ lances æqualiter suspensæ sunt et examinatæ, tum iustum pondus est, neutra præponderante; ac tum libra est anceps, ac utram in partem vergat, nescit, pariter æquata et perlibrata. Quod Persius significat. Rectum etiam potes, o Alcibiade, illudens ait Socrates, per te discernere et cognoscere, etiam cum inter curva sentit: cuius tum et

*) *Προς ταυτ' αρα και συ το δικαιον τυς λογυς ποιησῃ*; &c. „Socr. Hic igitur tu de iusto verba facies? Alc. Necesse est. Socr. Aliudne igitur .. melius est quidquam, quam id quod est iustius? Alc. Hoc melius videtur. Socr. Unum igitur te præterit, quod hoc ignoras.“ Et paullo infra: *ἐκεν ἐλεχθη ὁτι περι δικαιων και ἀδικων* &c. „Nonne dictum est, quod Alcibiades, pulcher Cliniæ filius, iustorum atque iniustorum inscius, se scire putabat, eratque concionem Atheniensium aggressurus, ea consulturus, quæ nesciret?“ Persius adolescenti suo Romano, nonnihil artis politicæ sibi arroganti, eundem locum, sed brevius et ironice explicat. „Illa imperitia egregie notatur verborum permutatione, atque sic iusti iniustique notiones inter se confunduntur.“ Weber.

animadversio difficilior est, cum aliorum depravatio, quibus admixtum est, speciem eius obscuret, et pari vitio pravitateque deformet; quin etiam si regula vara et prava tibi in manum detur, quæ quod rectum est, mentiatur curvum et pravum, per te tamen tuaque sponte rectum intelligere poteris, et vitiosam regulam coarguere.“ Turnebus Adv. 30, 8. Dextre Passowius: Schweben auch gleich die Schaalen der Waage, mit ruhigem Scharfblick Findest das Recht du aus: wie leis in das Schlimme das Gute Spiel', und verlasse dich selbst ausbeugend die Regel, du wankst nicht. Pertinent hæc ad propositionum genera, in quibus de officiis deliberare solerent Stoici: honestumne id esset, de quo ageretur, an turpe, utilene an inutile, et si id, quod speciem haberet honesti, pugnaret cum eo, quod utile videretur, quomodo ea discerni oporteret? de quibus Cicero de Fin. l. 3. et de Offic. 3.

13. *Nigrum Theta.* Græci et Romani literis Theta et Tau, illa mortis, hac vitæ symbolo, usi sunt. Nominibus militum bellorum superstitum apponebatur *T* (*Τηρευμενοι*) sed defunctorum ut et mortis damnatorum *Θ* (*Θανοντες*). Ita *Θ* in sepulcralibus, v. c. „An. *Θ* XVI.“ o: anno defunctus sexto decimo. Vid. Sert. Ursatus de Notis Romanorum. Hinc *Theta nigrum* Persii et „mortiferum signum Theta,“ Martial. 7, 36, 1. In sepulcralibus Romanorum lapidibus, quorum I. Lipsius duos attulit, quoties pluribus monumentum aliquod exstrueretur, adsculpi solitum erat, qui ex iis super terram, qui sub terra. Illis præpo-

nebatur V. prima in Vivus litera, his vero Θ vocis θανατος. Eam veriorem esse caussam suspicatur, cur *Theta nigrum* et „mortiferum“ dictum, quam quod in iudiciis damnandi esset nota. Dial. de Recta Pronunt. lat. linguæ c. 14. Verum illam literam capitali sententiæ olim præfigi solitam, auctor est Isidorus Hispal. Etymol. 1, 20 et 25. quocum faciunt Asconius Pedianus ad Cic. pro Scauro, et vetus Schol. ad nostrum Persii locum. Originis ista symbola longe antiquioris fuisse constat. Ægyptium Osirim, tabulam, cui *T* inscriptum, manu gestantem, veteres imagines exhibent, v. Grævii Thes. antiqu. Rom. T. 5. p. 546. T. 5. p. 785. Ea litera ex sententia sapientum vitam futuram significatam, referunt scriptores ecclesiastici: Socrates 5, 17. et Sozomenus 7, 15. Iidem diruti cuiusdam Serapei lapides commemorant, quibus signum crucis insculptum erat.*) Verum *T* ad similitudinem crucis accedit, et apud Græcos Ægyptios ipsam crucis figuram referebat, v. Winckelmanns Werke, herausg. von Meyer u. Schulze. B. 5. p. 509. Hinc Hierony-

*) Huc referendus locus nostri Olai Borrichii in Antiqua Urbis Romanæ facie c. 14. „In primis illud Isidis templum memorabile, quod in campo olim Martio nitebat, ubi hodie conventus Dominicanorum, ex cuius horto evulsum vidi obeliscum Ægyptium atque plures vitulos ex lapide lydio aëabre factos, sed fere truncatos. Et ante hos 40 annos effossa ibidem statua Serapidis, sinistra ferens literam Tauticam, cuius inferior pars *T* significabat Ægyptiis, ut apud Socratem et Sozomenum legimus, vitam venturam.

mus in Ezech. 9, 4. in antiquis Hebræorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extremam Tau literam ait crucis habere similitudinem; quare signum vitæ et salutis, *) unde percussores illi apud Ezechielem agnoscerent, quibus parcendum esset, literam *T* existimat, assentiente Grotio aliisque recentioris ævi interpretibus. Quæ mystica crucis significatio **) inde apud Græcos et Romanos invaluit. Vid. Alex. Donatus de urbe Roma 1, 22. „Thita" pro *Theta* exhibent codd. quatuor Haun. qui cum pronuntiationem secuti sunt, novum suppeditant argumentum ad sententiam eorum stabiliendam, qui cum Reuchlino hodiernis Græcis usi auctoribus, vocalis *η* verum antiquumque sonum i fuisse, contra Erasmum contendunt. Eo certe Etacistis argumentum e Persio peti-

*) Ezech. 9, 4. והתויתּ תּו ita reddit Vulgata: „et signa Tau." Arabibus תּוי cum est perire, tum bene valere, unde תּו et peruntem et sospitem significat. Videtur igitur תּו tristitiæ æque ac lætitiæ fuisse signum, ex orationis serie explicandum.

**) „Signum hoc nostrum dominicæ crucis inter illas, quas dicunt *ἱερατικας*, i. e. sacerdotales literas, habere Ægyptii dicuntur, velut unum ex ceteris literarum, quæ apud illos sunt, elementis. Cuius literæ seu vocabuli hanc asserunt esse interpretationem: Vita ventura. Dicebant ergo hi, qui tunc admiratione rerum gestarum convertebantur ad fidem, ita sibi ab antiquis traditum, quod hæc, quæ nunc coluntur, tamdiu starent, quamdiu viderent signum istud venisse, in quo esset vita." de la Chaussée de Deorum Simulacris.

tum, quod ille *Theta*, non „Thita“ dixerit, præciditur. Eadem est ratio τε „chære“ vel „chere“ pro χαιρε Prol. Persii v. 3. in membranis et codicibus sex Haun. reperti, quo αι Græcorum effertur æ vel e, quam pronuntiationem, tamquam veram et antiquam, Itacistæ contra Etacistas defendunt.

14–16. Relicta iam ironia, personæ susceptæ quasi oblitus, iuvenem aperte urget: „Qui frustra superficie tenus es formosus, (cui pulchritudo corporis in re publica administranda nihil prodest) cur non cessas, ante ætatem maturam infimæ plebis tibi blandientis favorem canis instar captare, dignior, qui puro helleboro insanam illam regnandi libidinem eiicias?“ Passow, Orellius et Weber, cum interrogandi signum deleant, τω *quin* cum indicativo eandem vim hortandi tribuunt, ac si cum imperativo vel coniunctivo copularetur; quod quidem non sine exemplo, vid. Zumpt, Lat. Gram. p. 401. ed. 4. Ramshorn, Gram. lat. p. 494. *Summa . . decorus.* Eodem sensu proverbiali 5, 116. „pelliculam veterem“ &c. et Horatius: „Introrsum turpem, speciosum pelle decora,“ Ep. 1, 16, 45. cf. Sat. 2, 1, 64. Alcibiades „omnium ætatis suæ erat formosissimus.“ Nepos, Alcib. 1, 2. Ἀλκιβιάδου μορφη Græcis erat paradigma proverbiale formæ speciosissimæ. Ad vultum eius Hermas effictos vidimus 2, 56. Plutarchus de pulchritudine eius nihil habet dicendum, nisi hoc, „eam omni ætate eius floruisse, ideoque et puero, et adolescenti, et viro facto gratiam ac venu-

statem conciliasse. *) Alcib. c. 1. Eum pulchritudine confisum esse, dicit scriptor Alcibiadis primi: „Existimas te procero et decoro corporis habitu plurimum excellere; et sane cuivis perspicuum est, te minime mentiri.“ **) *Popellum* Persius diminutive et contemptim, ut *plebeculam* v. 6. dixit. Ita Horatius „tunicatum popellum“ Ep. 1, 7, 65. Eumque *blandum* vocat, quod „stultus honores sæpe dat indignis et famæ servit ineptus,“ Hor. Sat. 1, 6, 15. et quod inprimis Alcibiadem blanditiis excipiebat. Turbam civium adulatione gratiaque animum eius allexisse, tradit Plutarchus c. 4. Ipsius autem blandiendi studium vel unus locus (c. 23.) satis testatur: „Erat hæc una ex multis eius artibus, et ad homines alliciendos aucupium (μηχανη θηρας ἀνθρωπων) quod se studiis eorum ac victus rationi assimilabat, ipso chamæleonte in mutanda forma celerior; hunc enim aiunt solum album colorem non posse simulare; at Alcibiadi sive boni, sive mali nihil erat, quod non imitando exprimere posset. Itaque Spartæ erat exercitationibus deditus, victus sordidi et austeri; in Ionia delicatus, luxus amans, otiosus; in Thracia ebriosus, assiduo equitans; dum viveret cum Tisapherne satrapa, omnem Persicum splendorem luxu et fastu superabat. Neque vero ita facile,

*) πλην ὁτι και παιδα και μειρακιον και ἀνδρα, πασῃ συναν θησων τῃ ἡλικια, και ὡρᾳ τε σωματος ἐρασμιον και ἡδον παρασχειν

**) ὁιει γαρ δῃ ἐιναι . . καλλιστος και μεγιστος, και τουτο μεν δῃ που τι δηλον ἰδειν ὁτι ἐ ψευδει.

moribus suis exutis, alios sumebat, neque ad omnes mutationes habili erat ingenio; sed cum videret, si suo more vixisset, iis molestum se futurum, quibuscum versabatur, naturam suam solebat figura aliqua et persona iis accommodata occultare." Eum tamen neque natura ad homines captandos male comparatum fuisse, ostendunt verba Plutarchi c. 24. „Tanta inerat Alcibiadi in consuetudine quotidiana suavitas, ut nulla non natura, nullum non ingenium ea posset capi,*) adeoque his etiam, qui eum vel metuebant vel invidebant, præsentia eius et aspectus voluptati lætitiæque erat." Iure igitur timebat Socrates, ne popularitate illa nimia corrumperetur Alcibiades: *τουτο γαρ δη μαλιστα ἐγω φοβουμαι, μη δημεραστης γενομενος ἡμιν διαφθαρης* &c. **) *Caudam iactare*, Græcorum *κερκω σαινειν*, a canibus, clunes adulando agitantibus, v. 1, 87. *Anticyram*, insulam maris Ægæi ad sinum Maliacum, in qua maxima insaniam purgantis hellebori

*) *ταις δε καθ' ἡμεραν ἐν τω συσχολαζειν και συνδιαιτασθαι χαριειν ἐδιν ἡν ἀτεχνητον ἡθος, ἐδε φυσις ἀναλωτος.*

**) „Socr. Id vehementer timeo, ne amator populi factus, nobis corrumparis; multis enim et ingenuis apud Athenienses id evenit. (Iam locus sequitur vere Platonicus:) Nam bene personatus est magnanimi Erechtei populus (*δημος Ερεχθης μεγαλητορος* Hom. Il. 2, 547.) sed illum nudatum contueri oportet; adhibe ergo hanc, quam dico, cautionem. Alc. Quam? Socr. Exue eum prius, ac disce quæcunque scienda sunt, antequam tractentur civilia, aut rem publicam adeas, ferens tecum alexipharmacum, ne quid adversi patiaris.

copia provenit, pro ipso helleboro posuit, nec unam tantum, sed plures, et quidem *meracas*, puras, non aliis mixtas, ut insaniæ vehementiam notet. cf. Strab. 9, 5. Plin. H. N. 25, 5. Iuvenal. 13, 97. Hor. Sat. 2, 3, 83. A. P. 300.

17. 18. Prima cum ethices Stoicorum elementa ignorare, iam iniecta interrogatione ostendit, eiusque ex mente, si non verbis, ipse sibi respondet. *Summa boni*, το τελος των αγαθων, de quo inquiritur in libris Cic. de Fin. Bon. et Mal. *Unctus* de lautiore cibo in genere, ut supra 3, 102. Hor. Ep. 1, 15, 44. et 17, 12. *Curata cuticula* unctione et balneo, quotidiana diæta Romanæ „in cute curanda plus æquo operatæ iuventutis," Hor. Ep. 1, 2, 29. cf. Sat. 2, 5, 38. Ep. 1, 4, 15. Vetus Scholiastes: „Curata a chromatiariis, nam chromatiarii dicuntur colorarii, vel qui tota die in arena sunt, vel in sole. Antiqui enim ungebant se, et in sole erant, ut oleum corpus imbiberet." Chromatiari e græco χρωμα, color, expressum et latine formatum, verbum „nostris hominibus inauditum auribus" dicit Turnebus, non explicat. Dictum est de fuco: χρωματιζουσι δε τα μεν ἐρυθρα των μυρων τῃ ἀγχουσῃ &c. Theophrastus. Ungebantur nimirum Romani et colorabantur. „Lavantur simul et colorantur." Seneca Ep. 86, 7. et quidem in sole, quod Latini „insolationem," Græci ἡλιωσιν et ἡλιοκαιαν vocabant. Inde Persius infra v. 33. *figas in cute solem*, et Iuvenalis 11, 203. „Nostra bibat vernum contracta cuticula solem." Ceterum *assiduo*, quantum fieri poterat,

sole utebantur Romani. Certæ ædium partes solariis (heliocaminos dixit Plinius Ep. 2, 17, 12.) erant instructæ, ubi solebant apricari. Plaut. Mil. glor. 2, 5, 69. Sueton. Claud. 10. Plin. Ep. 5, 6, 17. Macrob. Saturn. 2, 4. nec voluptatis tantum, sed valetudinis etiam caussa, cuius inter præsidia habebant, in sole, si careret vento, sedere, iacere, ambulare nudos. Plin. Ep 3, 1, 4.

19. „Exspecta, dum audias prætereuntem hanc anum, olerum venditricem, quæ interrogata, idem responsura est, sibi nimirum lucrum, ut tibi voluptatem, esse summum bonum.“ Fastum insolentis iuvenis retundit, vilissimæ eum mulierculæ assimilans. Pro *exspecta* Marcilius „en specta“ legendum suadet, duce Scholiaste, qui exponit: „inspice.“ Lectionem tamen vulgatam et vetus ille interpres et codd. nostri omnes servant. Nec opus est emendatione, cum hoc verbum sæpius sine obiecto usurpatur, et h. l. propriam quasi notionem exhibet extra spectandi, unde præstolari, quod dum venturum aliquem præstolemur, frequenter adspicere solemus. I vel *i nunc*, formula irridentis vel increpantis; „Concessio est dissimulationis et irrisionis plena, qua utuntur Latini, cum vel a re quapiam deterrent, vel aliquid improbant, vel fieri non posse significant.“ Lambinus ad Hor. Epist. 1, 6, 17. Græci item ἀλλ' ἴθι νῦν. Hom. Il. 3, 432. cf. Virg. Æn. 7, 425. 9, 634. Iuvenal. 10, 310. 12, 37.

20. *Dinomaches ego sum.* Verba Alcibiadis. Ita et in Alcibiade primo dicitur *υἱὸς Δεινομάχης*, quod maxime placeret sibi in matre. *) *Suffla*, gloriare: ita regerit Socrates, intumescentem reprehendens. *Sufflare* sine obiecto usurpatur Martial. 5, 17, 4. sed alio sensu. Pergit Alcibiades: *Sum candidus*, formosus, Hor. Ep. 2, 2, 4. *Esto*, verbum Socratis, ut in Dialogo: *τοῦτο μὲν δὴ παντὶ δῆλον εἶδεν ὅτι οὐ ψεύδει.* vid. v. 15.

21. 22. „Dummodo constet, vel mihi concesseris, sapientia te non inferiorem esse anum pannis obsitam, quæ herbas odoratas dissoluto (festinanti ideoque negligenter accincto cf. 3, 31.) servo emendas laudat.“ *Dum ne*, si modo non, ut Terent. Andr. 5, 3, 31. Cod. Haun. septimus: „Dum non.“ *Deterius*, minus, ut Hor. Sat. 1, 10, 90. Quidam legunt „pannucea,“ sequentes Martial. 11, 47, 3. Plin. H. N. 15, 14. et Macrob. Sat. 2, 15. ubi de eo, quod laxum et rugosum est, dicitur; sed nostro loco codd. Haun. omnes: *pannucia.* „Scribe *pannucia* ut in L.“ (vetustissimo et optimo codice Pithoei). Ita hic in Var. lect. ad h. l. Petronius itidem vocem de veste adhibens pannosa,

*) Ut videtur ob nobilitatem generis; erat enim, teste Plutarcho c. 1. „Megaclis filia e stirpe Alcmæonidarum;“ quæ gens nobilis erat Athenis, originem a Nelei posteris trahens, scilicet ab Alcmæone, qui, cum cum Heraclidæ in Peloponnesum reversi Messeno avito regno cecissent, Athenas profectus, isti prosapiæ nomen dedit. Pausan. 2, 18. 7. 4, 3, 3.

scribit: „pannuciam, ne centonibus quidem bonis dignam.“ c. 14. Donatum etiam in suo Persio legisse *pannucia*, ostendit eius observatio ad Terent. Andr. 4, 4, 30. Illi vero, id quod ex animadversione Turnebi Adv. 28, 33. heic probe notandum, *pannucia* non est pannosa, sed ut quæ multis conglobata et glomerata pannis tumet, „tumida et præpinguis,“ ut si pila aut globus sit pannucius. *Baucis*, nomen anus pauperculæ, a Græcis poetis ad Latinos translatum. Ovidio est uxor Philemonis vetula, quæ Iovem et Mercurium, a ceteris Phrygibus exclusos, hospitio excepit. Metam. 8, 630. *Ocimum* ab „ocymo“ differre, non satis observarunt interpretes. Hoc est pabuli genus, Plin. H. N. 17, 22. 18, 16. Illud planta odorata, Græcorum ὠκιμον, Theophrast. Hist. Plant. 7, 3. Plin. H. N. 19, 7. 8. &c. Hesychius: ὠκιμον, βοτανη ἐνοδης, το λεγομενον βασιλικον. Suidas: ὠκιμον δενδρον ἡ φυτον το κοινως λεγομενον βασιλικον. De *ocimo* Plinius 19, 7. „cum maledictis et probris serendum præcipiunt, ut lætius proveniat.“ Eadem de cumino Theophrastus l. c.: φασι γαρ ἰδειν καταρασθαι τε και βλασφημειν σπειροντας, ἐι μελει καλον ἐσεσθαι και πολυ. Qua fabula absurditati proxima interpretes aliqui, iique perspicacissimi viri, inducti, notionem conviciandi, loco nostro alienum, intulerunt. Ita Turnebus Adv. 30, 8. „Anus,“ inquit, „quæ servulis nequam in viis convicia ingerit, id enim esse videtur *cantare ocimum*, quod scritur cum maledictis, teste Plinio 19, 7.“ *Cantat* anus *ocimum*, ᾄδει ὠκιμον, i. e. laudat venales, quæ

vult extrudere merces, intenta lucro, ut Alcibiades voluptati. Ita Achaintre: „cum Baucis olera sua emturientibus clara voce commendat, astute ea laudans, qua in re cernitur eius sapientia.“ Ceterum Turnebus, Persium obiter et in transcursu attingens, duos hos versus fusius tractavit alio Adversariorum loco 15, 3. quem ob verum in interpretando iudicium pariter ac modestiam eruditissimi viri heic lubet apponere. *)

*) „In eo fere profundo puteo, in quo demersam Democritus latere veritatem putavit, horum Persii Satiræ 4. versuum sententia occultata videtur celari: *Dum ne .. oçyma vernæ;* neque eam, ut poetæ loquuntur, in dias luminis auras e tam obscuris latebris proferre posse me venditaverim, sed conatum studiosum et operam gnavam promiserim, quæ si verum attingat, fortunæ potius quam eruditioni attribuatur, ut si alcator Venerem iaceret. Ego autem ut ad rem accedam, magno ambitu verborum pauca elocutum Persium existimo, ut poetæ munifici interdum sunt, et verborum largi et prope profusi; sententiam enim puto, eum non plus quam olerariam mulierculam sapere. Olitores enim in abiectissimis et contemptissimis habebantur, ut proverbium indiçat: Sæpe etiam est olitor valdę opportuna loquutus; mulieresque vilissimæ olera vendebant, et per urbem promercalia clamitabant. Sic Petronius mulierem agreste olus vendentem dixit, et ab Aristophane Euripidi mater exprobratur oleraria i. e. *λαχανοπωλητρια*; quin et ipsum *σκανδικοπωλην* ea de caussa appellat, quod ne hortense quidem olus eius mater, sed agreste venderet. Lepos autem quæsitus est ex dicacitate muliercularum earum, clamantium, se olera venditare dissolutis et nequam servis, peculiumque intemperanter dissipantibus, quasi eos sint ad frugem et

Iam ab arrogante et nimia virium suarum fiducia decepto iuvene transitur 23–41. ad exempla alia sui ipsius ignorantiæ et consuetudinis hominum, alienos mores vituperandi, qua calumniandi libidine sua vitia suique inscitiam tegunt.

---

parsimoniam revocaturæ; speciem enim oleris pro genere posuit. Nec tamen ab re fortassis ocymum nominavit, quod *μισοδηλον* Græci ab odio servorum appellare solent: Sotion: *το ὠκιμον, τουτεστι το λεγομενον μισοδηλον, ὁτι ἐδεν ἐγνων χρησιμον.*" Hæc Turnebus. Ea de re etiam Io. Bodæus a Stapel in annotationibus ad Theophrasti H. P. 7, 3. „Cassianus Bassus l. 11. c. 29. *μισοδηλον* vocatum fuisse ait *το ὠκιμον, τουτεστι το λεγομενον μισοδηλον.* Ab odio servorum hoc nomen accepisse volunt, quod servi non sibi, sed heris suis emerent ocimum. Ego codicem corruptum puto, ac scribendum *μισογυνον* vel *μισογυνες*, idque quod idem Cassianus scribat: *Μαλιστα δε ταις γυναιξιν .. πριν ἀρθηναι το ὠκιμον.* Maxime autem mulieribus infestum existit, tantam habens adversus ipsas naturalem contrarietatem, ut si quis, ignorante muliere, sub patinam obsonii integrum cum radice ocimum supponat, mulier non prius obsonium contingere audeat, quam ocimum auferatur. Nemo non videt, *μισογυνες* scribendum." Ceterum Turnebus „ocymum" ab *ocimo* scribendo non distinxit. Ita et Adv. 30, 8. scribit „ocymum," additque, hoc Persii loco etiam „ozyma" scribi propter illius herbæ odorem, quam basilicum vocamus. Nec aliter Varro, cum de Re Rustica 1, 31. et pabulum et herbam huius nominis describat. Scriptionis igitur differentiam, ad *ὠκιμον* Græcorum a Plinio definitam, in codicibus et editionibus neglectam esse, non mirum videatur. Nostro tamen loco codd. Haun. omnes et Tigurinus vocabulum cum i scriptum habent.

23. 24. Pro *Ut* cod. Haun. septimus „At.“ *In se descendere*, quasi in fodinas: specus et sinus cordis sui rimari, quod Horatius: „se ipsum concutere“ dixit Sat. 1, 3, 34. Præclare Seneca: „Nemo nostrum in altum descendit. Summa tantum decerpsimus, et exiguum temporis impendisse philosophiæ, satis abunde que occupatis fuit. Illud præcipue impedit, quod cito nobis placemus: si invenimus, qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui sanctos, agnoscimus. Nec sumus modica laudatione contenti; quidquid in nos adulatio sine pudore congessit, tamquam debitum prendimus; optimos nos esse, sapientissimos, affirmantibus assentimur, cum sciamus illos sæpe mentiri. Adeoque indulgemus nobis, ut laudari velimus in id, cui contraria cum maxime facimus &c. Epist. 59, 10–12. *Sed .. tergo.* Similis dictio Hor. Sat. 2, 3, 299. quem tamen locum non, ut Casaubono videtur, imitatus est Noster. Uterque potius, nisi Horatius „caudam“ v. 53 respexerit, apologum Æsopicum Phædr. 4, 9. de peris duabus homini a Iove impositis spectavit. Eiusdem tenoris est Horatianum: „Cum tua pervideas oculis male lippus inunctis, Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum, Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius?“ Additur, quod et in sequentibus Persii: „at tibi contra Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi,“ Sat. 1, 3, 25. cf. v. 73. ubi maiora et propria vitia dicit „tubera,“ minora et aliena: „verrucas.“ Ita ulceribus papulæ Senec. de Vita Beata 27. ricinis peduli

Petron. 57. et trabibus festucæ Matth. 7, 3. opponuntur. Cf. Cic. Offic. 1, 41. Tusc. 3, 31.

25. Per dialogum, ut expressius, ostendit, quam faciles se præbeant homines, quavis data occasione, alios criminandi, suis interim vitiis neglectis. *Vectidius*, homo ignotus. Sabinum dicunt a *Curibus*, oppido Sabinorum mox nominato, de quo Virg. Æn. 6, 812. 8, 638. Cod. L. Pithoean. cum Chemnic. apud Weberum: „Vettidis." Luneburgensis: „Ventidi;" libri item veteres Casauboni, quorum Parisiensis apud Weberum: „Vetidi."

26. *Quantum non milvus oberret:* proverbialis hyperbole de homine agrorum ditissimo. Iuvenalis item avaro cuidam tot pascua tribuit, ut milvi iis pervolandis defatigentur 9, 55. et Petronius: „Ipse Trimalchio fundos habet, quam (quantum) milvi volent.. argentum in ostiarii illius cella plus iacet, quam quisquam in fortunis habet." c. 37. Quin de nummis vetus Scholiastes ad Iuvenal. 1, 109. eodem usus est proverbio: „Decessit (Licinius) . . proinde dives, quod Cassii opes etiam exhausisset, et dictus est habuisse nummos, quantum milvi volant." Milvus enim „circanea est avis, in orbes volans." Festus.

27. *Hunc ais? hunc.* Criminandi proclivitas præsentissima pingitur imagine. *Dis iratis* natum, viventem, i. e. infelicissimum ob avaritiam, inter opes mendicum opum. Avarum ita Horatius „Dis inimi-

cum“ dicit Sat. 2, 3, 123. ut Græci *θεοις ἐχθρον*. Proverbialis est locutio, nata ex opinione universæ antiquitati velut insita, quod Dii iræ, pessimo consultori, obnoxii essent, qua accensa nihil prospere evenire posset. Vid. Hom. Il. 5, 191. Terent. Andr. 4, 1, 40. Hor. Sat. 1, 5, 97. 98. 2, 3, 8. 2, 7, 14. Phædr. 4, 19, 15. Iuvenal. 10, 129. *) *Genio sinistro* aliam prodit antiqui orbis opinionem, non minus frequentem, qua singulis hominibus binos Genios tribuebant, quorum alter eos iuvaret, alter iis perniciem moliretur. Inde ostentum Bruto oblatum, se malum eius Genium nuncupans, Philippis eum revisurum. **) Plutarch. in Bruto c. 36. cf. quæ ad 2, 3. notavimus.

28. *Quandoque* pro „quandocumque,“ ut apud Horatium sæpius, quin ipso loco: „quandoque bonus dormitat Homerus,“ A. P. 359. ubi male ex verbis poetæ mutilis integram fecerunt sententiam. *Iugum*

*) Opinionem huic contrariam vide Hor. Od. 4, 3, 2. Iram Deorum hominibus intelligentiam auferre credebant, et tales homines *θεοβλαβεις* dicebant, significatione ducta ex verbis Penelopes: *Μαια φιλη, μαργην σε θεοι θεσαν, ὁιτε δυνανται Ἀφρονα ποιησαι, και ἐπιφρονα περ μαλ' ἐοντα, . . Ὁι σε περ ἐβλαψαν.* Hom. Odyss. 23, 11. Latinis item frequens est formula, „Deos iratos habere“ pro stulte agere, et contra „propitios“ pro sapere, ut Plaut. Mil. 3, 1, 107. Terent. Phorm. 4, 3, 31. Senec. Epist. 110, 1. Contrarium est Ter. Andr. 4, 1, 40. Phorm. 1, 2, 24. cf. F. H. Bothii Annot. ad Horatium Fea, Sat. 2, 3, 165.

**) *ὁ σος, ὠ Βρυτε, δαιμων κακος, ὁψει δε μι περι φιλιπποις.*

&c. Interpretes *compita* de die compitaliorum cultoribus agrorum solemni, et *jugum figere* de cessatione ab opere intelligunt, quod quidem approbat Casaubonus; cum vero iugum die festo non figi sed suspendi solitum esset, Persium ritum aliquem compitaliorum coniicit tetigisse, cuius ignoratione obscura nobis sunt eius verba. De *compitis* ita vetus Scholiastes: „sunt loca in quadriviis, quasi turres, ubi sacrificia, finita agricultura, rustici celebrabant. Merito *pertusa*, quia per omnes quatuor partes pateant, vel vetusta. Vel compita non solum sunt in urbe loca, sed etiam viæ publicæ ac diverticula aliquorum confinium, ubi ædiculæ consecrantur patentes. In his iuga fracta ab agricolis ponuntur, emeriti ac elaborati operis indicium.“ Speciosum hoc, sed ἀνεξοίητον iure dicit Casaubonus, non enim instrumenta vetera et inutilia Diis consecrare moris erat, sed ipsi potius artifices cum senuissent, et ad exercendam artem suam iam facti essent inutiles, aut cum professionem mutarent, artis suæ instrumenta Deo eius præsidi dedicabant. Iun. Philargyrius ad Virg. Georg. 2, 382. compita ita definiens: „locus ex pluribus partibus in se, vel in easdem partes ex se vias atque itinera dirigens, sive is cum ara, sive sine ara, sive sub tecto, sive sub divo sit, ubi agrestes buccina convocati solent certa inire consilia,“ nihil habet de fractis et consecratis iugis illic repositis. Hinc satius duxi, cum Murmellio illa compitaliorum festa, tamquam huic loco aliena, missa facere, et *compita pertusa*, loca, in quæ multæ viæ conveniunt, ideoque

conculcata, protrita, simpliciter tenere. Horatius: „frequentia compita“ Sat. 2, 3, 24. 25. ad quem locum cf. Heindorfium. Ventidius tam avarus est, ut arando etiam in compitis pertusis iugum figat, atque aliquam partem attritæ viæ aratione comminuat. Quo illius avari tabulæ novus additur penecilli satirici ictus. In compitis vero garruli conveniebant et ebrii compotabant, Iuvenal. 9, 112. Inde conversatio in sequentibus.

29. Seria, vas vinarium minus, oppositum dolio, Terent. Heaut. 3, 1, 51. unde diminutivum *seriola*, quo vasis parvitas et sordes Vectidii significantius exprimitur. Codices variant lectionibus *veteris* et „veterem,“ utraque probanda. Pro *deradere* cod. Chemn. apud Weberum: „detrudere.“ *Metuere* pro nolle, minime propensum esse, ut Hor. Sat. 2, 5, 65. *Limum* dixit ad vini, cui parcendum esset, vilitatem exprimendam, pro pice vel cera, quibus vasa vinaria linere solebant. Hor. Od. 1, 20, 3. 3, 8, 10. Hinc „relinere dolia, serias,“ Terent. l. c. quod Persio: *deradere limum*. Picandi modum descripsit Columella 12, 42 et 43. Vel *limum* dixit pro pice squalida, multorum annorum sordibus obducta. Ita „veteri crateræ limus adhæsit“ Hor. Sat. 2, 4, 80.

30. *Ingemit*, cum gemitu, quasi rem arduam aggressurus, pronuntiat *Hoc bene sit!* quod Romani gratulantes et salutem propinantes dicere solebant. Ita „bene te! bene vos! bene tibi! bene vobis!“ solemnis inter pocula bene precandi formula. Plaut. Pers. 5,

1, 20. et Stich. 5, 4, 27. Ovid. A. A. 1, 605. *Cepe* Horatius item pro plebeio et vili cibo, qualis pauperum, posuit, et piscibus, quos delicati et divites petebant, opposuit Ep. 1, 12, 21. Scribitur ab antiquis per c, vid. Priscianum, Putsch. c. 673 et 681. *Tunicatum*, membranis quasi tunicis velatum. Ita Homerus vestem Ulyssis cum tunica cepæ aridæ comparat *) Odyss. 19, 532. *Κρομμυα ἐσθιειν*, cepas edere, Græcis est misere vivere; hinc apud Aristophanem: *κρομμυων ὀσφραινομαι*, cepas olfacto, miseram vitam timeo. *Sal* nota frugalitatis, ut Hor. Sat. 1, 3, 14. *Cepe* ne coriis quidem purgatum, *sale* modo aspersum, *mordens*, avide comedens, tamquam lautitias.

32. 33. *Farrata olla*, pulte ex farre in olla cocta, victu prisci ævi Romanorum, quo „omnia farrata Tusco catino ponebant" Iuvenal. 11, 109. nam „cibariis ex farre ante usum panis victitabant," Plin. H. N. 18, 8. Exsultabant servi esurientes, quod vilissimo illo victu satiarentur. Qui „farratam ollam" legunt, (ita cod. Haun. septimus, Tigurinus, Achaintrii nonnulli, quorum Parisiensis Weberi, Wimar. et Chemnicensis apud eundem; Husumensis: pharratam) hanc ad Vectidium referre videntur, cum plaudere rem aliquam non ita, ut re, dici possit. At „mordere ollam" insulsum. *Pannosam*, mucidam, floccis tamquam panno obductam, *fæcem morientis*, vappescentis et ipsa ve-

*) *Τον δε χιτων . . διον τε κρομυοιο λυπον κατα ἰσχαλεοιο.*

fastate corrupti, *aceti*, vini acidi, in acetum degenerantis, pleno haustu sorbet, hominum instar, „qui cum divites sint, esuriunt, et sale et cepe vescuntur, et poscam*) etiam in sacrificio libant, dum non velint dolium vini reserare.“ Vet. Schol. Ita Avidienus Horatii „Quinquennes oleas est et silvestria corna, ac nisi mutatum parcit defundere vinum; .. cornu ipse bilibri Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.“ Sat. 2, 2, 57. 58. 61.

Imaginem avari vere, ut est, effinxerunt veterum scriptorum plurimi, v. c. Theophrastus in Characteribus ethicis περὶ μικρολογίας, περὶ βδελυρίας et περὶ ἀνελευθερίας, Lucianus in Dialogis Τίμων ἢ μισανθρωπος et Ὀνειρος ἢ Αλεκτρυων, Plutarchus περὶ φιλοπλουτίας, Plautus item in Persa 2, 3, 15. uno quidem versu, sed voluminis instar: „triparcos homines, ... qui salinum servo obsignant cum sale;“ Horatius in descriptione Opimii lethargo oppressi, Sat. 2, 3, 142–157. item Avidieni, Sat. 2, 2, 55–62. et Iuvenalis 14, 123 sq. in elementis sordium, quibus puerorum animos imbuant avari, præcipiendis: nostrum vero locum, si

*) „Poscam“ dixit Scholiastes, potionem vilis plebeculæ, ex aquæ acetique mixtura, Plaut. Mil. glor. 2, 2, 23. Plin. H. N. 20, 4, de qua piscator Gripus apud Plautum Rud. 4, 2, 32. „Sed hic rex cum aceto pransurus est et sale sine bono pulmento,“ satis comice se ipsum ridens, cui de summis somnianti divitiis vilissimum futurum sit prandium.

cum illis contuleris, vix nativis coloribus et satirico sale inferiorem deprehendas.

33. „At tui obtegens, in alios criminator (verbis utor Taciti de Tiberio Annal. 4, 1.) si delibutus oleo et odoribus quiescas, et cuti solis calorem, quo nitida reddatur, infigas.“ De unctione et insolatione vid. v. 18. Textus Pithoei: „frigas“ at cod. eius vetustissimus L. *figas*; alii „fricas.“

34. *Est prope te,**) adstat tibi, de quo minime cogitaveris. *Cubito tangere* Ciceroni est „stimulis fodere,“ Terentio: „latus fodere.“ Propior Nostro Horatius: „Aliquis cubito stantem prope tangens inquiet.“ Sat. 2, 5, 42. Græci νυττειν τῳ ἀγκωνι.

35. 36. *Despuat in mores* &c. Ad degeneres Romanorum mores pertinebat, quod delicatiores axillas ceterasque pilosas corporis partes præter caput vellerent. Hoc fiebat in balneis. Iuvenal. 11, 156. Officinæ præterea institutæ erant in urbibus, ubi molliores, pice obliti a vulsoribus, depiles et glabri fierent. Insana illa et naturæ repugnans consuetudo maximam

*) Ruddimannus, ceterum classicus, cum *prope* præpositionem non esse, et adiunctum accusativum non ab ipsa hac particula, sed a præpositione sæpius intellecta, regi doceat (Inst. Gram. Lat. I. p. 315. II. p. 97. ed. Stallb.) vix hunc locum et sequentem 5, 70. inspexisse videatur. Præpositionem potius cum Zumptio (Lat. Grammatik p. 228. ed. 4.) dixerim, factam ex adverbio, cuius etiam Noster exemplum exhibuit 6, 60.

Græciæ partem et totam Italiam pervagata videtur, et a Græcis Constantinopolitanis ad Turcas, apud quos hodie obtinet, delata. Solos apud Lacedæmonios, rigidioris disciplinæ tenaces, ista turpitudo non invaluit. Ephoros edicto cavisse, ne in balnea inferretur pix, utque omnes depilatores exploderentur, auctor est Suidas. Numeratur scilicet pix inter remedia evellendis pilis. *)

*) De his veteres medici, v. c. Plinius Valerianus (Siburius, scriptor sæc. 4.) de Re Medica: „Sunt, qui vel suis pilis, vel servorum suorum, in balneo offendantur, sine ulla quidem ratione; sed illorum quoque persuasioni succurrendum est et monstrandum, quemadmodum effici possit, ut revulsi pili non renascantur.“ Picc inprimis Bruttia, et quidem calefacta, utebantur, quam „calidum viscum“ vocat Iuvenalis: „Nullus tota nitor in cute, qualem Bruttia præstabat calidi tibi fascia visci.“ 9, 14. Alia medicamina eo pertinentia erant psilothrum, dropax, resina, pumex. De his cit. Valerianus: „Omni psilothro sic utendum est, ut priusquam adiiciatur, resina pili auferantur;“ et Plinius: „Pudet confiteri, maximum iam honorem resinæ esse in evellendis virorum corpori pilis.“ II. N. 14, 20. De pumice idem 36, 21. „sunt (pumices) in usu corporum levigandorum feminis iam quidem et viris.“ Feminas dicit vellendi ministras, quæ „strictivellæ“ olim vocabantur. Cf. Martial. 5, 42, 6. 14, 205, 1. Ovid. A. A. 1, 508. Iuvenal. 8, 16. Psilothrum et dropacem, unguenta depilatoria, commemorat Martialis 3, 74, 1. 10, 65, 8. Turcis in balneis locis corporis depilandis Kil, pingue terræ genus, interitur, quibus dein Oth, medicamen corrosivum lene, sandaracha mixtum, pilos sensim auferens, imponitur. Videtur mos vellendi Græco-Romanus iam vetere receptus consuetudine mi-

57. 58. Casaubonus *gausape* pro coma, et *maxillis* pro pectine posita existimat, quam facetissimi viri inficetam interpretationem (pectine pectere!) ab interpretibus satis multis et ipsis lexicographis recentioribus receptam, merito improbat Koenig, barbæ partem, quam relinquere in genis (maxillis Martial. 8, 47.) moris erat, adscititiam intelligens, adeo ut sensus sit: „Tu, qui faciem pilis adscititiis ornas, ubi natura pilos tibi negavit, cur depilas eas partes, quas natura pilis vestitas esse voluit?“ Eadem fere interpretatione Steph. Claverius, gente et ætate Casaubono coniunctus, in „Persio explanato“ Paris. 1607 edito, sensum restituit, *gausape* „cæsariem“ dicens, „vel veram vel emptam, qua nostris etiam temporibus recalvastri, vel luc venerea flagellati, caput obvelant.“ Codd. Haun. 2. 6. „in maxillis.“ Haun. 1. 7. et 4. apud Ach. „detonsis.“

59. *Palæstritas* athletas vulgo dicunt interpretes, i. e. homines robustissimos, quales in palæstra versantur. Rectius Casaubonus: δρωπακιζαι ἐῤῥωμενεστατοι, και της ἑαυτων τεχνης τα πρωτα, (vulsores robustissimi et suæ artis principes) quo tamen illum voci sensum inesse non monstravit. Locus est Tertulliani de Pallio

morum et saltatorum, quos Iulianus in Antiochico s. Misopogone „viros“ dicit, „non modo genis, sed etiam toto corpore depilatos, ut ipsis feminis leviores videantur (ἁπαν το σωμα λειοτεροι των γυναικων.) Hinc Plautus: „Tu istum gallum, si sapis, glabriorem reddes mihi, quam vulsus Iudia est.“ Aulul. 2, 9, 5.

c. 4. ad quem illustrandum verba Persii citavit Salmasius, et qui vicissim ad ea exponenda facit: „Unde apud aliquos Numidas, etiam equis cæsariatos, (qui non solum propriam alunt cæsariem, verum insuper equinis caudis aut iubis cæsariati cristatique *) incedunt) iuxta cutem tonsor (tonsura) et cultri vertex solus immunis?“ Taxat in suis Carthaginiensibus consuetudinem delicatiorum Græcorum, quod præter verticem omnia circumtonsa et strictim rasa essent. Hæc vero ad palæstram pertinere, ex sequentibus apparet, ubi „xysticas munditias“ iis exprobrat. Eosdem palæstricos quoque depilari in reliquis corporis partibus, idem significat verbis proxime sequentibus: „Unde apud hirtos et hirsutos tam rapax a culo resina, tam furax a mento volsella?“ Et hoc depilari ac velli „xysticas munditias“ Tertullianus vocat, quod hunc morem haberent homines xysto et palæstræ dediti, idque etiam in medio gymnasio, sub omnium oculis. Fiebat id a *palæstritis*, qui athletas in gymnasiis ungebant et resina levigabant &c. Ista vero in Carthaginiensibus carpit Tertullianus, quia tum recens donati pythico agone ab imperatore Severo, illa omnia factitabant, quæ fieri solita ab athletis in Græcia. Quare gymnastici et xystici apud Carthaginienses etiam pilabantur et vellebantur, ut Græci, cum tamen non essent, ut illi, palliati. Hinc addit: „Quid tibi Libya et Europa

*) „Equis cæsariatos, i. e. quibus equina ad galeam erat cæsaries.“ I. S. Semler in Latinitatis Tertullianeæ indice.

cum xysticis munditiis, quas vestire non nosti?“ Nam et in Europa multis locis huiusmodi græcanici agones celebrabantur.

40. *Forcipe aduncа*, volsella Tertull. l. cit. quæ in glossis Servii τριχολάβιον, in aliis μαδιστήριον, ἀκανθολάβις.

42–52. Concludit digressionem, duplici exemplo illustratam, et ad priorem satiræ partem rediens arrogantem iuvenem monet, ut spretis alienis assentationibus se ipsum exploret.

42. *Cædimus* &c. Similiter Horatius: „Cædimus, et totidem plagis consuminus hostem.“ Ep. 2, 2, 97. Carpimus et carpimur. Bene Casaubonus: „Huiusmodi λογοποιίαις alii aliorum probra publicamus.“ Pro *præbemus* codd. Haun. 2. 6. „præbentes.“ *Ilia subter* præpositionis anastrophen vocant Grammatici, poetis usitatissimam.

44. *Cæcum vulnus*, pravum aliquem animi habitum occultas, ut gladiatores interdum vulnera accepta. *Cæcum* Latinis pro occulto poni, notissimum.

45. Cod. Haun. septimus, Wimar. et Chemn. apud Weberum, 2 apud Achaintr. „protegit.“ Haun. 2. 6. „Protegis et.“ Eandem lectionis diversitatem esse in „protegit“ apud Propert. 3, 12, (13,) 12. observavit Weber. *Ut mavis* &c. „Esto, si ita vis; te sanum simula.“

46. *Egregium cum me vicinia dicat, non credam?* Verba sunt iuvenis, et cuiuscumque hominis, assentatoribus et philautiæ aures patefacientis. „In eo falli facile est; tales enim nos esse putamus, ut iure laudemur.“ Cic. Off. 1, 26. *) Alcibiadem, cuius sub nomine insolentem iuvenem Persius increpat, assentatoribus non caruisse, iam dictum est ad v. 1. 2.

47. *Viso si palles nummo.* Ita Horatius: „Ambitione mala aut argenti pallet amore.“ Sat. 2, 3, 78.

48. *Amarum* ab effectu dicunt, quia multarum amaritudinum caussa est libido. Verius Turnebus: ab impulsu voluptatis molesto, dolore scilicet, qui libidinosos urit, nec quiescere sinit. Advers. 15, 3. 30, 8.

49. De *puteali* Koenig ad h. l. fusius. Duo, quæ nobis quidem nota sunt, Romæ fuisse putealia, unum Navii in Comitio, Cic. Divin. 1, 17. Liv. 1, 36. alterum

*) Hinc Seneca: „A turba, quantum potes, te separa, nec adulatoribus latus præbeas; artifices sunt ad captandos superiores. Par illis, etiam si bene caveris, non eris. . . Habent hoc in se naturale blanditiæ: etiam cum reiiciuntur, placent; sæpe exclusæ, novissime recipiuntur. Natur. Quæst. 4. præf. Idem dulcedinem blanditiarum ita describit: „Quemadmodum qui audierunt symphoniam, ferunt secum in auribus modulationem illam ac dulcedinem cantus, quæ cogitationes impedit, nec ad seria patitur intendi, sic adulatorum et prava laudantium sermo diutius hæret, quam auditur, nec facile est, animo dulcem sonum excutere; prosequitur et durat, et ex intervallo recurrit.“ Ep. 123, 8.

Libonis in porticu Iulia ad arcum Fabianum, Festo teste, a pluribus, etiam a Sigonio, confusa, a Salmasio primum distincta, existimat. Illam vero distinctionem non tantis niti argumentis, ut quæstio ad liquidum perducta censeatur, facile quisque fatebitur, qui hanc rem tractantes adierit scriptores: Eryc. Puteanum de Iureiurando Antiquorum Iudicum, Iac. Gutherium de Iure Manium, 1, 3. Io Bapt. Hansenium de Iureiurando Veterum, c. 2. Barthol. Marlianum, Urbis Romæ Topographia 3, 4. Val. Chimentellium Marmore Pisano, c. 17. &c. Citati Car. Sigonii verba in libro de Iudiciis 1, 28. hæc sunt: „De comitiis habet Plautus in Curculione: (4, 1, 9.) Qui periurum convenire vult hominem, mitto in comitium. *) In comitio vero fuisse puteal, ostendit Cicero de Divin. (1, 17.) Cotem illam et novaculam defossam in Comitio, supraque impositum puteal accepimus. (De ista cote et novacula Livius l. cit.) Idem autem fuisse puteal Libonis, docet Sextus Rufus in libro de Regionibus Urbis, in foro Romano describendo: Senaculum aureum, puteal Libo-

*) „Comitium locus ad forum Romanum, curiæ proximus, ubi non comitia solum magistratuum creandorum habebantur, sed iudicia etiam exercebantur. Ibi ad puteal Libonis, quod ara fuisse videtur, ad lævam curiæ, solebat iurari; et „Comitiales homines" dicuntur, qui religionem iurisiurandi parum colebant, qui quotidie in foro operam et fidem exponebant venalem, perhibendisque testimoniis dabant operam." B. F. Schmieder ad loc. cit. Plauti et Poenul. 3, 2, 7. in Comment. perp. Goett. 1804.

nis, comitium. Puteal vero Libonis ara fuit. Indicant nummi argentei veteres, in quibus est imago aræ cum his verbis: Puteal Scribonii. Scriboniorum vero cognomen fuit Libo. Hinc Horatius Ep. (1, 19, 8) Forum putealque Libonis mandabo siccis; et Sat. (2, 6, 35.) Ante secundam Roscius orabat, sibi adesses ad puteal cras. Videtur autem de advocato loqui, qui ab amico rogabatur, ut ad puteal sibi adesset. Atque eodem etiam respexisse videtur Persius Sat. 4. de eo, qui ad puteal peieraret: *Si puteal* &c. Iurasse autem aram tenentes, ostendit Cicero pro Flacco (36) Ergo is, qui si aram tenens iuraret, crederet nemo, per epistolam, quod volet, iniuratus probabit?" Ut mercatores, trapezitæ et feneratores Romani in foro ad Ianum versabantur, Hor. Ep. 1, 1, 54. et 20, 1. Sat. 2, 3, 18. (ad quem locum vide Heindorfium) ita et ad puteal fenora tractata fuisse, loca docent a Sigonio citata, quibus adde Cic. pro Sextio 8. Ovid. Remed. Am. 567. Hac de re vetus Scholiastes Persii: „Feneratores ad puteal Scribonii Libonis (Licinii) quod est in porticu Iulia ad Fabianum arcum, consistere solebant." Eo etiam pertinet observatio Turnebi ad locum de hæresi Vestoriana Cic. Ep. Att. 14, 14. „Ferionnes vocantur hic ioculari voce feneratores a feriendo, feriunt enim eos usuris, quos obæratos habent. Ex quo et Persius scripsit Sat. 4. *Si puteal . . flagellas.*" Advers. 15, 5. Quo sensus nostri loci haud ineptus constituitur. Verum ob avaritiam v. 47. taxatam præferenda videtur notio peierandi a Sigonio oblata, cum

puteal aram fuisse constat,*) et aram tangere Romanis iurantibus moris fuisse, loca præter allatum satis multa probant, v. c. Plaut. Rud. 5, 2, 46. 47. Iuvenal. 3, 144. 14, 218. De iureiurando iudicum et advocatorum Plin. Ep. 5, 21. 2. Aram vel *puteal multa vibice flagellare* eodem igitur sensu dictum est, quo „flagellare annonam“ Plin. H. N. 33, 13. cf. Martial. 2, 30, 4. 5, 13, 6. et *cautus* ad calliditatem eiusmodi hominum referendum. Ad quam interpretationem commendandam verba faciunt iureconsultorum olim celebrium: Revardi, Var. sive de Iuris Ambiguitate 5, 8. „Aram tangit, qui ex animi sui sententia iurat; aram flagellat, qui peierat;“ et I. Bapt. Hausenii, de Iureiur. Veterum c. 2. „Si is, qui in aram iurabat, peieraret, sic illi divo, ad cuius aram iurabat, iniuriam facere existimabatur, ut non „tangere,“ sed *flagellare* potius *multa vibice* suo periurio videretur.“

*) „Exstat notusque est nummus, cuius pars adversa effigiem Libonis repræsentat cum inscriptione Bon. event. Libo, aversa vero aram ipsam sive puteal coronis citharisque exornatum, cum inscriptione: Puteal Scribon.“ Eryc. Puteanus de Iureiur. Antiqu. Iudicum. Marlianus ita: „Est apud nos numisma argenteum, in cuius altera parte Libonis imago est cælata cum inscriptione: Libo Bonaven. in altera vero tribunal, supra quod est puteal, infra vero Scriboni.“ Urbis Romæ Topogr. 3, 4. Nummum exhibet ex Golzio et aliis Iac. Revardus, Varior. 5, 8. Ad hanc aram iudices et litigantes iurasse, eoque sensu loca Horatii ante citata exponenda, idem plenius docet. Glossæ veteres itidem: ἱερος τοπος περικεκλεισμενος, Puteale, et ἱερα φραγις, Puteale.

Vibice, penultima longa, a vibix, non vibex, quod nusquam nisi apud Priscianum, Putsch. c. 655 et 657. reperitur, nec ceteris convenit vocabulis in ex desinentibus, quæ penultima brevi flectuntur, cf. K. L. Schneider, Formenlehre p. 186. Cum hoc vocabulum Vossius inter masculina referat, nostro refutatur loco et alio, ex Plauti Fugitivis a Varrone citato, L. L. 6, 3.

50. *Donaveris*, porrexeris, *aures bibulas*, laudis cupidas. Sensus idem tropicus voci „bibere" Ovid. Trist. 3, 5, 14. Hor. Od. 2, 13, 32. Alcibiadem iam a puero corruptum fuisse laudibus, docent verba Plutarchi c. 4. *Ἀλκ. εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς θρυπτόμενος* &c.

51. *Respue quod non es.* Idem monet Horatius: „Ne cui de te plus, quam tibi credas," et Iuvenalis: „Dic tibi quis sis, Orator vehemens, an Curtius, an Matho buccæ; Noscenda est mensura sui, spectandaque rebus In summis minimisque." Sat. 11, 35. Codd. Haun. 2. 4. 6. et nonnulli apud Ach. „respice." *Cerdo* pro plebecula, ut apud Iuvenalem 4, 153. de Domitiano: „Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus Coeperat," i. e. postquam in plebem sævire coeperat. *Σαντοτομον* Persius forsan respexit in Alcibiade primo sæpius dictum. Laudes immeritas populi dixit *munera*. Martialis 3, 16. cerdonem aliquem *νεοπλουτον* describit, qui ut populo blandiretur, gladiatorum *munera* edidit, quod epigramma dicerem respexisse Persium, nisi ætate fuisset Martiale superior.

52. Cod. Haun. 1. et quatuor apud Ach. „ut noris;“ Tig. et alii Ach. „et noris;“ ita et Petrus Blesensis, scriptor sæc. 12. qui hunc locum citat. Haun. quintus: „aut noris.“ Claudit satiram epiphonemate proverbiali continuato. *Habitare* in aliqua re pro multum diuque in illa esse, sæpius dixit Cicero: *Tecum habita*, γνωθι σεαυτον, quod Iuvenalis 11, 27. „e coelo descendere, figendum et memori tractandum pectore“ existimat. Illud Horatius „secum esse,“ „se non vitare“ dicit Sat. 2, 7, 112 sq.; et 1, 3, 51. ita monet: „Denique te ipsum Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim Natura, aut etiam consuetudo mala; namque Neglectis urenda filix innascitur agris.“ Eodem sensu Persius 1, 7. *Nec te quæsiveris extra*, et M. Antoninus 7, 21: „Intra te ipsum te contrahe; hæc est natura mentis, (rationis imperatoriæ, φησιν ἐχει το λογικον ἡγεμονικον) ut iuste agens, et in hoc acquiescens, nihil extra se quærat. Missam fac phantasiam“ &c.*) Vocis *supellex* prima syllaba semper cor-

*) Hoc est, quod Socrates Platonicus Alcibiadem monet in primo huius nominis Dialogo: „Qui se ipsum novit, prudens est; qui semet ignorat, sua quoque omnia, sive bona sint, sive mala, et quæ aliorum sunt, ignorat, quo fit, ut eiusmodi homo nec ad rem publicam, nec ad rem familiarem, aut ullam aliam administrandam sit idoneus, sed in his omnibus errori sit et peccato obnoxius. Cum autem qui peccat sit idem miser, prudentia et sui cognitione carentem esse in publicis privatisque gerendis miserum, necesse est. cf. Senec. de Tranqu. Animi 2, 12. 15. Lucret. 3, 1076 sq.

ripitur, nec audiendus Beda Sacerdos, cum „suppellex per duo p“ scribendum præcipiat apud Putschium c. 2545.

An Nero in hac satira descriptus fuerit, nec ne, dissentire inter se interpretes diximus. Vetus Scholiastes Neronem non commemoravit, nec citimæ vetustatis interpretes, quorum notulæ ad nos pervenerunt, in exponenda satira, illius principis mentionem fecerunt. Antiquum tamen Io. Murmellium (Persii Satyræ, Colon. 1538) argumentum Satiræ 4. invenio ita indicasse: „In eos, qui rerum humanarum imperiti temere se ad gerendum magistratum ingerunt, inprimis autem in Neronem, qui iuvenis per scelus imperium occupavit, imperio ineptissimus.“ Eandem sententiam secuti sunt Bondius, Marcilius, Tornorupæus, Farnabius, Schrevelius cet. rem pro concessa potius sumentes, quam probantes. Eam tamen propius attigit Casaubonus, præcipuum huius satiræ scopum fuisse dicens, in Neronem invehi atque ipsum satirico sale defricare, quod rem publicam suscepisset gubernandam, tanto oneri prorsus impar, quodque esset illius vita libidine aliisque vitiis infamis; sic tamen poetam in hoc argumento indignationis suæ habenas laxasse, ut neque palam, neque plenis velis in flagitiosissimum principem inveheretur, verum tecte et longe mollius, quam vel natura ipsius ferebat, vel Neronis flagitia merebantur; scriptam esse satiram, cum nondum totus innotuerat Nero, cuius principium laude digna habuit multa; probe novisse Persium, cum ad

eam scribendam se accingeret, quantam rem et quam periculosam moliretur, eum igitur consilio prudentissimo hoc argumentum Platonis imitatione sibi tractandum censuisse, non solum nominibus inde petitis, sed etiam sententia propemodum universa, ut si quis forte Corycæus aut Cercops nomen ipsius deferret, probabili excusatione posset factum suum defendere, quasi exercendi tantum stili caussa petitum e libris summi philosophi argumentum Latinis versibus tentasset complecti. Cum vero Persius, quod fatetur ipse Casaubonus, ab omnibus abstinuerit, quæ Neronis personam proprie essent denotatura, nec illud Neronem carpendi consilium scriptoris lectori se, nisi volenti, offerat, nec suis difficultatibus careat, hanc interpretandi viam deseruerunt recentiores tantum non omnes, præter I. C. F. Meisterum, iurisconsultum celeberrimum, de interpretatione Persii, ut ante monuimus, optime meritum, qui in libellis: Commentatio in A. Persii Flacci Satiram quartam, Trai. ad Viadr. 1807. et Letzte Studien über A. Persius Flaccus, Lips. 1812. antiquiorum sententiam, novis rationibus instructam, erudite et ingeniose adeo defendit, ut argumentorum, quæ attulit, summa in disquisitione huius satiræ non videatur omittenda.

Alcibiades, ait, Nero est. Ille Græcis rebus, hic Romanis potitus est, uterque immatura adhuc ætate, rudis et imperitus, voluptati plus quam rei publicæ deditus. De Alcibiade Socrates apud Platonem: „Didicisti, quoad memini, literas pingere, pulsare citha-

ram, luctari; hæc sunt, quorum tu scientiam habes.“ Nero similiter cantavit, pulsavit citharam, aurigavit“ &c. Sueton. Ner. 20–24. Ad nomen *magni Pericli* v. 5. de Seneca et Burrho, claris Neronis tutoribus, cogitandum. Alcibiadi *ingenium et rerum prudentia velox ante pilos venit* v. 4. Illi exprobrat Socrates Platonicus, quod prius (nondum viginti annos natus) ad civilia se contulerit, quam fuerit gubernandi peritus. Neroni vero „maturata virilis toga, quo capessendæ rei publicæ habilis videretur.“ Tac. Annal. 12, 41. cf. Sueton. Ner. 8. Ut Alcibiadem scientia et eloquentia destitutum Socrates Persii v. 5–8. et Platonicus in Dialogo describit, ita Tacitus Ann. 13, 3. refert, senatores, cum Nero laudationem Claudii Cæsaris dixisset, a Seneca elaboratam, adnotasse, „eum primum ex iis, qui rerum potiti essent, alienæ facundiæ eguisse.“ Cum in liberæ Reipublicæ concionibus plurimæ obveniant, et implicatissimæ, quæ ad iuris scientiam pertineant, quæstiones, Socrates in Dialogo Alcibiadem suum inprimis iusti iniustique scientia voluit instructum. Nec a Romanis imperatoribus abesse poterat iuris civilis peritia, cum imperante Octavio Augusto et sequenti tempore, ad imitationem liberæ Reipublicæ, habita sunt comitia, leges ad populum imperatores tulerunt, aut suasoriis orationibus defenderunt, tandemque de gravissimis caussis, argumentis in utramque partem excussis, ipsi decreverunt. Quanta vero acerbitate, laudis scilicet sub specie, Neronem Persius v. 9–13. taxavit! *Ancipitem* tenens *libram*, et

regulam; quæ vero *fallit pede varo*, supremus iste rerum arbiter, iurisconsultos dum audit legitque inter se dissentientes, arripit denique, ipse cæcus et cæca quasi fortuna ductus, unam alteramve sententiam: *Hoc puto* &c. astute non additis caussis, verum ita, simpliciter ut stet pro ratione voluntas. Cuncta tandem in proverbiale aliquod „*curvi* corrigendi" abeunt dicterium. Plin. Epist. 5, 21, 3. Senec. Apocoloc. Quod suis ita coloribus pinxit satiricus, idem historicus Suetonius tradit: „Quoties ad consultandum secederet, neque in commune quidquam, neque propalam deliberabat, sed et conscriptas ab unoquoque sententias tacitus ac secreto legens, quod sibi libuisset, perinde atque pluribus idem videretur, pronuntiabat." Ner. 15. Ad *nigrum Theta vitio præfigendum*, legenti succurrit affectata illa Neronis clementia: „Cum de supplicio cuiusdam capite damnati, ut ex more subscriberet, admoneretur: quam vellem, inquit, nescire literas!" Sueton. 10. Fere usque ad annum U. C. 811. Nero flagitiis et sceleribus velamenta quæsiverat. Tac. Ann. 13, 47. Eo ipso tempore, quo hæc velamina, sensim levata et neglecta, per manifestam impudentiam tandem abiecta sunt, Persii satira 4. videtur conscripta. Hinc. v. 14. *summa nequidquam pelle decorus*. Quæ dicendi figura eo fuit in Neronem mordacior, quod nativa pellis ipsi indecora, corpusque maculosum et foedum, Sueton. 51. et quod ridicule satis alienis quibusdam superbivit exuviis: „Deprensis in lecto eius" &c. Sueton. 53. De blanditia, qua *cau-*

dam popello iactavit, Suetonius ibidem. Vs. 17–22. Persius quærens, quæ Neroni sit vitæ ratio, vel ex ingenio Stoicorum, quæ illi *summa boni* sit, hunc facit respondere, *uncta se semper vivere patella* &c. Ita et historici Neronis initia describunt, veluti Dio Cassius 61, 4. „Nero, et alias negotia fugiens, otio fuerat delectatus . . primum simpliciter convivia agitabat, comissabatur, temulentus erat, amabat.“ At satiricus multa adhuc peiora Neroni tribuens et de eo præsentiens animo, sicco pede iam præterit, quantopere deses ista et putrida vitæ ratio imperantem dedeceat, et acrius urgens morari eum iubet, et antestatus de foro olitorio primam quamque herbarum venditricem, instat: *Haud aliud*, nec peius quidquam, *respondeat hæc anus?* interrogata nimirum, quæ *summa boni* sit, non sibi, sed Neroni, ipsa teste et iudice. Poeta, quasi secuta iam responsione, eaque cognita ex ipso mulieris vultu per sannam aliquam aut mussitationem, *I nunc* triumphans exclamat; sed Nero telis metuendis occurrit, *sufflans: Dinomaches ego sum, sum candidus.* Aliquando et Alcibiadem Socrates honoris caussa Dinomaches filium salutavit, et quemadmodum Alcibiades sibi ipse visus est homo formosissimus et procerrimæ staturæ, ita et Socrates testatur, minime illum mentiri, Dial. Plat. Alc. 1. Acrius autem hæc valent in Neronem: „Agrippinæ ego sum!“ En malitiosam ellipsin! Agrippinæ! Quisnam? Filiusne, an amator? „*Sum candidus*, nihil agens, appetens nihil, quod contra naturam.“ *Esto*, regerit satiricus,

mox Neronem extremæ foeditatis reum pronuntiaturus: *Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis*, dum ne res multo peiores de te vetulæ huic suboleant. Sed quales? *Cum bene discincto cantaverit ocima vernæ.* Verna non quisque servulus est, sed qui in domo natus; et sicuti multum interest inter liberti et libertini vocabula, quorum prius necessario ad patronum aliquem refertur, ita et vernæ appellatio semper dominum aliquem ponit, in cuius familia natus sit servulus; atque cum Persius de nemine, nisi de Nerone, habeat sermonem, utique id consequens est, ut Neronis vernæ cantata sint ocima. Vernæ lautius habentur plurimi; et quo magis in gratia sunt, eo facilius evenit, ut soli ministrent domino, et quidem in recessibus intimis cubiculi. Nec in optimam itaque partem domini consulitur famæ, cum verna ipsius notetur ut *bene discinctus*. Iam toga fluens et laxa Romanis pessimi fuit augurii, Sueton. Iul. Cæs. 45. Qui plane discinctus, hominis omnino dissoluti aspersus erat infamia. Hor. Epod. 1, 34. Pers. 5, 31. *Ocimum* Celsus 2, 22. inter plantas veneris concitatrices refert, item Plinius H. N. 12, 12. 13. Unde nonnihil foedissimi criminis resilire videtur in ipsum dominum vernæ, cui, ocimum ut emeret, fori olitorii mulierculæ tam fidenter acclamabant. Hinc locus ita circumscribitur: „Quæ tibi vitæ ratio est? quænam universa morum vitæque institutio? In otio vivere me profiteor, bene pastum ac mihi natum, meisque, quæ et communes hominum sunt, voluptatibus. Exspecta! Haud aliud, nec peius quid-

quam respondeat hæc anus? respondeat prima quæque muliercula de foro olitorio? I nunc et sufflа: Agrippinæ totus ego sum; candidus ego; matris et fidissima imago et amator fidissimus. Integer itaque sum atque formosus, incorruptæ adhuc indolis, incorrupti adhuc saporis. Esto! dum ne deterius quidquam, dum ne maior aliqua foeditas vetulæ huic pannuciæ de te suboleat, cum vernæ tuo, qui bene discinctus tibi ministrat, cantare soleat ocima, tamque fidenter acclamare, hoc venenum ut emat venerem vel acerrime stimulans.“ — Vs. 25–32. Persius vitium aliquod humanum notat, ad Phædr. fab. 4, 9. sed etiam ad Neronem respiciens. Ab hoc enim spectabatur *mantica in tergo* aliquo vere *præcedente*, Claudii nimirum Cæsaris. Quamquam Nero, „orsus hinc a pietatis ostentatione, Claudium apparatissimo funere elatum laudaverat et consecraverat, Sueton. Ner. 9. idem tamen honorem, quo in Deorum numerum relatus erat Claudius, abolevit, ibid. Claud. 45. et omnibus rerum verborumque contumeliis mortuum insectatus est, modo stultitiæ, modo sævitiæ arguens,“ ibid. Ner. 33. Claudius nomine ficto *Vectidii* significatur a vehendo, quod plurimum aut curru vehebatur aut lectica, ibid. Claud. 30. Dio Cass. 60, 2. aut lectione adscita „Ventidii,“ a ventre vel vento, quod hac de re dicitur meditatus edictum, Suet. Claud. 32. *Diis iratis* natus ipsa Senecæ verba sunt de Claudio. Tenacitas Vectidii aliena quidem a Claudio, qui „convivia agitavit et ampla et assidua, ac fere patentissimis locis, ut plerumqne

sexcenteni simul discumberent," Suet. Claud. 32. verum poeta obtrectatorum defuncti Cæsaris vestigia ironice premens, illa descriptione indicavit, quam prodigiose Nero et pravissimi quique eius vitia auxerint. Nec tamen parsimonia Claudii in sponsalibus filiæ et natalitiis geniti nepotis transigendis, ibid. Claud. 12. in sportula inferenda, cap. 21. et ludis circensibus limitandis, Dio Cass. 60, 6. criminatione caruit, satirica digna descriptione. Vs. 33–37. foeditates Neronianas iam vs. 18–22. significatas aperte describunt. Quæ Neroni facta opprobria confirmantur testimoniis Suetonii Ner. 28. 29. Taciti Ann. 15, 37. Dion. Cass. 62, 15. 63, 13. Ad vs. 37. conferendus Sueton. Ner. 51. de coma Neronis in gradus formata, etiam pone verticem summissa, unde concluditur, faciem eius, imitatione ornatus muliebris satis ridicula, plurimos cincinnos et flexuras tortuosas circumfluxisse. Hinc in omnibus fere nummis Neronianis comam diligenter crispatam videmus. Lepidissimi comæ orbes videntur in nummo Neronis argenteo, quem Guilielmus du Choul exhibuit in libro: Discours de la Religion des anciens Romains, a Wesel 1672. p. 187. n. 1. et Meisterus in fronte Commentationis suæ æri incidendum curavit. Una cincinnorum series integram faciem cingit, defluitque sub aure in cervicem; alterum tororum crinalium volumen integrum occipitium tegit. Cæsaries ita crispata non flexa fuit ad pectinem, sive modo pexa, sed flexa calamistro. Prius capillorum genus apud Romanos ad elegantiam pertinebat, alterum, et

omnis calamistri usus, ad mollitiem. Cic. Or. post Red. 6. pro Sextio 8. Plaut. Asin. 3, 3, 37. Quinct. Inst. 1, 6, 44. 12, 10, 47. Hinc *gausape balanatum* ipse capillus est, nimiæ quidem largitatis, in fasciculos diffusus, turbatus adhuc, quamvis exquisitissimo oleo delibutus perfrictusque, ex qua perfrictione eo magis gausapæ villosæ referebat speciem. Eaque gausapa deinde depectitur, crines depexi flectuntur calamistro, flexi formantur in gradus &c. Sed *pectendi* verbum ad universam capillitii curam, omnem comæ fingendæ diligentiam, pertinet. *Maxillæ* de crinibus adscititiis intelligendæ. Licet in plurimis nummis iconibusque et imberbes Neronis genæ sint et ipsa coma destitutæ, in aliis nummis tamen videmus aliquam genæ partem prominentibus aut cirris, aut crinium lineola, coronula, torulis obductam et quasi adumbratam. Quidquid autem de maxillarum vocabulo statuatur, satis tamen per comptum Neronis haud vulgarem ex Suetonio nummisque evincitur, poetam non dedisse locum communem, sed acerbam moris alicuius plane Neroniani taxationem, eoque acerbiorem, quo magis calamistri, ut cuncta putidæ diligentiæ vestigia in virili sexu, Romanis fuerunt despicatui. Vs. 46. Profecto Neronis *vicinia* hæc fuit, quæ dixit eum *egregium*. In hac Seneca, Neronis tutor et quondam præceptor, vide eius Ludos de morte Claudii, de Clem. 1, 1, 2, 11. Quæst. Nat. 6, 8. Tac. Annal. 14, 53. 54. Nec minori adulatione Burrhus, alter tutorum, vitia Neronis aluit. Tac. Ann. 14, 10. De assentationibus senatus Sueton.

Ner. 10. Dio Cass. 61, 3. 11. Tac. Ann. 13, 8. 13. 14, 12. 59. 60. Sunt, qui satiricum putent inde a vs. 47. misso Nerone ad alium quempiam transsiliisse, cum *viso si palles* &c. non referri possit ad principem prodigum, Suet. Ner. 30. Dio Cass. 61, 5. Illos vero ineptire Meisterus existimat. Faciamus, ait, satiram non ad Neronem, sed Alcibiadis sub nomine generatim ad eos pertinere, qui imperiti rem publicam aggrediantur: nihilominus fuisset necessarium, ut eiusdem hominis, quem tota effinxerit satira, constanter usque ad finem servaretur imago. Nec minus est incommodum, ab imperantibus ad primum quemque transgredi feneratorem &c. Verum *viso si palles* in ipsum Neronem dictum est. Palluit illa, quæ uni alterique nummo insculpta fuit, imagine. Exstiterunt nummi, nec unius generis, vivente Persio excusi, æqualibus satis noti, in quibus Neroni iusta fuit caussa pallendi: scilicet numismata, in quibus Agrippinæ facies incusa est, Neroni filio sic obversa, ut ambo, iuxta positi, conspiciantur sese intuentes, vid. Regum et imperatorum Rom. numismata, Antverp. 1654. tab. 20. n. 1. et Electa rei nummariæ, Hamb. 1709. tab. 3. n. 4. Horum unum, æri incisum, commentatio Meisteri exhibet, quocum incestuosi amoris descriptio apud Suetonium conferenda, et versus Persii proximus: *Si facis* &c. præcedentibus iam apte cohærens. Vs. 49. flagellatio significatur aphrodisiaca, Romanis notissima, Petron. 138. Iuvenal. 2, 128. 11, 165. Cels. 3, 27. voce *puteal* metaphorice pro „veretro“ adhibita,

ut *gurgulio* vs. 58. utque caverna pro ano Plin. H. N. 30, 15. &c. Qui locus satiræ acerrimus et dignus, quo tota exprobratio concludatur. Describitur Nero, vix modo adolescens, laxatis nervis et enervato corpore, adhuc pruriens in mediis cupiditatibus, iisque tam cassis, tamque ferocibus et indomitis, ut earum ægre explendarum caussa ne flagra quidem et urticæ metuantur. Ad. vs. 51. ostenditur, Neronem assentationibus, ut optimatum ita etiam plebis, corruptum fuisse, citato loco Dionis Cassii 61, 5. in quo dicitur ob facinora laudatum ab infima plebe (ἀπο τῆς ὁμιλης) lætisque acclamationibus exceptum, se non amplius continuisse. Sequuntur testimonia de Nerone: Sueton. Ner. 10. 20–25. 28. Tac. Ann. 13, 2. Dion. Cass. 61, 4. quibus efficitur, celebratum huius principis quinquennium immeritis laudibus elatum, eumque iuvenem et rudem, iam ab initio imperii socordia et assentatione corruptum, in ineptias delapsum, et de uno lasciviæ genere in aliud progressum, libidinosum id hominis monstrum factum esse, quod Persius descripsit; eum nimirum, ut ait Suetonius, „petulantiam, libidinem, luxuriam, avaritiam, crudelitatem sensim quidem primo et occulte, velut iuvenili errore, exercuisse, sed ut tum quoque dubium nemini foret, naturæ illa vitia, non ætatis esse.“ Ner. 26.

Cum I. F. Wagner (Des A. Persius Flaccus 6 Satiren, übersetzt mit Einl. u. Bemerk. Lüneb. 1811.) satiram 4. ad Neronem eo nomine negaret pertinere, quod hic iure successionis hereditariæ imperium ca-

pessiverat, Meisterus iterum in libello ante dicto: Letzte Studien &c. Partic. 4. probavit ex Suetonio, Ner. 33. illum principem cædis Claudii conscium consortemque fuisse, et ex Tacito, Annal. 12, 68. 69. eum iniuria et Agrippinæ fraude Britannico filio antepositum, et tandem promisso in castris donativo imperatorem consalutatum; ostenditque, „foedam domi lasciviam, qua Nero itinera urbis et lupanaria et diverticula, veste servili in dissimulationem sui compositus, pererrabat," et quæ præter naturam patravit flagitiorum monstra, a Suetonio, Tacito et Dione descripta, in quinquennium incidere. Ad obiectionem periculi, quod aditurus fuisset Persius, si stili sui mucronem in ipsum Neronem strinxisset, respondet cum Koenigio, Persium de edendis satiris tum, cum eas scriberet, ne cogitasse quidem, verum in animo habuisse, æquiora tempora exspectare, ut Iuvenalis, ut ipse Tacitus fecit, sed morte eius præmatura illud opus imperfectum in amicorum manus venisse, ut ipse Vitæ scriptor, quisquis ille tandem sit, testatur. Addit, eum satiram hanc quartam scrinio suo et fidis amicis commisisse, satis securum, nomine Neronis in ea non pronuntiato, quod ut assequerentur coniecturis, lectorum sagacitati reliquerat; eam insuper satiram delatori nihil profuturam, si reprehensiones ab imperandi cupiditate et iuvenili imperitia petitas deferret, cum illæ duæ nomine Alcibiadis et locis Platonicis satis tectæ essent, ceteræ vero non absque summo ipsius accusatoris discrimine urgeri possent. Ceteroquin Persium, si gu-

bernatorem imperitum generatim pingere voluisset, non ea, qua erat, virginali verecundia, a se impetrare potuisse, ut libidinosum simul describeret, et ad illas probrorum minutias descenderet; cum tamen, cum ita sibi imperaverit, et modestiam animi veluti vicerit, hoc singulari fecisse consilio, ut scilicet in illum turpissimum imperatorem omnes iræ et indignationis habenas effunderet. Quod denique Alcibiadem satiræ inseruerit, ad moderatorem imperitum et flagitiosum generatim designandum, abusum videri nominis clarissimi dotibus et rebus pace belloque gestis præclari; sin vero Neronem spectaverit, usum huius nominis apparere tamquam necessitate iniectum, aptumque ad imperantis iuventutem et imperitiam, quæ duo sunt momenta præcipua reprehensionis, denotanda. Quin ipsam compositionem nominum: Nero-Alcibiades vel Alcibiades-Nero satiricam videri. Cum obiiceretur, Socratem tum pro Seneca dictum fuisse, si Alcibiades pro Nerone, idque Persio vix in mentem venisse, Meisterus respondit, Senecam quidem esse Socratem, eadem nimirum ratione, qua Nero esset Alcibiades; Senecam hoc orationis nexu non laudatum, sed satirico sale aspersum.

Censor commentationis Meisterianæ *) satiram ad Neronem referendam negat. Persium, inquit, pro more suo præcipuum tractationis momentum, quod nimirum homines sua vitia negligant, eaque aliorum

*) Ien. Allg. Lit. Zeit. 1807. n. 218.

reprehensione tegant, haud obscure proposuisse, et ad illud ceteras partes satiræ bene conspirare. Occasionem illi singulas satiras scribendi specialem fuisse, sive oblatam rebus externis, ut in satira secunda, quinta et sexta, sive ab ipso inventam, ut in prima, tertia et quarta. Rigorem quidem philosophiæ Stoicæ, in qua a prima adolescentia edoctus erat, ingenii ipsius facilitate et studio poetico mitigatum, huius autem disciplinæ, sensui, quo erat, veri et moribus integris appositæ, vestigia apparere in satiris, quæ sententiarum philosophicarum plenæ, formam didacticam, fere systematicam, servarunt. Illud philosophicum, cui addictus erat, systema, illam generalem et idealem rerum faciem in satiris spectandi consuetudinem, ad ea, quæ loci sunt et temporis, numquam descendentem, illamque abstinentiam, qua, licet genere et opibus conspicuus, publica munera effugit, illa coniunctim sumpta satis ostendere, quod vitam egerit tranquillam et compositam, et tali fuerit ingenio, ut sorte sua contentus, velut e fastigio res extra se despiceret, nec casibus et agitationibus hominum se admisceri sineret, talique humanitate, ut vitia quidem flagranti odio, non vero homines, prosequeretur. Si obiiciatur, quod Persius in prima satira poesin sui temporis corruptam tractaverit, Censor monet tenendum, poesin ad res ideales pertinere. Ceterum ipsam argumentationis Meisterianæ nimiam sollertiam, qua omnia et singula momenta mirum in modum, sed argutius quam concinnius, ad rem firmandam conspirare fecit, hypo-

thesin satis refellere. Fatendum tamen, novam lucem hac commentatione affusam esse versibus 21. 22. 49. locis Persii difficillimis.

Ad hæc conferantur, quæ scriptor commentationis monuit de charactere Persii satirico: Letzte Studien p. 67 sq.

Alius commentationis Censor,*) quem Meisterus cel. Heynium suspicit: (Ueber A. Persius Flaccus, Lips. 1810. p. 70.) satiram quartam, ait, ab illo ingeniose adeo connexam esse, ut tota ad Neronem referatur, quo nexu perplexæ partes plerumque explicantur; unum et alterum locum hac quidem explicatione obscuriorem fieri, v. c. *cantare ocima* vs. 22. ubi nil nisi ornatum poeticum venditricis pannuciæ videri; pleraque tamen ad Neronis vanitatem, sui ignorantiam, socordiam et foedam inde natam libidinem vera et Oedipo digna coniectura referri; Neronem sese, ut melior appareat, cum sordido sene comparantem, in sequentibus turpissimæ libidini deditum exhiberi; scitam esse interpretationem vs. 37. qua comam vel potius barbam Neronis pectine compositam fuisse, figura ænea probatur, item vs. 47. ubi nummus sistitur, Neronem simul et Agrippinam exhibens, quo *viso* certe *palluit* improbus; nec minori cum ingenio et veri specie vs. 49. ad flagellationem veterum referri, *putealis* tropice sumpto.

*) Goetting. gel. Anz. 1807. St. 97.

In diiudicando libello: Letzte Studien, in quo Meisterus satiram quartam in Neronem dictam plenius defendit, Censor alius *) ad huius sententiam accessit.

Censor Ienensis **) fatetur, difficultates nonnullas interpretationi Meisterianæ obiectas, quod scilicet Nero vivente Persio tanta nondum dignus esset reprehensione, et quod Persius liberalior esset, quam ut stilo Iuvenali idoneo hunc vel illum tangeret &c. omnino remotas esse a scriptore libelli: Letzte Studien, sed novas obiicit: Non fieri posse, ut aliquis ad nomen Alcibiadis, demagogi reipublicæ liberæ, cogitet de Nerone, tyranno monarchiæ; Alcibiadem modo personam esse, qua illustratur locus ille communis, homines plerumque ignorantia sui res aggredi, quibus sint impares, aliena eos vitia carpere, sua negligere; Persium vero hanc sumpsisse personam, quod ævi sui mores non satis nosceret, et disciplina Stoica plus quam usu rerum edoctus satiras scriberet; sententiam illam communem vs. 1–22. efferri et exemplo illustrari; eam veram esse, aliis ostendi exemplis inde a vs. 23. quo nova satiræ pars incipit, ad personam ab initio descriptam minime referenda; quod cum Meisterum fugerit, aberrationis illi a scopo satiræ fuisse occasionem.

Webero, novissimo Persii interpreti (Lips. 1826.) Meisterus videtur satiram 4. tantis doctrinæ copiis,

*) Goetting. gel. Anz. 1814. St. 2.

**) Allg. Lit. Zeit. 1822. n. 198.

tantoque ingenii acumine Neroni accommodasse, ut tota eius argumentatio ab altera parte permire alliciat, ab altera suspecta videatur, ut si quis aperte falsa intentis viribus defendat. Eorum, quibus illum in singulis refutare conatus est, hæc sunt maxima: Vs. 8. poctam de turbulenta plebeculæ seditione, elata manu compescenda, loqui, non vero constare, Neronem in eiusmodi concione umquam verba fecisse. Quæ verba si præter Alcibiadem alios quoque pungant, iuvenes Romanos intelligendos, qui populum cum superbia quadam allocuturi, tamquam eloquentia sua confisi, manum porrigerent, sed quid iustum iniustumque esset, penitus ignorarent. Vs. 14-16. Cum Nero corpore maculoso et foedo erat, Sueton. 51. non posse illa *summa nequidquam pelle decorus*, quod quidem *decorus* postulat, verbotenus explicari; Meisterum ea ad velamenta referentem, quæ Nero flagitiis et sceleribus fere usque ad annum u. c. 811. quæsiverat, non animadvertisse verba *ante diem*, quæ h. l. magni sunt momenti. Iis significari idem, quod supra *ante pilos*. Cæsarem autem, cum dominatum anno 808. u. c. septendecim annos natus occupaverat, primum et vicesimum egisse annum 811 vel 812. et quod excedit, quo temporis spatio scelera eius in publicum exierant. Illam eius ætatem non immaturam fuisse ad imperium tenendum; nec Persium, nisi insanum, a Nerone postulare potuisse, ut, cum iam per tempus aliquod regnasset, populo blandiri desineret. Ceterum verba *ante diem*, interpretatione Meisteri accepta, sententiæ re-

liquorum verborum haud bene accommodari posse. Vs. 17–22. Meisterum verbis *haud aliud respondeat hæc anus* interrogandi signum apponere, ut significent „haud aliud? nec peius quidquam respondeat muliercula? illam tamen nihil respondere, etsi opus esset, ut responderet; eum fingere, poetam ex ipso mulieris vultu cognoscere responsionem, ut tum per sannam aut mussitationem „I nunc“ triumphans exclamet. Venisse eum in hanc sententiam, quia ieiunum consilium existimabat, cum mulierciula fori herbarii de finibus bonorum et malorum disputandi. Nullum vero eiusmodi disputationis vestigium hic deprehendi. Poetam dicere: „In cognoscendo summo bono tu, Alcibiades, non differs ab anicula herbaria; sicuti tu fines bonorum in iucunde vivendo ponis, ita etiam illa. Etenim interrogata, quod eius sit vitæ propositum, nihil respondebit, nisi se lucrum spectare, inde ut vitam sibi suavem comparet. Vides igitur, quam similis illius hac in re ad rempublicam administrandam accesseris. I nunc, intumesce, gloriare quantumvis de generis tui claritate, iacta, quam formosus sis, nihil te iuvat. Equidem facile tibi hoc concedam, dummodo fatearis, Baucin pannosam, herbarum venditricem, non minus quam te sapere, i. e. non minori quam te sapientia præditam esse, cum venalia ocyma tarde transeunti servo celebraverit.“ Optimam esse in his cogitationum cohærentiam, quam Meisterus discordem et pessimam appellat. Eius interpretationem verborum *Dinomaches ego sum — Sum candidus* maxime contor-

tam esse. Ellipsin, quam malitiosam dicit, vulgarem esse et nihil habere quæsiti. Sumas hæc ad Neronem spectare, tamen „filius“ tantum suppleri iam ea de caussa posse, quod *Dinomaches ego sum* ad Alcibiadem proprie pertinent. Amatorem simul tum suppleri licere, si Alcibiadem etiam cum matre sua rem habuisse constaret. Quod cum notum non sit, nec admitti posse alteram Meisteri ellipsin, ideoque non solum præcipuam eius disputationis partem concidere, sed etiam actum esse de concinniore, quam assequi volebat, sententiarum coniunctione, qua ita interpretatur: „*Esto*, te simul amatorem Agrippinæ fuisse, *Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis*, hoc est manifesto, dum ne res multo peiores de te redoleant vetulæ huic!“ Eum rursus in angustias redigi verbis *sum candidus* Neroni accommodandis, cum interpretatur: „Si filius: formosus et ipse sum, quippe ex muliere formosissima natus.“ Subitam esse illam Neronis formositatem, nec aliquid felicius Meistero accidere potuisse, quam ut Nero, qui foedissimo erat corpore, matre uteretur formosissima, et ipse se idcirco pulchrum nominare posset.*) Hac-

*) „Sed ut cogitationum series,“ ita Weber pergit, „quod eam ellipsi, quæ nullo modo constitui potest, producit, improbanda est, sic quoque ea tollitur, quod verbo *sapere* significationem, quæ non inest, subiecit. *Sapere* enim non est „redolere,“ „scire,“ sed „sapientem esse;“ *deterius* i. e. „minus,“ ut apud Hor. Sat. 1, 10, 90. si placeant spe Deterius nostra. Vid. Heindorf. ad h. l. Quod cum verum sit, etiam explicatio verborum *ocyma*

tenus de Alcibiade, sive, ut Meistero placet, de Nerone dictum esse. Eum tamen illius vituperationem longius produxisse, et hæc, quæ in universum dicta sunt, satis artificiose et subtiliter in Neronem transtulisse. Vs. 24. sensum verbo *præcedenti* subiectum, quo Neronis antecessorem, Claudium Cæsarem, et calumnias ab illo in hunc multis modis coniectas intelligat, minime ferendum, hoc præsersim loco, ubi Persius ad Phædri fabulam aperte respexit. Nec deinde verbis *Nostin' Vectidi prædia .. Dives arat Curibus* &c.

---

et *bene discincto* falsa nominari debet. Nam cum verba *dum ne deterius sapiat* interpretetur: dum ne peiores res redoleant, i. e. te libidinibus enervatum esse, *ocyma* significare contendit herbam hortensem, odoratam, *το λεγομενον βασιλικον*, quod auctore Plinio H. N. 12, 12. venerem stimulet, et *bene discinctum vernam* dicit esse, qui dissolutus quoque Neroni in intimis cubiculi recessibus ministret. Ocymum autem, ut h. l. scribendum est, pabuli genus erat (vid. Plin. 18, 16.) et *bene discinctus* i. e. valde discinctus, qui negligenter, otiose, tarde incedit. Censor Donneri versionis germ. Ienensis *discinctum* interpretatur vernam celeriter transeuntem, ideoque negligenter cinctum, quæ tamen vis verbo non inest, cum id opponatur v. „succinctus„ i. e. strenuus, industrius, ad opus paratus. Vid. Servium ad Æn. 1, 214. Quamquam mulier herbaria (hæc est verborum sententia) vernam in via negligenter ambulantem, ad negotia non expeditum, ideoque ad emendum non accedentem i. e. non succinctum animadvertit, tamen ei herbas suas, tamquam empturienti, clara voce commendat, ad quod nimirum sola lucri cupiditate ducitur." De vocibus *discincto* et *ocima* vid. quæ ante dicta sunt p. 327. 328.

imperatorem Romanum aliquem intellecturum. Ipsum huius interpretationis auctorem difficultatem bene sensisse, at mutato nomine, quo Claudius magis insigniretur, fictionem, non Persio sed pusillo satirographo dignam, intulisse. Sordidam illam avaritiam, quæ Vectidio tribuitur, non convenire Claudio. Persium vero, si istam maculam defuncto Cæsari ironice aspersisset, hoc insulse admodum fecisse, et Claudii irrisoribus in calumniis inveniendis multo inficetiorem fuisse. Foeditates, quæ vs. 35–37. describuntur, non modo in Neronem quadrare, sed omnino illorum temporum turpitudini convenire. Nullam esse, quæ non eadem de aliis apud satiricos scriptores, Martialem, Petronium aliosque, inveniatur. Neronem imberbem fuisse et sic in omnibus iconibus ostendi, quare si calamistratus h. l. ut Meisterus vult, et in „aliqua" genæ parte prominentibus cirris obductus intelligatur, acerbitatem et sales verborum misere perire. Vs. 46. *Egregium . . credam?* Hæc in Neronem quadrare putandum esse, nisi *vicinia* ad senatum, optimates, amicos, tutores significandos nimium vulgare verbum videretur. Cf. Hor. Sat. 1, 5, 106. Ep. 1, 16, 44. Vs. 47. *Viso si palles, improbe, nummo*: Meisterianam explicationem nimis subtilem, non tamen improbandam, si tale quid additum esset, quo nummi illi propius insignirentur, v. c. „turpi," vel „libidinoso nummo." Talem admonitionem, etiamsi nummos cum Agrippinæ imagine omnes ante oculos habuissent, nequaquum supervacaneam esse æqualibus, qui linguæ usum novis-

sent, quique ex eo neminem, nisi avarum, his verbis descriptum, intelligere possent. Cf. 3, 109. 111. Vs. 49. *Si puteal* &c. obscenam Meisteri interpretationem ideirco probari non posse, quod glossa apud Brissonium, in qua summa demonstrationis nitatur, vehementer distorta ab eo sit, et alium plane, atque ipse velit, sensum prodat,*) quodque repetitum si postulet, ut aliud vitium, a libidine antecedenti versu descripta diversum, hoc versu indicetur.

---

*) Verba Meisteri hæc sunt: „Petronius in Satyrico c. 36. „Notavimus," inquit, „circa angulos repositorii Marsyas quatuor, ex quorum utriculis garum piperatum currebat super pisces, qui in Euripo natabant." Sigilla hæc ita fingebantur, ut ex eorum rostris vel etiam verendis aqua flueret. Unde et Cl. Wouweren pro „utriculis" mavult: „veretillis" aut „verectriculis." Ad hunc locum disertis verbis Glossarium adnotavit: „Marsyæ, personæ, seu sigilla, ex quorum rostris, aut alia corporis parte, aqua salire solet, varie efficta. In fontibus ac puteis „Putealia" appellantur." Ipse quidem non inspexi vetus hoc Glossarium: locum vero integrum descripsi ex fidissimo monimento, ex Barn. Brissonii immortali opere de Verb. Signif. s. v. „puteal," ed. Heinecciana."

SATIRA V.

Inscribitur in codicibus quibusdam: „Ad magistrum suum Cornutum," in aliis: „Ad Annæum Cornutum, cuius fuit auditor." De hoc Vita Persii antiqua: „Cum esset annorum XVI. amicitia coepit uti Annæi Cornuti, ita ut ab eo nusquam discederet, a quo inductus aliquatenus in philosophiam est;" et Dio Cassius 62, 29.*) Cum Casaubonus multa de hoc falsa et inepta a Suida dicit relata, et tirones monet, ut huic scriptori fidem habere caveant, hos remitto ad locum cit. Dionis, ed. Reimari, ad quem verba Suidæ, librariorum mendis exemta, ita exhibentur: *Κορνουτος, Λεπτιτης φιλοσοφος (ἡ δε Λεπτις πολις Λιβυης) γεγονως ἐν Ρωμῃ ἐπι Νερωνος, και προς ἀντα ἀναιρηθεις συν τῳ Μασωνιῳ, ἐγραψε δε πολλα φιλοσοφικα τε και ῥητορικα.* Consultus

*) „Cogitabat Nero omnes res gestas Romanorum versibus describere, et de numero librorum ante, quam quidquam eorum composuisset, secum dispiciebat. Qua in re præter ceteros adhibebat Annæum Cornutum, virum illis temporibus eruditione clarissimum (*ἐνδοκιμεντα τοτε γε ἐπι παιδειᾳ*) quem tamen parum abfuit quin interfici iusserit, in insulam certe deportari iussit propterea, quod nonnullis existimantibus, quadringentos libros a Nerone scribi oportere, nimis multos fore tot libros, et neminem eos lecturum diceret. Cumque alius quidam obiiceret: Atqui Chrysippus, quem tu laudas et imitaris, multo plures composuit, illos utiles esse vitæ hominum respondit. Huius rei caussa Cornutus exsilio multatus est."

videtur a Nerone in historia conscribenda, non quidem ut historicus, nemo enim veterum ei historica tribuit, sed ut rhetor, stili et humanitatis peritissimus. Librorum, quibus in philosophia inclaruit, unus modo superesse creditur, scilicet Phurnuti seu Cornuti de Natura Deorum commentarius Græcus, cum versione Latina Conr. Clauseri editus Basileæ 1543. 8. Idemne hic, an alius fuerit Annæus ille Cornutus, Grammaticus nobilis, qui commentaria in Virgilium composuerit, Gell. N. A. 2, 6. 9, 10. Macrob. Saturn. 5, 19. incertum est. Eum scholia in Persium, quæ nomen eius præferunt, illa certe forma, qua hodie feruntur, non scripsisse, admodum est probabile.

Cornutum præceptorem a Persio optime meritum fuisse, magna satiræ pars testatur, in qua gratissimum erga eum animum declarat, ita tamen, ut a satirica tumoris poetici sui temporis reprehensione non abstineat. Altera pars dogma tractat Stoicum, sapientem solum liberum esse, de quo etiam Cicero Paradox. 5. Horatius Sat. 2, 7, 83. &c.

1. 2. Præivit poetis Homerus, qui numerum militum Danaorum ne inire quidem audeat, si δεκα γλωσσαι, δεκα στοματα, φωνη ἀρρηκτος et χαλκεον ἠτορ ipsi inessent, nisi cælestes Musæ commemorent. Il. 2, 488. Virgilium et Ovidium imitatores produnt loca Æn. 6, 624. „Non mihi, si linguæ centum sint, oraque centum, Ferrea vox“ &c. et Metam. 8, 533. „Non mihi, si centum Deus ora sonantia linguis . . dedisset“ &c.

Centum modo dicunt pro „decem.“ Gaudent nimirum Romani poetæ numero centenario, quando rei alicuius vim et præstantiam aliquo in genere significare volunt.*) Cod. Haun. septimus et Parisinus apud Weberum: „carmine.“

3. *Ponere* pro „elaborare“ dictum vidimus 1, 70. *Hianda,* magno spiritu et grandi hiatu pronuntianda. De tragoedia item Iuvenalis 6, 636. „Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu.“ Spectat tragoedos δεινον βλεποντας και μεγα πεχηνοτας (Lucian. in Nigrino) quique, ut cor spectantis tangerent, „ampullas et sesquipedalia verba proiiciebant.“ Hor. A. P. 97. De participiorum, qualia sunt *hianda* et v. 9. *cenanda*, passive significantium origine diversas Grammaticorum sententias vide apud Ruddimannum, Inst. Gram. Lat. I, p. 300. ed. Stallb. et quod ad tempus, cuius sunt nullius, attinet, v. Priscian. Putsch. c. 927.

*) Ita Virg. Æn. 1, 299. Furor, bellis positis, sæva sedens super arma, et *centum* vinctus ænis post tergum nodis, fremit; v. 420. Veneri *centum* Sabæo ture calent aræ; v. 638. Dido sociis Æneæ magnorum horrentia *centum* terga suum, pingues *centum* cum matribus agnos, munera lætitiamque Dei mittit, et quæ sunt centum alia Virgiliana loca. cf. Ovid. Am. 2, 1, 12. Metam. 3, 303. Hor. Od. 4, 1, 15. Nec Græcis illam loquendi rationem insolitam fuisse, ostendunt ἑκατομβη, ἑκατομπελος &c. Hinc Iulianus imperator in epistola ad Serapionem centenarium numerum reliquis præstabiliorem esse, et perfectionem quandam numerorum circumscribere contendit.

4. „Sive bellum Neronis auspiciis cum Parthis gestum describitur.“ Vix ullam Romanis infestam gentem sæpius commemorant poetæ, v. c. Virg. Georg. 3, 31. Hor. Od. 1, 19, 11. 2, 13, 17. Sat. 2, 1, 15. 2, 5, 62. Ovid. A. A. 1, 209. &c. Arcu plurimum valuerunt Parthi, quo vel fugientes hostibus multum detrimenti afferebant. *Vulnera* passive sumenda, ut Hor. Sat. 2, 1, 15. bene observavit Koenig. *Inguen* pro „latere“ dictum, ut Virg. Æn. 10, 589. Si proprium aliquod Parthorum Persius significaverit, quod res locusque non poscere videtur, hoc forsan erit, quod illa gens tela a latere iaceret, cum Romani ab aure iacularentur. Virg. Æn. 9, 417. et Serv. ad h. l. Vix tamen *ducere* pro „iacere“ dicendum.

5-18. Persius, qui, ut nebulosos poetas risui exponat, eos imitari coepit, iam a Cornuto se interpellari et inanis tumoris increpari fingit.

5. 6. „Quem in finem hæc? aut quantos verborum tumores ad carmen grandiloquum canendum tibi petis, ut necesse sit, te centeno gutture adiuvari?“ „Nigram in facie tumidis livoribus *offam*“ dixit Iuvenalis 16, 11.

7-9. *Nebulas*, sublimes nugas. *Si quibus* pro: si qui sunt, quibus tragoediæ *Procnes* (Hygin. Fab. 45. Ovid. Metam. 6, 455. Apollod. 3, 14, 8. Servius ad Virg. Ecl. 6, 78.) et *Thyestæ* (Hyg. F. 88. Pausan. 2, 18. Senec. Thyest. 1035.) scribendæ sint. *Procne*,

Græcorum *Πρόκνη*; legitur etiam „Prochne“ et „Progne“ (ita codd. Haun. septimus et Husumensis) sed minus recte, vid. K. L. Schneider, Elementarlehre p. 205. 238. 273. *Olla, fervebit* (cod. Wimar. Weberi „fervebat“) et *cenanda* ad argumentum fabulæ referenda. Cenanda sine oe scribendum; vid. v. 147. „*Glycon*, tragoedus, aliis pantomimus, populo mire placuit, et ideo a Nerone manumissus est, datis Virgilio tragoedo, domino eius, pro parte dimidia, quam possidebat, sestertiorum trecentis millibus. Hic fuit staturæ longæ, fusci corporis, labio inferiori demisso, antequam subornaretur, deformis, nescius iocari; propter quod eum *insulsum* Persius dixit.“ Vet. Schol. Codex Pithoei L. lectionem exhibet: „sæpe inviso cenanda Cycloni,“ et glossæ loco adiectum: „deformi;“ at *insulso* Haunienses omnes præter tertium, qui lapsu scribentis legit „insulco.“ Codd. Husumensis et Parisinus: „Gliconi.“ „Scholiastes, cuius notæ in codice Parisino scriptæ inveniuntur, animadvertit ad h. l. „Hic Glicon tragoedus fuit Neronis temporibus, qui sæpe scenam Thyestæ suis inserebat tragoediis.“ Hinc *insulso* explicandum est.“ Weber. Casaubonus ex hoc loco disci observavit, fabulas, quæ semel populo placuerant, sæpius reponi et *ἀναδιδάσκεσθαι* solitas, quod et scriptores alii Græci et Latini testantur.

10. „Tu neque in opere perficiendo æstuas et concepto vento tumes, anhelanti similis folli, dum metalla liquefiant.“ Ita Horatius: „At tu conclusas hircinis follibus auras, Usque laborantes, dum ferrum molliat

ignis, Ut mavis, imitare." Sat. 1, 4, 19. ubi Acron laudat hunc Persii locum. Ad verba: *coquitur dum .. premis* cf. Heindorf. ad Hor. Sat. 1, 5, 72.

11. 12. „Nec rauco murmure, cornicis instar, tecum inepto more loqueris, nescio quas res grandes animo volutans." Koenig. Horatius describit poetam eius generis, qui, „dum sublimes versus ructatur, et errat, decidit in puteum foveamve." A. P. 457. *Raucus* pro inculto, absono ponitur, ut Ovid. Metam. 5, 678. Verbum *cornicari*, vix alibi apud classicos obveniens, analogum est Græco κρωζειν, quod in Pluto Aristophanis de Blepsidemo dicitur, qui sursum et deorsum vertit orationem, dum studet furti confessionem elicere, nimirum ut conscius in prædæ partem veniat.

13. *Nec stloppo tumidas* &c. „Neque talia scribis, quæ ventosis et inanibus verbis inflata sint, sed quæ æqualitate sua sint robusta et pinguia. Stlopo dixit μεταφορικως a ludentibus pueris, qui buccas inflatas subito aperiunt, et totum simul flatum cum sonitu fundunt." Vet. Schol. Varie legitur: stlopo, stloppo, scloppo, sclopo. Haunienses: stlopo (alterum p. superscriptum) 1. scloppo 2 5. 6. sclopo 3. cum Husumensi, stoplo 4. Casaubonus in omnibus antiquis membranis *stloppo* scriptum invenit, sed Priscianus, quem ad lectionem confirmandam allegavit, scripsit „stlopus." vid. Putsch. c. 565. Ita et cod. Tigurinus, cf. Vossii Etym. ad. v. stloppus. Ceterum hoc vocabulum ex antiqua Latinitate desumptum est, ut alia similiter inci-

pientia: stlocus, stlotum, stlites, Quinct. Inst. Or. 1, 4, 16. stlata, stlembus, stlentus, Fest. ad h. v.

14-16. *Verba togæ*, communia, paci convenientia, tumidis tragicorum eius temporis bellorum descriptionibus contraria. *Iunctura acri*, concinna compositione. *Ore modico*, temperato stili genere. Hæc cum arrogantius dicta sint, et vana illa de se et suis persuasio modestiæ Persii, 1, 45. significatæ, minime conuenire videatur, Censor Ienensis (A. L. Z. 1822. N. 198.) pro *sequeris* „sequere" proposuit legendum, cæsura ictuque *e* breve productum satis excusantibus, coll. Tibull. 1, 7, 61. ubi nullo opus fuisset *e* ante „magna" &c. Existimat scriptum a Persio „sequere," quam terminationem brevem librariis occasionem fuisse corruptionis. Verum illa emendatio ne unius quidem codicis auctoritate commendatur. Nec laus illa Persio tributa, quod scilicet utatur vulgaribus verbis, curata iunctura et temperato stilo, tanta est, ut ea nimium sibi arrogasse videatur, cum ei tributa sit verbis, forsan ipsissimis, Cornuti, magistri æstimatissimi, et quæ laudantur opposita sint orationi huius ævi tumidæ et verbis sesquipedalibus. Modestius etiam videbitur elogium, si pro „teres," lectione membranæ Bongarsii a Casaubono adscita, textui restituatur antiqua *teris*, recepta codd. Hauniensibus omnibus, item Husum. Uratisl. Luneb. Tigur. Paris. præter unum omnibus, editionibus: Murmellianæ, Cantabrig. &c. *Terere* hoc loco ad præcedentia: *verba togæ* referendum, sensu Latinis satis noto: uti, consuetudine re-

cipere, usu frequentare. Ita Cicero: „Hoc verbum satis hesterno sermone trivimus.“ Ac. Quæst. 4, 6. coll. de Fin. 3, 4. Martial. 8, 3, 4. 11, 1, 4. *Pallentes mores:* Metonymia effectus, cum mores vitiosi hominem faciunt pallescere, et pallor malæ mentis est indicium. Notio palloris et pallendi, Persio frequentissima, ita sensu morali sumitur 1, 26. 3, 43. 4, 47. *Doctus* ut *callidus* v. 14. cum infinitivo, cf. Hor. Od. 3, 6, 38. 4, 13, 7. *Radere*, notare, perstringere. Legitur et „rodere“ apud Pithoeum, et „rumpere“ cod. Haun. 1. sed recepta lectio iam 1, 107. reperitur, et ad codicem, qui legit „rodere,“ Pithoeus, eum olim habuisse *radere*, notavit. *Culpam defigere*, tamquam aculeo tangere satiricis reprehensionibus, Heinsius ad Ovid. Heroid. 6, 91. — sed *ingenuo ludo*, salibus iocisque urbanis.

17. 18. Ex sermone illo populari deprome scribendi argumentum, et omitte stilum tragoediæ, qualis fuit illa Mycenis gesta, ubi Atreus Thyestæ fratri, ob adulterium cum uxore sua commissum infensus, filios eius, obsides sibi datos, ad aram immolavit et patri apposuit vescendos, eorumque vino commistum cruorem bibendum; quo finito convivio *capita* et *pedes* filiorum patri apportavit, ut cognosceret, quibus nefandis epulis esset delectatus. Vide Thyesten Senecæ. *Mensas* simpliciter dixit, ad *ollam Thyestæ* v. 8. referendas; cf. Ovid. Metam. 15, 462. et Martial. 10, 35, 6. quæ loca cum „mensas“ et „prandia Thyestæ“ habeant, tanto minus opus erat emendatione Reizii „men-

sam," a Koenigio recepta. Codd. etiam Haun. quinque cum Norimb. Tig. et Parisiensibus, item Winar. apud Weberum legunt *mensas*. Tragicis his epulis contraria ponuntur *plebeia prandia*, res ad mores populi et communem vitam spectantes. „Securos et sine sceleribus plebeios cibos, i. e. satiram, aut ἀλληγορικώς: mediocritatem sectare." Vet. Schol.

Persius respondet, se hoc non agere, ut centum ora et linguas nactus, turgidos poetas imitetur, sed ut sufficiat, Cornuti erga se meritis pio animo prædicandis.

19. Cod. Haun. 1. omittit *hoc;* pro *hoc* Tig. „hic." Husumensis et Chemnic. „hæc." *Nugas* cum iocantur poetæ appellant suas argutias. Martial. 9, 1, 5. *Pullatis nugis.* Ita codd. Haun. 1. 2. 4. 6. 7. item Dresd. et Pithoean. plerique Casauboni et Achaintrii cum Chemnic. apud Weberum et vet. Schol. „*Pullatæ nugæ*, quæ pullati et vilis popelli iudicio sint probandæ. Nam pullati apud Plinium, Suetonium atque alios vocantur ὁ χυδαῖος ὄχλος. Nec male vetus interpres, quisquis ille fuit, de tragicis argumentis interpretatur ex iis, quæ præcedunt; semper enim in tragoediis reges pullati, hoc est: moesti et aliquo ingenti casu tristes inducuntur. In veteri Bongarsii expositum invenimus: nigris mendaciis." Casaub. Ceterum hæc potissimum observanda: Codex L. exemplar Pithoei præstantissimum, habet *pullatis* et adscriptum pro glossa manu recentiore: „togatis," vid. Pithoei Var. Lect. Diximus, ita quoque legere plerosque Parisienses (Achaintrii) quo

unus etiam referendus, qui habet „pallatis.“ Schol. vetus hunc in modum interpretatur: „Pullatas nugas tragoediarum ait propter tristes fabulas, et quod maxime pulla veste, i. e. lugubri, tragoedi utebantur. Legitur et „bullatis,“ i. e. ornatis.“ Haunienses item codd. 3 et 5. legunt „bullatis.“ De hac lectione Marcilius: „Bullatæ nugæ non, ut aliqui suspicati, nugæ pueriles, sed sufflatæ, ut tragicæ et epicæ; et bull. nugæ non verba tantum sufflata, sed et sententiæ. Sic ampullæ Horatio ad Pison. (97.) Cava verba et in modum vesicarum tumentia. Hieron. Epist. 6.“ *) Et Weber: „bullatis.“ Hoc aptius, quam *pullatis*, quod Achaintrius, codd. suorum vestigia nimia cum cura premens, recepit, quodque librario vel scribendo erranti, vel doctrinam ostentanti originem debet. Respondet poeta Cornuto, recte ipsum habere, quod non putet, se turgida et inani oratione uti; se enim nolle coram vulgo loqui, sed cum præceptore suo, quocum candide et sincere loquatur, cuique animum explorandum examinandumque tradat.“ **)

*) In hunc sensum Horatius item A. P. 322. „versus inopes rerum, nugæque canoræ.“

**) Ad bullas forium (umbellata clavorum capita, quibus ditiorum fores exornabantur) nonnulli lectionis huius patroni Persium respexisse volunt; qua interpretatione merito repudiata, Casp. Sagittarius eum potius „aquarum bullas“ spectavisse existimat, levissimo spiritu turgidas, cum præsertim easdem *fumo* iungat, „quæ duæ res tam cito dispereunt, quam quod maxime, licet magnum aliquod minari videantur.“ de Ianuis Veterum c. 25.

20. *Dare pondus idonea fumo*, olim ita expositum: „quæ sit digna incendio," Turnebus recte dicit paginam et carmen, quo fumus resque leves et nugatoriæ verbis amplis et tumentibus dignitatem et pondus assequantur, i. e. carmen grave magnique ponderis de re levi. Advers. 20, 1. Eadem phrasis Horatii: „Nugis addere pondus." Ep. 1, 19, 42.

21. *Secreti loquimur*, sine arbitris, adeoque non ad ostentationem. Cod. Haun. quartus: „secreto." *Hortante Camena*, castæ mentis præside.

22. 23. *Quantaque .. animæ.* Aptissimam hanc intimæ amicitiæ imaginem Zeno, auctor sectæ, cui ambo addicti erant amici, cum interrogaretur, quis amicus esset, ita respondens expressit: „Alter ego." Diog. Laërt. 7, 23. Aristoteles similiter interrogatus respondit: „Anima in duobus corporibus habitans." Quocum facit Minucius Felix in Octavio: Crederes unam mentem in duobus fuisse divisam." Codd. Haun. 2. 3. 5. 6. „pars tibi."

24. *Pulsa*, ut fit in fictilibus, cf. 3, 21. Ut vasa dignoscuntur crepitu, quem reddunt digito pulsata, ita animus hominis ex oratione spectatur.

25. *Pictæ tectoria linguæ.* De hoc I. G. Græ-vius ad Nic. Heinsium: „Cum hodie scholam haberem de tectoriis veterum, et hunc quoque locum Persii exponerem, succurrebat mihi, scribendum: „fictæ tect. linguæ." Ficta lingua et ficti homines qui dicun-

tur Latinis, Tu non es docendus. Quid autem *picta lingua* sibi vellet, non exputabam. Sed quoniam *tectoria* Persius usurpaverat, eis quoque pictam linguam convenire crediderunt interpolatores.“ Syll. Epist. a P. Burmanno ed. T. 4. p. 298. Verum cum codices ad unum omnes taceant, *pictæ* pro „fictæ“ interpolatum cum eruditissimo viro dicere non ausim. Ut *tectorium* ab ædificiis translatum, ita *pictæ linguæ* a tectorio, metaphora pro more Persii minus curate adscita. Nec ipse transitus ab una ad alteram metaphoram hoc in loco caret vitio. *Tectorium* Romanis illinimentum erat et quasi incrustatio parietis, quæ fiebat calce et marmore trito, hodie mortario. „Tectorium, nisi ter arenato et bis marmorato inductum est, non satis splendoris habet.“ Plin. H. N. 36, 25. Conf. Vitruv. 2, 4. 5. 7, 2–6. et Winckelmanns Werke, herausg. von C. L. Fernow. B. 1. p. 365. 446. Quoniam illa incrustatione, picta et imaginibus discreta, parietum aspera tegenda essent, metaphora non quidem inepta est; quin aptior videretur, si tectoriis veterum eadem, quæ nostris, fuisset fucosa fragilitas. Illa vero soliditate firmissima fuisse, testantur, quæ ætatem tulerunt, monumenta, et in his præcipue domus effossæ Herculanenses et Pompeianæ, quarum tectoria serro excisa vidimus illæsa. Apud Græcos tectoriorum tanta fuit crassitudo, ut crustis ex veteribus parietibus excisis pro abacis uterentur. Vitruv. 7, 3. In *tect.* 1. subaudiri opera, observatio est Sanctii in Minerva (ed. Scheidii p. 774) qui loca citat Vitruvii 2, 8. „Parietes ita tec-

toriis operibus expoliti," et Varr. R. R. 2. „Villa polita opere tectoris eleganter," item inscriptionem lapidis Salernitani: „Pavimenta marmorea, opus tectorium." Invenali *tectorium* est fucus, quem faciei inducebat femina Romana. Sat. 4, 466. Pro *tectoria* in 3 antiquissimis codd. „plectoria" scriptum invenit Casaubonus, nesciitque, an sub mendo manifestario aliquid lateret. Mendum idem utique commune est codd. pluribus, sc. Haun. quinque, Achaintrii octo, Husumensi, Wimar. et Chemnicensi; qua sub scriptione nihil existimo latere, nisi inscitiam librariorum sese invicem transscribentium. Weber ad h. l. vulgatam lectionem confirmat auctoritate Aur. Augustini, qui Persium videtur imitatus, dicens, literarum sanctarum studium rem esse sinceram et solidam, quæ nec fucatis eloquiis ambit ad animum, nec ullo linguæ tectorio inane aliquid ac pendulum crepitat.

26. „Hic" Tigur. et quinque Paris. codd. apud Achaintrium. „Hinc" Haun. unus et Paris. Weberi. *Iis:* Chemnic. et Wimar. Paris. quatuor Achaintr. cum Pithoeo et Casaubono, quos sequimur. Pro *voces* cod. Pithoei vetustissimus: „fauces."

27–29. Haun. secundus: „quantum ego te;" septimus: „quantumque mihi." Observandam vim dictionum: *fixi*, vi adegi, ut hæreat, et *sinuoso pectore*, omnibus etiam intimis animi recessibus, bene monet Casaubonus. *Voce pura*, sincera, non *pictæ tectoriis linguæ, traham*, in publicum proferam. *Quod*

latet arcana fibra, in cordis penetralibus. Codd. Haun. 5. 6. cum Paris. apud Weberum: „hæc verba.“ Haun. 2. „Quod patet.“

30–31. Beneficia iam enumerat Cornuti in se collata, suamque cum eo studiorum et voluntatis communionem.

30. „Simulac a me, pavido puero, deposita est prætexta, quæ pro custode fuit.“ Pro prætexta dixit *purpuram*, unde nomen illa toga traxit, quod in extrema ora limboque purpuram prætextam sive circumtextam haberet. Macrob. Saturn. 1, 6. Hinc Plutarcho περιπορφυρος dicitur. *Custos* prætexta erat ingenuis pueris, qui „ex purpuræ rubore ingenuitatis pudore regerentur.“ Macrob. l. c. ἡ ἱερα ἐσθης, adeo ut purpura insigniti haberentur sancti et inviolabiles. Hinc Quinctilianus Declam. 340. de puero novitio prætextato: „Atqui hic puer non tantum pro libero, sed etiam pro ingenuo est, prætextatus fuit,“ et in fine: „ipsum illud sacrum prætextatum“ dicit, quo sacerdotes velantur, quo magistratus, quo infirmitatem pueritiæ sacram facimus et inviolabilem.“ Conf. quæ Plutarchus de Auditione habet de prætexta, pudoris et metus custode. Hanc tamen de prætexta opinionem Koenig ævi modo recentioris fuisse existimat. Obiicit pæderastiam in prætextatos inprimis sub imperatoribus grassantem, et cum loca Hor. Sat. 1, 6, 81 sq. A. P. 161. Iuvenal. 10, 116. Martial. 11, 40. (quibus adde Plaut. Bacch. 3, 3, 18 sq. Virg. Æn. 5, 546. Hor.

Od. 1, 36, 8. Sat. 1, 4, 118. Stat. Theb. 12, 205. Sueton. Aug. 44.) doceant, custodes pueris deducendis et servandis præfectos fuisse, proponit legendum: *Quum primum pavido custos,* quum *purpura cessit.* Verum quamvis prætexta pueros in tanta morum petulantia non satis tueretur, inde non sequitur, ea nihil omnino effectum fuisse. Nec additis custodibus pueri satis tuti erant. Hos vel vi vel pecunia nonnumquam amovebant impudici, qui tunc in iure Romano dicebantur „abduxisse comites." Ulpian. l. 15. § 17. 18. D. h. t. Quod ad citatos scriptores attinet, Quinctilianus a Persii ætate non tantum abfuit, ut illius ævi opiniones ignoraret; et si propiorem desideras, provocamus ad Plinium maiorem, qui H. N. 9, 36. purpuram dicit „pro maiestate pueritiæ esse, Diis advocari placandis, omnemque vestem illuminare." Singularem saltim reverentiam prætextæ debuerunt ipsi, qui ea ornati erant, id quod indicant verba Iuvenalis 11, 154: „Ingenui vultus puer, ingenuique pudoris, Quales esse decet, quos ardens purpura vestit;" et Festi, cum „prætextatum sermonem" ait veteres dixisse ab eo, quod prætextatis nefas esset, obsceno verbo uti. cf. Propert. 3, 14, 5. Verum illam de prætexta opinionem *) non

*) Ad quæstionem, huius loci occasione ortam, quo ætatis anno prætexta deponeretur? conferendus Tertullianus de Velandis Virginibus c. 11. et de Anima c. 38. item Macrob. Saturn. 7, 7. et Somn. Scip. 1, 6. qui doceant, iure publico quartum decimum in puero definire pubertatis ætatem. Sanxit idem institutio Iustiniani his verbis:

merum recentiorum huius gestaminis interpretamentum fuisse, insuper ostendit versus Persii, in cuius recepta lectione membranæ et editiones omnes consentiunt.

31. Pueris, sive ante lustrationem sive post, dormientibus, quia sagas strigesque insidiari creditum, fascina eorum vel allio, vel alysso, vel Priapi iuncula appensa, vetus Romanorum superstitio abigere conabatur. Cui fascino infantili successerunt *bullæ*, ditioribus aureæ, aliis coriaceæ, pectori affixæ. Erat hæc bulla inter insignia nobilitatis puerilis, ut et prætexta, inaures aliaque. Simul cum prætexta bullam infantibus suspensam esse in collo, ita ut communiret pectus puerile, auctor est Asconius in Cic. Or. 3 Verr. „Nonnulli credunt, ingenuis pueris attributum, ut cordis figuram in bulla ante pectus annecterent, quam inspicientes ita demum se homines cogitarent, si corde

„Mares post excessum 14 annorum puberes existimentur.“ Vid. I. G. Heineccium in Antiqu. Rom. Iurisprud. ad Instit. l. 1. tit. 22, 2. a. b. qui tamen non dubitat, quin olim antiquissimis reipublicæ temporibus quinto decimo demum ætatis anno exacto puberes habiti sint adolescentes. Tunc enim eos togam virilem sumpsisse, non anno 17, ut vulgo existimant, nec anno 14, ut visum Lipsio ad Tacitum, docet Noris Cenotaph. Pisan. Diss. 2, 4. Quod vero scriptor Vitæ Persii antiquus refert, eum annorum 16. Cornuti amicitia uti coepisse, hoc, si cum nostro loco conferatur, ostendit eum, haud secus ac Augustum, Ciceronis item filium aliosque, maturiore ætate ex ephebis excessisse.

præstarent" &c. Macrob. Saturn. 1, 6. In antiquis tamen monumentis bullam non cordis figuram referre, sed orbicularem esse, testatur de la Chausse de bulla c. 2. Constat ex Plinio H. N. 33, 1. a Prisco Tarquinio omnium primo *) filium, cum in prætextæ annis occidisset hostem, bulla aurea ornatum esse, „unde mos bullæ duravit, ut eorum, qui equo meruissent, filii insigne id haberent, ceteri lorum." Quo respicit Iuvenalis: „Etruscum puero si contigit aurum, Vel nodus tantum et signum de paupere loro." Sat. 5, 164. Idem bullæ mentionem facit 13, 33. 14, 5. Cum bullam auream ingenui pueri ornamenti loco gererent, inopiæ indicium habebatur, quod pupillus Iunius „sine bulla" in iudicium veniret. Cic. Or. 2. Verr. 58. Solebant virilem togam sumentes *Laribus* bullam consecrare, ut gladiatores gladios, pugiles cestus, servi catenas, nautæ naufraga navigia. **) Deposita prætexta et bulla La-

*) Notandum tamen, quod a Macrobio loco nuper allato proditum est, etiam Hersiliæ filium, adhuc infantulum, ab ipso Romulo gestamine eo fuisse decoratum. Spoponderat scilicet Romulus, cum Sabinas raptas consolatum venisset, se illius infanti, quæ prima sibi civem Romanum esset enixa, illustre munus daturum. In muneribus, quibus a Pompeia, Sexti Pompeii sorore, in Sicilia donatus est puer Tiberius, erant bullæ aureæ, quæ tempore Suetonii durabant et ostendebantur Baiis. Suet. Tib. 6.

**) Virgines nupturas puppas suas Veneri dicasse, vidimus 3, 70. Et qui erepti fuerant ex aliquo ingenti periculo, vel labore vel metu defuncti, indumenta sua, tamquam anathemata et donaria, servatori Deo in ipsius templo

ribus donata, toga virilis seu libera ante eosdem Lares sumpta videtur secundum Propertium: „Mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo, Matris et ante Deos libera sumpta toga.“ Eleg. 4, 1, 131. „*Lares* omnium ædium communes, Penates vero singulorum proprii.“ Aus. Popma de diff. verb. 5. Illos ex Etruria, hos e Lavinio urbem invectos, Romani, primariæ significationis inscii, coluisse videntur. cf. Heindorf. ad Hor. Sat. 1, 5, 66. Singulare nomen Larium Servio ad Virg. Æn. 6, 842. Lars appellatur; Lar tamen agnoscunt Charisius et Priscianus, Putsch. c. 110. 645. *Succinctis.* „Quia Gabino habitu cinctuque Dii penates formabantur, obvoluti toga super humerum sinistrum, dextro nudo.“ Vet. Schol. De „cinctu Gabino“ Servius ad Virg. Æn. 7, 612. *) Verum falli Scholiasten, docuit

vel alibi consecrabant. Hinc Virg. Æn. 12, 766. „Forte sacer Faunо foliis oleaster amaris Hic steterat, nautis olim venerabile lignum, Servati ex undis ubi figere dona solebant Laurenti divo, et votas suspendere vestes.“

*) „Est toga sic in tergum reiecta, ut una eius lacinia revocata hominem cingat. Hoc autem vestimenti genere veteres Latini, cum necdum arma haberent, præcinctis togis bellabant; unde etiam milites in procinctu esse dicuntur. Hoc rursus utebatur consul, bella indicturus, ideo, quod cum Gabii, Campaniæ civitas, sacris operaretur, bellum subito evenit. Tunc cives cincti togis suis ab aris sunt ad bella provecti, et adepti victoriam. Propter quod omen tali habitu semper utebantur in bellis.“ Conf. Liv. 5, 46. 8, 9. 10, 7. Lucan. 1, 596. et Turnebum, qui Advers. 22, 20. verba Scholiastæ citata ad lo-

Visconti Museo Pio-Clem. T. 4. tab. 45. Laresque potius ritu Dianæ vel peregrinantium succinctos exhiberi in monumentis antiquis. Vid. Orell. ad h. l. Quod convenit ad interpretationem Casauboni: „*succinctis* i. e. ἐζωνοις, quia habitu peregrinantium erant Lares, pellibus amicti, cum cane comite." *)

32. 33. *Comites blandi*, assentatores et parasiti, opponuntur pædagogis et magistris invisis, qui etiam comites dicebantur. *Suburæ* et Suburræ varia est scriptio in codd. nostris ut in aliis scriptoribus; at per unum r scribendum suadent inscriptiones apud Gruterum p. 525. n. 5. p. 625. n. 10. et Obs. Drakenb. ad Liv. 5, 13, 2. vid. K. L. Schneider, Formenlehre p. 450. Vicus erat Romæ, regionis secundæ, ad radices Coelii montis, frequentissimus („ferventem" Iuvenalis dixit 11, 51. „clamosum" Martialis 12, 18, 2.) at infamis,

---

cum Persii explicandum adhibet; item Winckelmann Geschichte des Kunst, Wien. 1776. Th. 1. p. 441.

*) Cui rei contrarium nescio quod Burmannus sentiat, cum locum Ovid. Fast. 2, 634. ita exponat: „Lege nulla fere mutatione et coniectura indubitata: incinctos Lares. Lares enim in marmoribus ac signis æneis antiquis exprimuntur incincti seu succincti, ut Persius loquitur 5, 31. et plane in antiquis sigillis æneis, qualia et penes me sunt, Lares incincti seu succincti exprimuntur. Non recte ergo vir summus Casaubonus ad habitum peregrinantium refert, quo lares induti. Sic incincta Diana Heroid. 4, 87. et incincta Hebe, Fast. 5, 675. &c." Ipse enim cinctus utique est viatorum seu peregrinantium habitus. Vid. Exod. 12, 11. Luc. 12, 35.

quod fures et scorta ibi habitare solebant, Liv. 3, 15. Martial. 6, 66, 2. 11, 62, 5. *Permisit*, nam cum toga puerili etiam pædagogus exuebatur. Propertius 3, 14, 3. eadem libertate, prætexta deposita, gaudet sibi donata, et 4, 7. furta Suburana describit. Statius „properatam novæ togæ libertatem" dicit Silv. 5, 2, 68. *Candidus umbo.* Ad hæc Turnebus Adv. 20, 1: „Umbonem accipiunt, sane invita Minerva, togam virilem, quo freti nescio; equidem in poeta eam figuram non feram, ut umbonem pro toga dicat. Ego sensum esse puto: posteaquam vestem sumpsi virilem et ætatem militarem attigi. Qui enim prætextam posuerant, ætatis militaris censebantur; primis autem stipendiis clypeum gerebant sine omni argumento et insigni candidum, velut e Virgiliano versu Æn. 9. notum est: Ense levis nudo, parmaque inglorius alba. Eos clypeos appellat nubigeros Papinius Silv. 5." Fugit eruditum illum virum, quod *umbo* Tertulliano sit centrum togæ, et nodus artifex coeuntium plicarum, vel umbilicus togæ. Verba eius sunt: „Adeo nec artificem necesse est, qui pridie rugas ab exordio formet, et inde deducat in talias,*) totumque contracti umbonis figmentum custodibus forcipibus assignat." de Pallio c. 5. ab initio. Hinc alii interpretes Persii *umbonem* accipiunt partem eam in ditiorum togis, quæ ob rugas concurrentes nodoque artificiose constrictas protube-

*) Talias (rugas et plicaturas). Alii legunt „tabulas," alii: „tilias."

rabat, umbonis sive clypei instar. Præivit iam vetus interpres: „*Umbo*, toga virilis, qua iuvenes utebantur; *cand. umbo* συνεκδοχικως pro toga; alioquin et in prætexta candidus umbo est.“ Toga h. l. intelligitur virilis, quæ nativum lanæ colorem album retinuit. Græci eam modo λευκην appellabant, modo ad discrimen prætextæ, ὁλολευκην, i. e. puram, quæ nullo purpuræ prætextu distincta erat. Colorem candidum Lipsius non nativum lanæ, sed splendentem et arte factam dicit, qua nonnulli, qui togam sumebant, a reliqua plebe excerni voluerunt. Addit, Polybium ideo petitorum togam λαμπραν dicere maluisse, quam λευκην, et Senecam: „non splendeat toga, nec sordeat quidem,“ præcepisse, v. Lipsii Elect. 1, 13.

34. 35. Respicit ad elegantissimum ex Prodico commentum de virtute et voluptate cum Hercule colloquentibus, Xenoph. Memor. Socr. 2, 2. et ad literam pythagoræam Pers. 3, 56. Codd. Tig. sex apud Achaintr. et Husumensis omittunt *est*, Pithoeo et Casaubono ut nostris etiam exemplaribus receptum. *Error nescius vitæ*, viæ vitæ, eorum, quæ ad vitam bene instituendam faciunt. Servius versum 35 ad Æn. 6, 136. citans, legit: „traducit;“ multi alii: „deducit;“ præferendum vero *diducit*, ex Sat. 3, 56. revocatum, quod dubitationem adolescentis in bivio constituti exprimit, et nonnullorum codicum, etiam Hauniensis 1. fide comprobatur. cf. Heinsium ad Ovid. Metam. 4, 575.

36. Consilium Noster sequitur Epicuri egregium, quod ita effert Seneca Ep. 11, 6. „Aliquis vir bonus

nobis eligendus est ac semper ante oculos habendus, ut sic tamquam illo spectante viyamus, et omnia tamquam illo vidente faciamus.“ *) Ad vocem *supponere* pignus, partum, ova gallinacea, iugum &c. moleste somniant interpretes, cum planus sit sensus: „me inferiori loco posui, tibi subiectum.“ cf. Ovid. Fast. 1, 306. Trist. 4, 8, 48. Cod. Wimariensis apud Weberum: „seposui.“

57. 58. *Socratico sinu*, Socratica fide, non vero sensu Petroniano c. 128. De doctrinæ genere hic non erat quærendum. *Regula fallere sollers*, quæ latenter adeo agit, ut ignoretur; „quæ non ἀθρόως, sed ἐκ προσαγωγῆς discentis animum inflectit, ut prius sentiat se emendatum, quam emendari, prius perductum se ad sanitatem gaudeat, quam medicamenti amaritudine offendatur.“ Casaub. *Sollers*, non solers scribendum, ex mss. et marmoribus probat Car. Fea ad Hor. Od. 4, 8, 8. Qui pro *extendit* legunt „ostendit,“ ut est in codd. nonnullis (et ipsis nostris 2. 3. 5. 6.) ita

*) Addit Seneca: „Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illam, qui non aspectus tantum, sed etiam cogitatus emendat! O felicem, qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque eius se componat et ordinet! Qui sic aliquem vereri potest, cito erit verendus. Opus est, inquam, aliquo, ad quem mores nostri se ipsi exigant. Nisi ad regulam, prava non corriges.“ Idem suadet Cicero de Offic. 1, 34. 2, 13. et de Senect. 8. Ipse etiam, quod senex monuit, iuvenis secutus erat, de Amic. 1.

interpretantur: „tunc accurata tua vivendi norma adhibita monstravit mihi, quod mores pravi fallant homines et in perniciem pertrahant,“ satis quidem ieiune, nec ut fert cum illa fallendi notio, locis: Hor. Ep. 1, 17, 10. Tac. Hist. 2, 98 &c. firmata, tum metaphora *regulæ appositæ intortos mores extendentis* i. e. corrigentis, ab arte fabrili eleganter desumpta. Casaubonus bene confert Græcorum τω κανονι τα σκολια ἀπευθυνειν. Ipse vetus Scholiastes lectionem *extendit*, codd. Haun. 1. 4. Tig. et Achaintrianis receptam, et acutiorem interpretationem tuetur, cum dicat: „Mox ut me excepisti, apposita mihi a te regula vivendi est, quæ regula, solers fallere, intortos meos mores *extendit*, et de vitæ pravitate ad melioris vitæ rectitudinem adduxisti. *Solers fallere* ideo dixit, quod cum stultis obrepat, sapientes oportet recte cognoscere, ut ipsa emendatio lente ac sine tormento fiat, ne per asperitatem doctrinæ in ipsis rudimentis non tolerantes, impatienter ferant corrigi. Vel si quid in me corrigendum fuit, ratione emendasti.“ Sensum eundem sequitur concinna versio Passowii: und gefällige Weisheit Glich den gebogenen Pfad der Sünd' am Sittengesetz aus..

39. 40. Coercetur animus (appetitus, affectus) rationis imperio, et contendit ut superetur, formamque tua, tamquam artificis, manu elaboratam assumit. *Premere* hoc sensu Virg. Æn. 1, 58. 7, 737. 10, 54. *Vinci laborare* in hac orationis serie non reluctari, ægre vinci, sed contrarium notat. Bene Passowius:

es freut sich des Zwanges. *Laborare* hoc sensu cum infinitivo Plin. Ep. 1, 10, 1. Hor. Od. 2, 3, 11. &c. „Qualiter artificis victuræ pollice ceræ Accipiunt formas“ (Stat. Achil. 1, 332.) talis animi immutatio tua institutione. cf. Iuvenal. 7, 237. *Artificem* pro „artificis“ scriptum esse, reprehendit Casaubonus; verum hypallagen non insuetam esse, docuit Koenig ad h. l.

41-44. *Longos soles*, ut Virg. Ecl. 9, 51. Cod. Haun. 7. „memini longos.“ *Primas noctes*, noctis horas de epulis detrahere. *Verecunda mensa*, honestis ad mensam sermonibus.

45-51. Sideribus, præcipue iis, quæ in zodiaco sunt, et planetis maximam in res humanas dirigendas vim tribuebat superstitio veterum; at fata vitæ cuiusque et mortis horam eo inprimis sidere regi creditum, quod eo momento, quo quisque nasceretur, surgeret aut emergeret. Nec nullius erat ponderis, quæ sidera huic apparerent proxima (coniunctione) vel adversa (oppositione) &c. In planetis etiam multum valebat, in quo zodiaci signo tum versarentur; nam cuique suum erat signum, in quo constitutus maximam vim haberet, ut Veneri Libra, Saturno Capricornus, Marti Scorpius, quæ dicebantur domus planetæ. His omnibus iunctis et inter se comparatis efficiebatur genesis, hora, genitura, sidus natalitium, eiusque observatio et comparatio, a mathematicis *) seu genethliacis in-

*) Exstant libri Sexti Empirici „adversus Mathematicos.“ ubi (l. 5.) ait, se non scripturum adversus Astronomiam,

stituta, horoscopus, horæ notatio et inspectio dicebatur. Siderum alia fausta putabantur et benefica (ἀγαθοποιοι ἀςερες) ut Taurus, Libra, et ex planetis: Iupiter, Venus, Luna; alia noxia et infesta (κακοποιοι ἀςερες) ut Scorpius, Capricornus, Saturnus, Mars; horum autem vim noxiam illorum coniunctione vel oppositione diminui credebant. Vid. Iani excurs. ad Hor. Od. 2, 17, 17. Persium huius superstitionis non immunem fuisse, locus ostendere videtur; nec mirandum, quod hac in re sæculi genium secutus fuerit. Quanta tunc temporis esset auctoritas astrologorum vel, ut dicebantur, mathematicorum apud Romanos, docet Suetonius Tib. 14 et 36. Claud. 57. Ner. 40. Quin feliciori sæculo virum acutissimum, Melanchtonem astrologiæ deditum, a Luthero licet melius edoctum, accepimus, Luther sämmtliche Schriften 22, 2262. ed. Walchii. Non igitur opus erat illa Casauboni defensoria interpretatione verborum: *Non equidem hoc dubites:* φαιης ἀν, quasi dicta essent non de re vera, sed simillima vero. *Non equidem . . temperat astrum.* „Ne dubites, natales dies nostros certa naturæ lege concordare et ab uno sidere deduci; sive Parca immutabilis nostra tempora æquali Libra trutinaverit, sive hora nativitatis, nobis fidelibus amicis,

---

ἀλλα προς γενεαλογιαν, ἡν σεμνοτεροις κοσμεντες ὀνομασιν ὁι Χαλδαιοι, Μαθηματικες και Αςρολογες οφας ἀυτες ἀναγορευεσιν. Ceterum scripserunt contra eos ex veteribus: Cicero de Divin. l. 2. Simplicius in Epict. c. 1. et in primis Favorinus philosophus apud Gellium N. A. 14, 1.

exorta fata nostra congruentia æqualiter distribuerit in Geminos, et Saturnum noxium Iovis nostri benignitate pariter mitigemus: nescio quid; certum est, quod astrum me tibi coniungat.“ Locum videtur respexisse Hor. Od. 2, 17, 17. nostro nonnihil lucis affundentem.*) *Parca tenax veri* cf. Hor. Od. 2, 16, 39. Carmen sæc. 25. „Ultima hebdomadis die, qua quis in lucem editus erat, fata vocabantur, quæ scriberentur, quod eo die viderentur Parcæ in totam statuere vitam, qua fortuna quis esset.“ Turneb. Adv. 10, 22. Quod spectat Tertullianus, omnes idololatria obstetrice nasci dicens, „dum per totam hebdomadam Iunoni mensa proponitur, et ultima die fata scribunda advocantur.“ de Anima c. 39. *In Geminos* ambigue dictum, cum et ad sidus et ad duos amicos referatur. *Saturnus*, pater Iovis, planetarum summus, qui tarde cursum suum absolvit. Cum natura illi frigida, ideoque noxia, Virg. Georg. 1, 336. nocens etiam et infestus putabatur. Propert. 4, 1, 106. Iuvenal. 6, 568. Vidimus in superioribus, cum Horatio „impium“ esse et Iovem ei repugnantem. De vi Saturni malefica et benigna Iovis Macrob. Somn. Scip. 1, 19. Ob cacophoniam iteratæ vocis „quod“ v. 51. legimus primo loco *quid?* cum Passowio, codd. Haun. 4. 5. 7. Tigurino, Chemnic. et Paris. quatuor

*) „Seu Libra, seu me Scorpius adspicit Formidolosus, pars violentior Natalis horæ, seu tyrannus Hesperiæ Capricornus undæ; Utrumque nostrum incredibili modo Consentit astrum: te Iovis impio Tutela Saturno refulgens Eripuit, volucrisque Fati Tardavit alas“ &c.

approbantibus. Weber mavult „quod“ ob sequens *astrum*. *Me tibi temperat* pro „attemperat,“ et hoc quidem sensu insolitum.

52–61. A voluntatis et studiorum, quæ sibi cum Cornuto intercessit, communione Persius transit ad ingeniorum humanorum diversitatem, qua fit, ut alii aliis studiis delineantur, et sera demum experiantur poenitentia, quod finem recte vivendi sibi non proposuerint.

52. 53. Illam morum humanorum varietatem expressit Terentius Phorm. 2, 4, 14. Virgilius Ecl. 2, 62. Ovidius A. A. 1, 761. et Horatius Od. 1, 1. fere tota, Græci itidem sæpius, quorum hoc est Euripideum: *Εἰ πασι ταυτο καλον ἐφυ, σοφον θ' ἁμα, Ουκ ἠν ἀν ἀμφιλεκτος ἀνθρωποις ἐρις. Νυν δε ὁμοιον οὐδεν ἐδ' ἰσον βροτοις, Πλην ὀνομασαι. το δ' ἐργον ἐκ ἐζι τοδε.*

54. 55. In descriptione varietatis et cupidinis humanæ partes suæ mercatori tribuuntur, ut apud Horatium Od. 1, 1, 16. Sat. 1, 4, 29. et posteriore hoc loco totidem fere verbis. Agitur hic de mercibus Indicis, quas Romani rebus ex Italia exportatis permutabant. *Mercibus mutat*. Ita Græci: *ἀντ' ἀργυριου διαλλαττειν*, Plato de Republ. l. 2. cf. Virg. Ecl. 4, 39. Hor. Sat. 1, 4, 29. *Sub sole recenti* in codice Lunceb. ita recte exponitur: „e regione orientali.“ Horatius: „Surgente a sole ad eum, quo Vespertina tepet regio,“ l. cit. ad quem cf. Heindorfium. *Piper rugosum* merx erat Indica. „Piper solam Indiam mittere,“ tradit So-

linus Polyhist. 52. et Plinius: „Piperis arborem iam quidem Italiam habere, deesse vero tostam illam maturitatem et *rugarum* colorisque similitudinem.“ H. N. 12, 7. cf. Matthiolum in Dioscor. 2, 153. Ex Alexandria, rerum Indicarum emporio, mercatores Romani piper hoc *rugosum* maturumque et reliqua aromata orientalia petebant. Vide Meisterum über A. Persius Flaccus, Lips. 1810. p. 54. De frequenti piperis usu apud Romanos diximus ad 3, 75. „Rug. piper, pallentis“ quæ lectio est codicis Chemn. librarium quantitatem piperis prosodicam ignorasse arguit. *Pallentis cumini* metonymice pro „pallidum reddentis.“ Vid. Prolog. v. 4. Ita „exsangue cuminum“ dixit Horatius Ep. 1, 19, 18. nam colorem bibentium aut perunctorum mutat in pallorem. Dioscor. 3, 68. Plin. H. N. 20, 14. Cuminum ἐυεσμον, ori gratum, dicit Dioscorides l. cit. „Nihil erat gulæ Romanorum exoptatius, quam quo fastidium pellere, aut famem excitare, ventriculoque nimio ciborum usu adtrito novas vires addere possent, cf. Hor. 2, 8, 7 sq.“ Koenig.

56. *Somno irriguo*, qui irrigat. Ita *irr.* active sumitur Virg. Georg. 4, 32. Tibull. 2, 1, 44. De *somno* dicitur, ut Virg. Æn. 1, 696. 3, 511. quod ille corpus quasi humectat, veluti plantas aqua, et saginat, unde *turgescere*. Cod. unus apud Ach. „torpescere.“

57. „Hi — indulgent:“ cod. Wimariensis apud Weberum, sed male, cum singularis et præcedit et sequitur. *Campi* nomine absolute non raro venit

Campus Martius, schola illa militiæ Romanæ, ubi iuventus pilis, lapidibus, sagittis, manu, funda, arcu iaculandis, omni genere armorum, et quidem veris duplo graviorum, exerceretur. *Aleam* pro quolibet ludo, in quo fortuna et casus dominantur, accipiunt, adeoque etiam pro tesseris et talis. *) Romanis legibus vetitum fuisse aleæ lusum, nisi Saturnalibus, ostendit Digestorum de Aleatoribus titulus. cf. Hor. Od. 3, 24, 58. Martial. 5, 85, 4. Quantus vero ludendi furor sæculum Iuvenalis, quod idem erat Persii, invasisset, docet locus 1, 87. „Quando Maior avaritiæ patuit sinus? Alea quando Hos animos? Neque enim loculis comitantibus itur Ad casum tabulæ, posita sed luditur arca. Prælia quanta illic dispensatore videbis Armigero! Simplexne furor sestertia centum Perdere, et horrenti tunicam non reddere servo?" cf. 8, 10. 11, 174. 14, 4. Luserunt principes. „Nos, mi Tiberi," ita huic scri-

*) De ea Iohs. Sarisberiensis: „Alea, exciso regno Asiæ, inter manubias eversæ urbis, non sub una tantum specie migravit ad Græcos; hinc tessera, calculus tabula, senio, unio, Dardana pugna (latrunculos intelligit, quos Palamedes in obsidione Troiæ invenisse traditur) tricolus, monarcha, orbiculi, taliorchus, vulpes, quorum artem utilius est dediscere quam docere. Quis enim non erubescat, si sortis suæ gratiam non virtuti debeat, sed taxillis? Quis fritilli cautelam suæ prudentiæ non doleat anteferri? Nonne satis improbata est cuiusque artis exercitatio, qua quanto quisque dictior, tanto nequior? Mendaciorum omnium et periuriorum mater alea, et ex aliena concupiscentia sua prodigit." Polycrat. 1, 5.

bit Augustus," quinquatriis satis iucunde egimus, lusimus enim per omnes dies, forumque aleatorum calefecimus . . Ego perdidi viginti millia nummûm meo nomine." Sueton. Aug. 71. Nero „quadragenis in punctum H S aleam lusit." ibid. Ner. 30. Claudius „aleam studiosissime lusit, de cuius arte librum quoque emisit; solitus etiam in gestatione ludere, ita essedo alveoque adaptatis, ne lusus confunderetur." ib. Claud. 33. Nec ludendi intemperantia sequentibus sæculis inhibita est, quamvis nomen aleatoris probro non caruisse videatur. Ita Am. Marcellinus 28, 4. quosdam commemorat, qui aleatorum vocabulum declinantes, se cuperent appellari tesserarios, „inter quos tantum differt, quantum inter fures et latrones;" additque: „hoc tamen fatendum est, quod cum omnes amicitiæ Romæ tepescant, aleariæ solæ, quasi gloriosis quæsitæ sudoribus, sociales sunt, et affectu nimio firmitate connexæ, unde quidam ex his gregibus inveniuntur ita concordes, ut Quinctilios esse existimes fratres." *Decoquit.* Ita Florus in præf: „quibus annis inertia Cæsarum quasi consenuit atque decoxit" (populus Romanus vires suas.)

58–61. *In Venerem est putris.* Codices variant lectionibus: putris est, *est putris*, „putris" et „putret." Prima, Haun. tertii et Tigurini codicis, citatur etiam a Servio Virg. Georg. 4, 199. ad verba: „Nec corpora segnes in Venerem solvunt" explicanda. Horatius item oculos in amorem solutos „putres" dixit Od. 1, 36, 17. Metaphora ducta est a terra, quæ pu-

tris resolvitur. Georg. 1, 44. 2, 204. Libidine corpus enervatur, resolvitur et quasi putrescit. *Chiragra* Casaubonus „cheragra“ scribendum voluit ob metrum, et invenimus ita emendatum a Reizio, sed nullo approbante codice. Græcos et χεραγρα et χειραγρα scripsisse, quod Heindorf. ad Hor. Sat. 2, 7, 15. existimat, auctoribus vix probandum idoneis. Ad observationem Casauboni ex Erasmiano Græcæ pronuntiationis systemate, si hoc sequerer, ita responderim: Prima quidem etymi χειραγρα natura longa est; quod cum acciderit, poetæ Latini nonnumquam alterum diphthongi elementum abiicere solent, ut brevem syllabam efficiant. Sic apud Martialem 9, 93, 9. legitur „cheragra,“ extrito iota. Idem vero 1, 99, 2. scripsit *chiragra*, prima correpta. Horatius item Sat. l. cit. et Ep. 1, 1, 31. ubi in codd. priore loco „cyragra“ et „chiragra,“ posteriore: „podagra“ invenit Car. Fea. Unde patet, Latinos in vocabulis e Græco fonte derivatis quantitatem Græcorum non ubique secutos fuisse; idque non librariorum incuriæ, sed ipsi poeticæ licentiæ tribuendum esse, voces κρηπις, crepida, θηρ, æol. φηρ, fera, τελωνειον, telonium &c. plenius docent. Facilior autem et verior erit responsio secundum systema Reuchlinianum, ex quo ει simplex est elementum (στοιχειον Grammatici vocant) sonum efferens literæ *i*. Numerabatur quidem inter diphthongos, non vero ut duplex sonus, ex notione diphthongorum e linguis recentioribus perperam deducta. Hinc illud

i vocis Latinæ et syllabæ correptio. *) *Lapidosa* ob materiam calculosam chiragræ, quæ carpos manuum et articulos digitorum invadit. Horatius l. c. „nodosam" dixit. *Fregerit*, Horatius: „contudit" *articulos*, qui, aridis veteris *fagi* ramis similes, facile corrumpuntur. *Crassos dies lucemque palustrem*, „tenebras lustrorum ac stuprorum," Cic. pro Sextio 9. dies in äere crasso ganearum et lupanarium comsumptos, Iuvenal. 6, 130. Koenig. Cod. Tig. et duo apud Ach. „traxisse." Pro *seri*, quod Hauniensium omnium, codex Tigurinus et unus Paris. „sero," Wimariensis: „senio," item Sarisberiensis et Bongarsianus: „miseri," quæ quidem correctiora, cum græcissantium est, nomen adverbii loco (ὀψιμος pro ὀψε) adhibere; verum illud idiomatis est Persiani, non temere corrigendum. Accedit, quod Petrus Blesensis, scriptor sæculi 12. quem nonnullas Persii sententias citantem produxit cel. Weber, *seri* h. l. legerit.

62-72. Meliore studiorum et vitæ ratione Cornutum iunioribus præire docet, hosque monet, ut eum sequantur indefessi.

62-65. Vocabula *pallere*, *pallescere* Persio usitatissima esse, supra observavimus. Hoc loco stu-

*) Multa huc pertinentia erudite exposuit Vir Clar. S. N. I. Bloch in novissimo programmate: Forsög til en sikker begrundet og afgiörende Beviismaade för det græske Sprogs rigtige Udtale, Haun. 1824. p. 17. 26. 31 &c.

dium assiduum significat, ut 1, 124. 3, 85. Verum illud præceptum, quod mente non recte uti possint multo cibo completi, veteres meditationi vacantes haud raro usque adeo sequebantur, ut vel minimo cibo contenti sese macerarent, unde philosophi ὠχριῶντες Aristophanis et „impransus magister" Horatii. *Es* ante *iuvenem* omiserunt Passow et Orellius; recentissimus item editor Weber, qui hæc adnotavit: „ut inopportunum et inutile eiecit Achaintrius auctoritate codd. suorum; abest quoque in codd. Wimar. et Chemnicensi atque in plurimis antiquis editionibus." *Cultor, purgatas, inseris fruge* translata ab agro colendo, variatis per hypallagen locutionibus. „Purgata auris" Horatii, quam huc trahunt, alium sensum, utque videtur, iocularem habet. Respiciendum potius ad Plautum, Mil. glor. 3, 1, 179. „Perpurgatis ambo damus tibi operam auribus," attentissimi te audimus; vel ad Propert. 2, 13, 12. ubi „aures puræ" lectores denotant nulla præoccupatos opinione. *Fruge Cleanthea* i. e. Stoica. Cleanthes, Stoicus philosophus, Zenonis, cui successit, auditor. Notissimus est hymnus eius egregius, vid. Brunk Poet. Gnom. p. 141. et apud Epictetum Enchir. 52. exstant iambi, quibus Iovem ita alloquitur: *Ἄγε δέ μ', ὦ Ζεῦ, καὶ σὺ γ' ἡ Πεπρωμένη. Ὅπου ποθ' ὑμῖν εἰμὶ διατεταγμένος, Ὡς ἕψομαι γ' ἀόκνως, ἢν δὲ μὴ θέλω, Κακὸς γενόμενος οὐδὲν ἧττον ἕψομαι.* *)

*) Seneca Epist. 107, 11. hos iambos ita transtulit: „Duc me parens, celsique dominator poli, Quocumque placuit. Nulla parendi mora est. Adsum impiger. Fac nolle:

De eo ceterum Diog. Laertius 7, 4. Lectio „Cloanthea“ codd. Husumensis et Chemnicensis, inscitiæ librariorum tribuenda, adfinitatem horum librorum prodit. *Petite hinc*, ex huius philosophiæ studio, *finem animo certum*, de quo præcepta Stoicorum vide ad Sat. 3, 62.

66-69. Commotum admonitionibus iuvenem inducit, sed dilatorem. *Cras hoc*, quod iubes, *fiet*. Cras recte vivendi rationem petere incipiam. Noster respondet: *Idem cras fiet*. Ubi crastinus dies advenerit, idem dices, scilicet te cras incepturum. Iuvenis regerit succensens: *Quid, quasi magnum? Nempe diem donas*. Cur me urges, quasi immensum temporis spatium petentem? Unum modo diem concedas. Vel: Quasi magnum sit negotium unius diei concessio. *Sed* &c. ita Noster opponit: Donarem tibi diem, non tamquam rem magnam; *sed cum lux altera*, qua te incepturum promittebas, *venit*, et iam ex illo cras hodie factum, *cras hesternum consumpsimus*, *) perdidimus, quod heri dicebatur cras, et tu

---

comitabor gemens. Ducunt volentem fata, nolentem trahunt. Malusque patiar, quod pati licuit bono.“ Laudat eos, sed Senecæ tamquam auctori tribuens, Augustinus de Civ. Dei 5, 8. Græcos autem ipsius Cleanthis esse, et Seneca l. cit. et Simplicius in commentario ad locum Epicteti allegatum testantur.

*) *Consumpsimus* h. l. et *sumptus* 6, 7. *empta* 6, 20. scribendo sequimur codd. aliquot, et Grammaticos antiquos, quorum Priscianus: „Emo emptum facit, quod ideo assump-

vitam non corrigis. *Ecce aliud cras*, et rursus aliud, quod tu tibi donari postulas, *egerit*, protrudet *hos annos*, et *semper* hoc cras *paullum erit ultra*, aliquantulum distabit a te, ut numquam illud possis attingere. *Idem cras fiet*, phrasis Ovidiana: „Dicimus assidue: cras quoque fiet idem.“ Rem. Am. 104. cf. ibid. v. 91–94. Petron. 45. Cod. unus apud Achaintr.: „iam lux.“*) Lectionem patheticam Servii apud Casaubonum: „Iam cras hesternum heu consumpsimus!“ non invenimus in nostro Servio, scilicet ad Virg. Æn. 5, 19. ubi versus

---

sit *p*, quia non potest *m* ante *t* sine *p* inveniri euphoniæ caussa, ut sumptus, promptus, comptus.“ Putsch. c. 897. Cui præcepto convenit orthographia a Car. Fea in editione Horatii recepta: ademptus, coemptus, comptus, contemptus, dempsi, demptus, desumpsit, emptor, emptus, incomptus, redemptor, sumptus, sumptuosus. Ceterum hac de re Ruddimannus Inst. Gram. Lat. I, p. 245. „An *p* in hisce servanda sit, vel abiicienda, acriter contendunt orthographiæ emendatioris magistri. Hinc stant Victorinus, Sanctius, Lambinus, Dausquius, Methodi auctor et alii; illinc Priscianus, Probus, Lipsius, Ios. Castalio, Bangius, Cluverius, Ursinus et pleraque marmora antiqua.“

*) Procrastinationem hominum Martialis scite describit hunc in modum: „Cras te victurum, cras dicis, Postume, semper; Dic mihi, cras istud, Postume, quando venit? Quam longe cras istud? ubi est? aut unde petendum? Numquid apud Parthos Armeniosque latet? Iam cras istud habet Priami vel Nestoris annos. Cras istud quanti, dic mihi, possit emi? Cras vives; hodie iam vivere, Postume, serum est; Ille sapit, quisquis, Postume, vixit heri.“ Epigr. 5, 59.

ille Persii citatur, nec uspiam in codicibus. Nulla librorum auctoritate nititur lectio Scaligeri: „Egerit hoc annos, semper paulum egerit ultra.“ Cod. Haun. quidem secundus: „Egerit hoc;“ ceterum ut vulgata. Illud *egerit* nescio cur omnes interpretes præter Passowium *) ex „egero, egessi“ deducant et exponant per „evacuat, exhaurit, absumit.“ Notionem pellendi, protrudendi verbi „ago, egi“ suadet hæc orationis series et sequens similitudo.

70–72. „*Nam frustra sectabere canthum, quamvis vertentem sese prope te, quamvis temone sub uno, cum* tu *curras,* quasi *rota posterior et in axe secundo.*“ Quanto posterior rota magis progreditur, tanto prior magis antecedit; posterior ergo priorem, quamvis sub eodem curru minimaque distantia sequens, numquam assequitur. Ita cras illud, quod semper in ore habes, quamvis exiguo temporis spatio distans, procrastinatione numquam attinges. Alia similitudine in eadem re utitur Horatius: „Sapere aude; Incipe. Qui recte vivendi prorogat horam, Rusticus exspectat, dum defluat amnis, at ille Labitur, et labetur in omne volubilis ævum.“ Ep. 1, 2, 40. *Canthus,* lamina ferrea, qua extremitates rotæ muniuntur, pro ipsa rota. Barbarismum, et quidem Afrum vel Hispanum, vocat Quinctilianus: „si quis Afrum vel Hispanum Latinæ orationi nomen inferat, ut ferrum, quo rotæ vinciun-

*) Ein anderes Morgen Treibet die Zeit, und es eilet dir stets um wenigen Weg vor.

tur, dici solet *canthus*, quamquam eo, tamquam recepto, utitur Persius.“ Inst. Or. 1, 5, 8. Celticum putat Burmannus, et convenire cum Belgorum et Germanorum (etiam Danorum) „Kant,“ quo oram et marginem notant. Nonnulli codd. habent „cantum,“ quod quidem rectius, cum *th* in appellativis, non e Græco fonte θ oriundis, improbandum. Cum vero et Quinctilianus scripserit *canthum*, homines illius temporis, ut Casaubonus ad locum Persii, vocabulum Græcæ originis existimasse videntur. Vid. K. L. Schneider Elementarlehre p. 211.

73–90. Ad certum animo finem consequendum, recteque philosophandum, libertate opus esse demonstrat, et quali.

73. 74. Pro „non hac, ut quisque,“ quæ lectio membranæ Haun. 1. plerisque editionibus post Pithoeum et Casaubonum usu recepta est, codd. quinque reliqui Haunienses habent: *non hac, qua quisque*, quod præferendum. Nonnulli apud Achaintrium legunt: „non hac, qua ut quisque;“ verum sensus nihil addendum postulat, modo *quisque* pro „quicumque“ vel „si quis“ dictum sumatur, ut sæpius, inprimis apud Plautum, v. c. Asin. 1, 3, 47. 2, 3, 24. Capt. 4, 2, 17. Mil. glor. 2, 2, 5. Merc. 1, 1, 20. Orellius et Weber, quibus ipsa varietas: „quam,“ „qua“ utrumque insititium esse persuasit, legunt: „non hac, ut quisque Velina,“ *quisque* per „quicumque,“ „si quis“ explicantes. *Velina*, e tribu Velina, quæ a lacu Velino nominata ce-

teris tribubus adiecta est a. u. 513. *Quisque Publius Vel.* „quicumque iam factus Publius Velina, i. e. prænomine manumissoris addito servitute solutus et in tribum Velinam relatus, (cf. Heindorfium ad Hor. Sat. 2, 5, 15.) accipiendi a curatore annonæ tesserulam ius habet et corrupto frumento vescendi.“ Servi, cum manumitterentur, solebant prænomen patroni accipere et suum retinere. Ita Pompeii Magni libertus: Pompeius Lenæus Plin. H. N. 25, 2. et Ciceronis alter: Laurea Tullius Plin. 31, 2. alter Tullius Tiro, cuius frequens mentio in Epistolis ad familiares. Ex Plinio et Quinctiliano etiam discimus, libertos dictos fuisse Lucipores, Marcipores, Publipores, quasi Lucii, Marci et Publii pueri. Cum cives omnes Romani in aliqua tribu censeri soliti erant, etiam ab ea manumissi indicabantur. Ita Sulpicius Lemonia, Cic. Or. Philippica 9, 7. Verres Romilia Or. in Verr. 2, 8. Quin ingenuitatis præcipuæ erat usus ille prænominis, nominis et agnominis. Hinc Iuvenalis: „ponere foris, si quid tentaveris umquam Hiscere, tamquam habeas tria nomina.“ Sat. 5, 126. *Emeruit.* „Alludit fortasse Noster ad nefanda illa ministeria, quibus a dominis manumissionem impetrare servi studebant; nam simpliciter pro „nactus est“ illud positum esse, ut credam, a me impetrare non possum.“ Koenig. *Tesserula*, vilis tessera, Iuvenal. 7, 174. Erant tesseræ frustilla lignea quadrata (inde nomen a τεσσαρα dictum) certa notata forma, quæ dabantur iis, quibus ius petendi erat frumenti publici. De tesseris et frumen-

tatione Plin. H. N. 16, 18. Sueton. Aug. 40 et 41. et quidem sub Nerone Dio Cass. 62. Tac. Ann. 15, 39. Ob spem accipiendi frumenti multos nonnumquam manumissos fuisse, testatur Dio 59, 24. *Scabiosum*, situ corruptum, ut in promptuariis publicis fieri solet, satirice adiectum ad levitatem rei ista libertate quæsitæ et istiusmodi libertatis, corpus, non animum eiusque a vitiis vindicationem spectantis, describendam.

75-81. *Steriles veri*, alieni a vero. Ita „virtutum sterile sæculum“ Tac. Hist. 1, 3. *Quiritem*, civem Romanum. Quirites domi appellabantur cives, non foris; ibi enim, si ita appellarentur milites, mitti vel exauctorari videbantur per ignominiam, nec pro militibus amplius haberi. Liv. 45, 37. Sueton. Cæs. 70. Tac. Annal. 1, 42. Unde sic appellati, discimus ex Livio 1, 13. et Ovid. Fast. 2, 475. Cod. Paris. apud Weberum: „quos una Quirites.“ *Vertigo.* Romani eos, quos manumittebant, alapa percussos circumegerunt, atque ita de manu miserunt, facta sic ipsis potestate abeundi, quo vellent. Hinc ad atriensem multa sedulitate libertatem ambientem Cæsar: „Multo maioris alapæ mecum veneunt.“ Phædr. 2, 5, 25. et Claudianus: „In civem rubuere genæ.“ Cons. 4. Hon. Sic „vertere servum suum apud prætorem,“ στρεφειν τον ἑαυτου δουλον ἐπι στρατηγου, Epicteto Arrian. 2, 2. est manumittere. Utrum vertigo hæc species quædam esset lustrationis, et servum a contagio servitutis liberum esse indicaret, an vero hoc ritu ostendere voluerint domini, dare se servis potestatem eundi, quo vellent,

unde hæc formula manumissionis apud Plautum: „Liber esto, atque abito quo voles," est quæstio 45. Boxhornii in Quæstionibus Romanis. *Hic Dama* &c. En rem ridiculam! hic Dama vilissimus est agaso, insulsus, stupidus et in rebus ei commissis vel minutissimis mendax: si dominus eum vertigine manumiserit, e vestigio liber exit, prænomine patroni ornatus. *Dama*, nomen servile. Hor. Sat. 1, 6, 38. 2, 5, 18. 2, 7, 54. „Nomen apud Horatium libertini hominis, quales multi ad opes perveniebant, etsi pro vilissimis et sordidissimis semper habebantur. Adscribam Senecæ verba: Idem res dicebat omnium sordidissimas, acetum et puleium et Damam et Philerοten &c." Turneb. Adv. 6, 4. *Agaso* minister ineptus dicitur per opprobrium. Hor. Sat. 2, 8, 72. et *tressis*, a tribus assibus, infimæ conditionis servum notat. *Dama non tressis agaso* accipiendum, ut illud Vatinii ad Cic. Fam. 5, 10. „Simius non semissis homo." Hinc non leviter eos errare, qui his locis tressis et semissis adiectiva esse putent, ac propterea in accusativo dici posse hominem tressem aut semissem, cum non aliter utroque loco dicatur, quam in illo Plauti Poen. 1, 2, 168. „Non ego homo trioboli sum," bene observavit Th. Ruddimannus Instit. Gram. Lat. ed. G. Stallbaum. I. p. 27. cf. Gronovium de Pecun. Vet. 1, 8. *Vappa* itidem de homine nequam. Hor. Sat. 1, 1, 104. 1, 2, 12. „Vitium musto quibusdam in locis, iterum sponte fervere, qua calamitate, cum deferbuit, deperit sapor *vappæque* accipit nomen, probrosum etiam

hominum, cum degeneravit animus.“ Plin. H. N. 14, 20. *Lippus* vid. 2, 72. *Farrago*, ad agasonem relatum, sensu proprio sumendum: „Ex segete, ubi sata admixta hordeum et vicia et legumina pabuli caussa, viridia quod ferro cæsa, farrago est.“ Varro de Re Rust. 1, 31, 5. *) *Turbinem*, gyrum dicit, quod ante *vertiginem*. Qui pro *turbinis* glossema „temporis“ in textum receperunt, (ita codd. Haun. 4. 5. 6. Tig. Husumensis et plerique apud Achaintrium) sensum vocis vix intellexisse videntur. Turbonis, quod Cæsar dici debere ait, Charis. apud. Putsch. c. 117. usu non receptum est. *Marcus Dama*, patroni Marci nomine iam ornatus, cuius frequenti repetitione in sequentibus satiricus vanitatem recens manumissi et Romanorum in nominibus ambitionem tangit. „Quinte puta aut Publi; gaudent prænomine molles Auriculæ.“ Hor. Sat. 2, 5, 32. Romani cum aliquem honorifice ut liberum aut ingenuum appellarent, prænomine indicabant; nam salutare cognomine, familiaris erat. Ita apud Ciceronem in Epistolis: „Cæsar Pulchro“ &c. Vid. Turneb. Adv. 2, 19. cf. Cic. Ep. ad Famil. 1, 9. *Papæ* a Gr. βαβαι, vel, ut Lucianus habet, παπαι. *Marco spondente . . Marce tabellas.* Verba poetæ

*) Sic Gesnerus et antiquiores Varronis editores; at Schneiderus, recentior editor (1794) ita: „viridia quod ferro cæsa, ferrago dicta.“ Ferraginem vocabulum Latinum esse, a farragine distinctum, docet etiam codex vetustissimus Pithoeanus L. qui hoc loco lectionem „ferragine“ exhibet.

ironice ridentis fidem publicam homini nuper fraudulento habitam. *Spondere*, *iudicem esse*, testem fieri, testamentum *signare*, notant omnia liberum et civem Romanum. Libertis tamen aditus ad *iudicum* ordinem olim non patebat. Tunc enim, quamvis cives essent, nullo publico munere, nisi apparitoris aut coactoris, defungi poterant. Erant vero apparitores scribæ, præcones, interpretes, accensi, lictores, viatores, stratores. Hæc enim munera veteres libertis deferebant, excepto tamen scriptu. Cic. Ep. ad Quintum fr. 1, 1, 4. In senatum non admittebantur; quo postquam irrepsissent aliquamdiu, Pisone consule, sub progressum bellorum civilium, omnes eiecti sunt. Dio Cass. 40, 63. Sed procedente tempore eorum arbitrio sub malis principibus omnia permissa legimus. „Iam afferebant venalia cuncta præpotentes liberti:“ ita de suo tempore queritur Tacitus Hist. 1, 7. Notissima sub Claudio Licinii et Palantis, sub Nerone Cari et Massæ, sub Vitellio Asiatici, sub Domitiano Parthenii potentia et opes, ad quas libidini dominorum obsequendo et flagitiosa quælibet perpetrando pervenerant.

82. *Hæc mera libertas*, iusta, legitima, perfecta, ut dicebatur, qua, sive censu, sive vindicta, sive testamento acquisita, quis fieret civis Romanus. Imperfecta et illegitima erat, si modo inter amicos, per mensam, per epistolam acquireretur, qua semiservi adhuc „velut vinculo servitutis attinebantur.“ Tac. Ann. 13, 27. *Hoc nobis pilea donant.* Cod. Haun. sextus et Tig.: „*hæc . . donat;*“ „*hæc*“ etiam

multi apud Ach. cum Husumensi et Chemn. apud Weberum. Ceteri Haun. et aliquot apud Casaubonum: *hoc. Pilei* præcipuus usus in manumissione. Hinc „vocare servos ad pileum," Senec. Ep. 47, 16. Sueton. Tib. 4. „pileum redimere," Martial. 2, 68, 4. Inde factum, ut interfecto Nerone plebs per totam urbem discurreret pileata, tamquam libertate donata. Sueton. Ner. 57. Dio Cass. 63. Tradit item Plutarchus in vita Flaminii, adfuisse illi triumphanti civium Romanorum duo millia pileos gestantium, ut profiterentur, se ab eo accepisse libertatem. *) Manumissis imponebatur pileus in templo Feroniæ, libertorum Deæ. Serv. ad Æn. 8, 564. Liv. 26, 11. Crederes, cum Romani pileum libertatis insigne haberent, eoque adhibito ma-

*) Radebantur prius servi, quam pileos acciperent. *Καθαπερ ἐθος ἐξι τοις ὀικεταις, ὁταν ἐλευθερωθωσι ξυρεσθαι τε τας κεφαλας και πιλια φορειν.* Plutarch. in Flaminio. cfr. Plaut. Amphitr. 1, 1, 306. et quod de Prusia rege apud Diod. Sic. 31, 26. legimus, eum, ut se Romanorum profiteretur libertum, legatos eorum raso capite et albo pileo (*ἐξυρημενον την κεφαλην και πιλεον ἐχοντα λευκον*) occurrisse. Moris radendi manumittendos interpretamentum hoc est apud Nonium: „Qui liberi fiebant, ea caussa calvi erant, quod tempestatem servitutis videbantur effugere, ut naufragio liberati solent." Radi nimirum solebant, qui e naufragio emerserant. „Gaudent ibi (in portu Baiano) vertice raso garrula securi narrare pericula nautæ." Iuvenal. 12, 81. et Lucian: *δοκω δε μοι ἐκ ἀλογως ἀν, και ξυρησασθαι την κεφαλην, ὡσπερ ὁι ἐκ των ναναγιων ἀνασωθεντες ἐλευθεροι.* Hermotimus s. de sectis in fine. Ceterum ritus antiquus erat, capillos radere in omni fere luctu.

numissos liberos pronuntiarent, eos pileatos fuisse; sed nudo plerumque erant capite, aut caput veste velabant, id quod veteres nummi et statuæ testantur. cf. Ovid. A. A. 1, 735. Petron. 32. Turnebus Adv. 8, 4. illam consuetudinem a prisca Græcia ducens, provocat ad Eustathium, qui ad Odyss. 1. Latinos ait ἐσως δε και ἀκαταχαλυπτους ἐχειν, et nullam pilei vel causiæ mentionem esse apud Homerum. Verum Ulyssem pileatum plerique exhibent, vid. C. Barthii Adv. 8, 6. et Hippocratis imago pileata visitur. Græci, quamvis et ipsi apertis ut plurimum capitibus, tamen aliquando iisdem de caussis, quibus Romani, inprimis ægroti et molles,*) pileos sumpsisse videntur. Apud Romanos inter tempora et homines distinguendum, quod ad ius et usum capitis tegendi attinet. Temporibus Lipsius de Amphitheatro 20. annumerat sacra, ludos, saturnalia, peregrinationem et militiam. Vide etiam Salmasium ad Vopisc. Aurelian. 45. et ad Tertullian. de Pallio, item N. Heinsium ad locum Ovidii cit.

83. 84. Argumentatione usus erat a posteriori, ab effectis, potestate nimirum spondendi, testandi, signandi, qua liberto fides aliqua publica, non item privata, collata erat. Probatione iam utitur a priori, a definitionibus libertatis apud Stoicos frequentibus:

*) De his Plato Polit. 3. ἐαν δε τις ἀυτοι (καμνοντι) μακραν διαιταν προσταττη, πιλιδια τε περι την κεφαλην περιτιθεις, και τα τουτοις ἑπομενα, et Plutarch. adversus Colotem: τι ὁ πιλιδιον ἐχων οἰκοι καθοιτο, δηλαδη περι την της γαστρος ἐπιμελειαν ὁλως κατεσθως.

ἶναι τὴν ἐλευθερίαν ἐξουσίαν αὐτοπραγίας, τὴν δὲ δουλείαν στέρησιν αὐτοπραγίας. Diog. Laert. 7, 121. vel: „libertatem esse potestatem vivendi ut velis," Cic. Paradox. 5, 1. de Offic. 1, 20. quas homines huic, qui inducitur, liberto similes arripiebant et ad abusum vertebant, *) omissis, quæ in ipso systemate Stoico rem explicant, v. c. *Κύριός ἐστιν, ὁ τῶν ὑπ' ἐκείνῳ θελομένων, ἢ μὴ θελομένων, ἔχων τὴν ἐξουσίαν εἰς τὸ περιποιήσασθαι ἢ ἀφελέσθαι. Ὅστις οὖν ἐλεύθερος εἶναι βούλεται, μήτε θελέτω τι, μήτε φευγέτω τι τῶν ἐπ' ἄλλοις. ὃς δὲ μή, δουλεύειν ἀνάγκη.* Epict. Enchir. 14, 2. et Cic. Parad. l. c. **) Codd. Haun. 5, 6. et Paris. apud

*) Observandum est, Romanis *libertatem* quandoque abusum eius significare, et *liberum* dici dissolutum, perditum, libere scortantem, potantem, quæ notio in lexicis, iisque præstantissimis, desideratur. Ita Nepos 2, 1. Themistoclem minus probatum a parentibus, „quod liberius vivebat," et Cicero pro Coelio 16. viduam „libere vivere" dicit. cf. Plaut. Asinar. 5, 18, 17. Poenul. 3, 2, 25. Eodem sensu Cicero de Oratore 2, 62: „obscenitas, non solum non foro digna, sed vix convivio liberorum;" ubi, cum hoc *liberorum*, tamquam alienum, Ernesti delet, Schellerus mutat in „lupercorum," Ruhnkenius, neutrum vocis vim cepisse, merito existimat Opusc. T. 2. p. 737.

**) „Dictum est ab eruditissimis viris, nisi sapientem, liberum esse neminem. Quid est enim libertas? potestas vivendi ut velis. Quis igitur vivit ut vult, nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata atque provisa est; qui legibus quidem non propter metum paret, sed eas sequitur atque colit, quia id salutare maxime esse iudicat; qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, nisi libenter et libere, cuius omnia consilia,

Weberum: „Cui libet.“ Norimb. cum dicto Parisino: „ut libuit.“ Achaintrii omnes cum Husumensi, Wimar. et Chemn. „non sum.“

85. 86. *Liberior Bruto*, „quem,“ ut loquitur Plutarchus in M. Bruto: „prisci Romani æreum inter reges in Capitolio posuerunt cum ense stricto, quod eius maxime virtute Tarquinii eiecti, libertasque Romanorum confirmata esset. Ille gladii instar, qui candens in frigida aqua exstinctus nimiam duritiem rigoremque contraxit, præduro ingenio præditus, neque eo doctrina emollito, ira adversus tyrannos usque ad cædem liberorum provectus est.“ Brutos libertatis indicem monetam cudisse legimus, cum pileo duobus pugionibus imposito, id quod a Cæsaris interfectoribus antea quoque hoc signo indicatum fuerat, cum pileum

---

resque omnes, quas gerit, ab ipso proficiscuntur, eodemque feruntur; nec est ulla res, quæ plus apud eum polleat, quam ipsius voluntas atque iudicium; cui quidem etiam, quæ vim habere maximam dicitur, fortuna ipsa cedit, sicut sapiens poeta dixit: Suis ea cuique fingitur moribus. Soli igitur hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus. Quod etsi ita esse, pluribus verbis disserendum est, illud tamen et breve et confitendum est, nisi qui ita sit affectus, esse liberum neminem. Igitur omnes improbi servi. Nec hoc tam re est, quam dictu inopinatum atque mirabile; non enim ita dicunt, eos esse servos, ut mancipia, quæ sunt dominorum facta nexu aut aliquo iure civili, sed si servitus sit, sicut est, obedientia fracti animi, et abiecti, et arbitrio carentis suo, quis neget, omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos esse servos.

hastæ impositum per mediam urbem proferrent, quasi morte tyranni restituta libertate. Appian. Bell. Civ. 1. Cod. Haun. tertius: „Stoicus hinc.“ *Acetum pro* acumine, ut aurem pro iudicio, dixit Noster, et Plautus: „Ecquid habet is homo aceti in pectore?“ Pseud. 2, 4, 49. et: „Nunc experior, situe acetum tibi cor acre in pectore.“ Bacch. 5, 3, 1. Item Horatius: „Italo perfusus aceto.“ Sat. 1, 7, 32. Attentissimum notat auditorem, ut *purgatæ aures* v. 63. cum sordes in auribus collectæ auditum hebetant, excussæ reddunt acriorem. Has, si duræ sint, Celsus *aceto* emolliendas docet, de Medic. 6, 7. Hinc Stoicus *aurem mordaci lotus aceto* dicitur, quod eius auris, in quæstionibus dialecticis exercita, non fallitur captiosis quæstionibus.

87. Versum ita legit Casaubonus: „Hoc (reliquum accipio) licet illud et ut volo tolle.“ „Hoc“ igitur ad „licet“ referendum. Quis vero dixerit: hoc illud „licet?“ Alii sine parenthesi legunt: „Hoc reliquum“ vel: „Hæc reliqua acc. &c.“ Tum vero quæritur, quid reliquum sit, quod accipitur. Præferenda quidem parenthesis, et pro „reliquum“ cum plerisque codd. legendum „reliqua;“ tum vero sequens „illud et“ extrudendum, et substituendum: „vivere“: *Hoc (reliqua accipio) „licet ut volo vivere“ tolle.* Posterius hemistichium ita legunt codd. Haun. 2. 3. 5. 6. tres apud Achaintrium, editio item Cantabr. et Murmellius, Bondius, Passowius, Orellius. *Reliqua*, maiorem syllogismi propositionem: liberum esse, qui

potest suo arbitratu vivere, *accipio;* sed *hoc: „licet ut volo vivere“ tolle:* assumptionem, te ut manumissum, vel ob solam manumissionem, tuo arbitratu vivere posse, non admitto. Recte Weber existimat, non facile fieri potuisse, ut Persius, conclusionem adversarii refutans, in verbis eius quidquam mutaret.

88-90. Assumptionem libertus probare conatur ex adiunctis, quod vindicta prætoris liber esset pronuntiatus; conclusionem tamen quodammodo corrigit addendo: „nisi quid leges impediant.“ De manumissione per *vindictam* Sigonius. *) *Meus*, mei iuris. De quo Priscianus apud Putschium c. 1113. „Pronomen possessivum vocativum habere non potest, nisi figurate velim dicere: o tue et non alienc, i. e. tui potestatem

*) „Qui manumittere servum apud prætorem volebat, manumittendi caput aut aliud membrum tenens, ad prætorem ita dicebat: Hunc hominem liberum esse volo, et emittebat eum e manu. Prætor autem, vindicta i. e. virga capiti eiusdem servi imposita, ita dicebat: dico eum liberum esse more Quiritum. Inde conversus ad lictorem, addebat: Secundum tuam caussam, sicuti dixi, ecce tibi vindicta! Tum lictor, accepta a prætore vindicta, caput servi percutiebat, faciem palma, tergumque verberabat; quibus peractis nomen manumissi in acta a scriba referebatur, adiecta caussa manumissionis.“ de Iudiciis 1, 13. cf. Cic. Top. 2. Lips. ad Tac. Ann. 13, 27. Heindorfium ad Hor. Sat. 2, 7, 76. Verba prætoris: „Ecce tibi vindicta!“ Romanis literis ita exprimebant: E. T. V. vide Sert. Ursatum de Notis Rom. Nominis originem vid. Liv. 2, 5.

habens, quomodo: ego sum meus. Euripides: ἐγω δε ἐμος εἰμι. Sed quamvis non careat ratione, tamen in usu non est.“ Quod vero in usu sit, ostendunt loca Ter. Phorm. 4, 1, 21. Ovid. Metam. 11, 725. Senec. Ep. 42, 7. 71, 35. *Masurius* Sabinus, eques Romanus, nobilis iurisconsultus sub Tiberio, scriptor Fastorum, Rer. memorabilium, Commentariorum de indigenis, de iure civili, de furtis. De eo Athenæus: Μασουριος ὁ παντα ἀριςος και σοφος, και γαρ νομων ἐξηγητης ἐδενος δευτερος, και περι μεσικην ἐνδιατριβων ἀει, ἁπτεται γαρ και των ὀργανων. Deipnos. 14, 18. Ut Persius h. l. ita Plinius Maior, Gellius et Macrobius subinde ad eum provocant. *Rubrica* a rubro colore, quo veteres titulorum inscriptiones vel capita legum consignare solebant. Hinc Iuvenalis 14, 192. „Perlege rubras Maiorum leges.“ Fiebat hoc distinctionis facilioris et memoriæ iuvandæ caussa, forsan etiam ut maiestas legibus adderetur, quod Prudentius significare videtur: „Dicant, cur condita sit lex Bis sex in tabulis, aut cur rubrica minetur, quæ prohibet peccare reos,“ in Symm. 2, 460. Quinctilianus Inst. Or. 12, 3, 11. cum „albo“ *rubricas* coniungit, quorum illud prætoris erat, hæ iurisconsultorum. Quantum libertus noster, vel ipsa conditione vitæ legaliter honestæ syllogismo suo addita, a vera libertate abesset, Cicero l. cit. docet, ubi sapientem dicit legibus non propter metum parere, sed eas sequi et colere, quia id salutare maxime esse iudicat. Huc spectant verba Senecæ: „Quam angusta innocentia est, ad legem bo-

num esse? Quanto latius officiorum patet, quam iuris regula? Quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt, quæ omnia extra publicas tabulas sunt?" de Ira 2, 27. et Plinii: „Neque minus apud nos honestas, quam apud alios necessitas valet." Epist. 4, 10. Huc denique pertinet responsum Aristippi, cum interrogaretur, quid præ ceteris hominibus eximium haberent philosophi: eos, si vel omnes leges interirent, eandem tamen vitæ rationem secuturos. *) Diog. Laert: 2, 68. Cum codd. Haun. 2 et 4. legimus: *notavit.* Receptam lectionem „vetavit" respuit Latinitas. **)

91–131. Libertum Persius iam meliora edocet, scilicet non prætoris esse, hominibus stultis et animo servis veram conferre libertatem; ipsum sensum communem iubere, ut artis imperitus eam non exerceat;

*) *Ἐαν παντες οἱ νομοι ἀναιρηθωσιν, ὁμοιως βιωσομεν.* Cf. definitionem libertatis apud Plutarchum de Auditione c. 1.

**) Provocant, qui „vetavit" defendunt, ad Cic. Fam. 10, 23. (Schützii ed. 847.) ubi legerunt: „vetaveram;" at Ernesti et Schütz ex suis mss. et edd. primariis restituerunt „vetueram;" „vetatus" quoque ex Statii Theb. 3, 550. adducunt Despauterius, Vossius aliique; at emendatioribus „vetanti" est editum. Quin meliore destituti auctoritate proferunt Cod. Iust. 11, 57, 2. „Quisquis vitem succiderit, aut feracium ramorem vetaverit &c." quem tamen locum depravatum ostendit cum illa verborum series, tum Cod. Theod. 13, 10, 1. ubi totidem fere verbis dicitur: „aut feracium ramorum fetus hebetaverit." Nec perfectum aliud, quam vetui, agnoscere videtur Priscianus, Putsch. c. 863.

ad libertatem requiri artem recte vivendi, i. e. verum a falso discernendi, liberalitatem a profusione et frugalitatem a sordibus alienam servandi, et cupiditatibus affectibusque imperandi.

91. 92. *Ira* et sanna hominis sunt monitoribus asperi. *Veteres aviæ* metonymice pro anilibus fabulis et deliramentis. „*Dum* stultam et arrogantem opinionem animo tuo eximo.“ Tumorem animi veteres in *pulmone* collocant. cf. 1, 14.

93–95. „Solus sapiens liber est; sapientis autem proprium est, vita recte uti, et officiis optime fungi, quarum rerum scientiam (animo) complectitur; eam autem scientiam tradere non potest prætor, proinde ne libertatem quidem; facilius enim prætor consequeretur, ut prægrandes isti militum calones, qui musicam numquam didicere, recte sambuca, quam vulgo in Gallia harpam appellamus, uterentur; ut enim illi, quia scientia modorum et cantuum carent, sambuca canere non possunt, sic qui scientiam vitæ non sunt adepti, officia vitæ non possunt recte obire, quare nec liberi esse.“ Turneb. Adv. 20, 1. *Tenuia rerum officia*, „tenues differentiæ, quas exigunt tempora, loca, personæ.“ Senec. Ep. 94, 55. Huc referendum Ciceronis illud: „Aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias: leges, quatenus tenere manu res possunt, philosophi, quatenus ratione et intelligentia.“ de Offic. 3. Ut scilicet probatum, quod qui vere sit liber, non solum, ut concessit libertus, ab illis abstineat, quæ

leges vetant, sed omnino ab omnibus, quæ rectæ rationi repugnant, et quod maius et minus in peccatis, quæ Stoicis æqualia sunt (Cic. Paradox. 3.) locum non habeat. Synizesis, qua duæ syllabæ vocis *tenuia* in unam contrahuntur, exempla vide Virg. Ecl. 3, 96. Georg. 1, 482. et inprimis Stat. Silv. 1, 4, 36. ubi *ui* non modo in *vi* contrahitur, sed etiam ob sequentem vocalem corripitur. *Usum vitæ permittere*, tuo arbitrio concedere. *Sambuca*, instrumentum musicum triangulum ex inæqualibus nervis. Vitruv. 6, 1. Macrob. Saturn. 2, 10. Exorta apud Athenæum quæstione de sambuca, dixit Massurius, „musicum esse instrumentum, acutum sonum edens, eoque usos esse Parthos et Troglodytas, quatuor fidibus tenso. *) Deipnos. 14, 34. Cum sambuca etiam erat machina militaris, qua urbes expugnabantur, et ita vocabatur per similitudinem, quod in machina funes, ut in organo chordæ intendebantur (Veget. 4, 21. Athenæus l. c. Festus) fuerunt, qui hac significatione usurpatum a Persio vocabulum existimarent, quod *calones* ministri erant militum, disciplinæ militaris rudes. Nec inficiandum, *sambucam caloni aptare* hoc sensu proverbialiter dici posse pro: munus impari et ab eo gerendo alieno committere. Verum hoc assumto, illud a calone alienum minus apparebit, et locus vi illa comica, quæ vulgari interpretationi inest, carebit.

---

*) ὀξεφθογγον εἶναι μουσικον ὀργανον την σαμβουκην . . χρηοθαι αὐτοι Παρθοις και Τρωγλοδυτας, τετραχορδοι ὀντι.

Augetur hoc ridiculum vocabulo *alto*, caloni adiecto, quod dixissem participium verbi „alo, ere,“ *) pro „bene pasto,“ nisi eo Columella 1, 9, 4. de statura uteretur, et Persius eo videretur expressisse vulgi opinionem, qua homines longi et prægrandes minus sunt ingeniosi, quod anima in longitudinem distenta resolvitur, unde Græci: ἀνοος ὁ μακρος.

96. 97. *Stare* c. non simpliciter est contradicere, sed in statu suo adversus obloquentem manere, dignitatem et auctoritatem suam retinere. „Garrire,“ cum ad homines transfertur, est „nugis molestis obstrepere,“ quod de ratione vel sensu communi non dicendum. Vulgari igitur lectioni „garrit“ præferendum videtur *gannit* nonnullorum codd. in quibus Haun. 2. 3. 4. 5. 6. Tigurinus, Wimariensis, et 10 Achaintrii, a recentioribus item editoribus Koenigio, Passowio, Orellio et Webero receptum. *Gannire* quidem animalium est, verum sensus proprius non indecens. Plōratum vapulantium explicat Donatus ad Terent. Adelph. 4, 2, 17. Rationis illud præceptum, quo admonemur, ut quarum rerum sumus periti, in his duntaxat tractandis versemur, abiit in proverbia notissima: „Ne sutor ultra crepidam,“ vel: „in messem alienam ne mittas falcem,“ et Ciceronianum illud e Græco fonte haustum: „Quam quisque norit artem, in hac se exer-

*) Nimirum si altus verum sit participium. Mavult alitum Priscianus, ad codices Ciceronis et Sallustii provocans, Putsch. c. 897. cf. Diomedem ib. c. 371.

ceat." Tusc. Qu. 1, 18. *) Quo etiam referendum Horatii ad villicum, alienam sortem suæ præferentem: „Optat ephippia bos piger, optat arare caballus: Quam scit uterque, libens (censebo) exerceat artem." Ep. 1, 14, 43. Expressius hoc Noster dixit, imperitum, quod tentet agere, *vitiare* agendo et contaminare. Codd. Haun. 4. 6. „Non liceat," Wimariensis: „vitiavit."

98. 99. Meram sed variatam repetitionem versuum duorum præcedentium Casaubonus pronuntiat. Consentiunt omnes recentiores interpretes, quorum Koenig, nulla fretus critica, locum insititium suspicatur. Antiquorum librorum, et quidem Hauniensium, nullus locum omisit. Passow autem (Ueber das Leben u. die Schriften des A. Persius Flaccus p. 136.) eum de scheda Persii desumptum, ultima litura caruisse, existimat. Nimirum tribuunt verbo *teneo* notionem „abstinendi," quæ quidem vera, sed huic loco minus apta, et tautologiam involvens. *Tenere*, cum ad animum referatur, est „cognoscere, intelligere." Inde sensus ita videtur accipiendus: „Lex publica et naturalis hoc præcipit, ut inscitia debilis saltim se debilem esse sciat, et impotentiam suam agnoscat." In præcedentibus dictum est de non agendo, quod vires nostras superat, in his vero sequentibus, de actuum

*) Versus est Aristophaneus, Vesp. 1422. ἐρδοι τις ἣν ἕκαστος ἐπίσταται τέχνην, quem etiam Propertius 2, 1, 46. ita expressit: „Qua pote quisque, in ea conterat arte diem."

eiusmodi, natura vetitorum, scientia, quæ, sensu licet vicina, non tamen sola dictione differunt.

100. 101. De usu *hellebori* in medicina Plinius H. N. 25, 5. Ponitur pro quovis medicamento. *Nescius examen*, „linguam vel lignum, quod mediam hastam trutinæ ad pondera adæquanda tenet“ (Vet. Schol. ad 1, 6.) debito pondere coercere, ne plus minusve, quam par est, ægroto propines.

102. 103. *Navem* accusativum, a Donato, Putsch. c. 1750. repudiatum, Latinis ceterum, et ipsi Ciceroni, usitatum, codd. approbant. Quin Varro apud Charisium navim ne dici quidem posse contendit, Putsch. c. 101. *Peronatus* a „perone,“ quem „calceamentum rusticum a Græciæ more tractum“ dicit Servius ad Æneid. 7, 690. cf. Iuvenal. 14, 105. Theophrasto itidem rusticitatis est, μειζω τα ποδος τα ὑποδηματα φορειν, Charact. eth. 4. *Luciferum* pro „die“ dictum, Heinsius ad Ovid. Fast. 3, 772. collatis 1, 46. 2, 567. probat, et cum navigationi obeundæ certos dies, ut aliis rebus agendis, captarent veteres, nostrum locum ita interpretatur, ut sit *luciferi rudis* imperitus illorum dierum, quibus navigatio sit instituenda. „Locus ille,“ addit, „interpretibus parum intellectus, dum *luciferum* simpliciter interpretantur pro stella illa, aut ad cognitionem siderum referunt. Sic et Aurora et Phoebus pro die, Luna pro nocte.“ Verum cum Koenigio opinor, minime falli interpretes, simpliciorem sequentes rationem, ut rusticus intelligatur, qui

vel luciferum, notissimam stellam, non novit, nedum alias stellas, a quarum ortu et occasu, ut veteres sibi persuadebant, tempestates nautis perniciosæ pendeant. Virg. Æn. 3, 513. Ovid. Trist. 1, 10, 13. *Melicerta*, Inus et Athamantis, Thebarum regis filius, qui, cum pater furiosus matrem persequeretur, una cum matre se in mare de rupe Moluride præcipitem dedit, miseratione Deorum in marinum numen Palæmonis nomine transmutatus. Apollod. 1, 9, 1. Pausan. 1, 44, 11. *Exclamet, periisse frontem de rebus*, omnem pudorem de rebus humanis ablatum esse, vel ex societate et commerciis hominum periisse. „*Frontem*, pudorem, templum enim pudoris est frons.“ Vet. Schol. Numen marinum ægre feret, suam ditionem ab hominibus adeo imperitis navigari. Exemplis a medico et gubernatore petitis præivit Horatius Ep. 2, 1, 114. „Navim agere ignarus navis timet; abrotonum ægro Non audet, nisi qui didicit, dare; quod medicorum est, Promittunt medici.“

104. „Tene recte vivere docuit ars vitæ humanæ, philosophia?“ Persius: *recto vivere talo* de homine, Horatius Ep. 2, 1, 176. *recto* stare *talo* de fabula dicit. Cuius locutionis originem investigaturus Turnebus, Adv. 18, 12. rem, ut solet, acu tetigit. *)

*) „Rectus talus esse videtur eorum, qui stant; qui cadunt, eorum non rectus. Hinc illæ duorum poetarum elegantes translationes: Horatii: Securus cadat, an recto stet fabula talo, et Persii: Tibi recto vivere talo ars dedit?

105. 106. *Ars*, quam scriptor Rhet. ad Herenn. 1, 2. „præceptionem“ definit, „quæ dat certam viam rationemque faciendi,“ philosophia est, Senecæ: „ars recte vitæ agendæ,“ et Epicteto: ἐπιστημη τυ βιυ dicta. Codd. Haun. 1, 6. Chemn. et plerique apud Achaintr.: „specimen.“ Tigurinus: „specimen veri.“ *Ne qua* species auri ære mixti te mendoso tinnitu decipiat. Falsa moneta legibus Romanis vetita erat, et peculatus crimine notata. Isid. Hisp. 5, 26. *Subæratum aurum*, Græcorum ὑποχαλκον χρυσιον, Latinis quidem auribus insolitum. Certe præferenda fuisset lectio codd. Haun. 2. 4. 5. 6. „sub ærato,“ si „æratum“ æque bene ac „ærosum“ hoc sensu Latine diceretur.

107. 108. „Num quid virtus, quid vitium sit, notasti, et quidem eo consilio, ut illam sequaris, hoc vites?“ Barthius, cum Advers. 45, 15. verbum futurum ero, fuero, forem, fore cum participio futuro iungi posse negat, hoc loco aliisque multis, etiam apud prosæ

Id eo dico, quod sententia facilius informatur, origine translationis non ignorata; qui enim eam indicat, veluti digitum ad fontem intendit. Talus autem in suffragine animalium talum habentium, dum stant, rectus est. Aristoteles de Hist. Animalium 2, 1. ἐχει δε ὀρθον τον ἀστραγαλον ἐν τῃ καμπῃ, το μεν πρανες ἐσω, το δε ὑπτιον ἐξω. (Legit ἐσω — ἐξω, quod in nostra editione legitur contrarium.) Sed et in talis lusoriis, cum ita evenit, ut talus in latera quatuor non cadat, sed in extrema, et tamquam capita, quod perquam rarum est, rectus esse dicitur. Cicero: ita iacere talum, ut „rectus assistat.“ Advers. 18, 12.

scriptores, refellitur. Pro *quæque evitanda* cod. Husumensis: „et quæ vitanda.“ Veteres bona et felicia albo, mala et infausta nigro colore significavisse, observavimus ad 1, 110. 2, 1. Horatius ita de filiis Arrii prodigis: „Quorsum abeant? sani *creta*, an *carbone* notandi?“ Sat. 2, 3, 246. Pythagoricum scilicet dogma erat, quod esset colore candido, ad boni naturam pertinere, quod atro, mali.

109. Stoicorum de frugalitate præcepta vide ad 3, 114. *Modicum voti*, animi, linguæ &c. Latini sæpius, non vero Augustei ævi scriptores dicunt. Cod. Paris. Weberi: „Et“ mod. quod Schreveliana editio adoptavit. *Lar* pro foco, ubi colebatur, et tota re domestica. Hor. Ep. 1, 1, 13. 2, 2, 51. *Pressus* ponitur copioso contrarium, ut in aliis frequentius, v. c. oratio pressa copiosæ.

110. Cod. Tig. et unus apud Achaintr. „astringis.. laxas.“ Descriptio liberalitatis ratione temperatæ. De ea philosophiæ præcepta vid. Cic. Offic. 1, 14. 15. 2, 18. Senec. de Beata Vita c. 20. 23. 24. de Benefic. 4, 10, 11. Plin. Ep. 9, 30. De *granariis* seu horreis, in quibus frumenta condebantur, multa Plinius H. N. 18, 30. Opponuntur cumeris, vasibus frumentariis, Hor. Sat. 1, 1, 55.

111. Omissis illis interpretationis minutiis de nummo in luto trivii fixo a pueris, ut sordidos irridendos cognoscant, *) apponamus typum huius descriptionis

*) „Solent pueri, ut ridendi caussam habeant, assem in silice

ex Horatio, qui similiter avarum liberum esse negat: „Qui melior servo, qui liberior sit avarus, In triviis fixum cum se demittit ob assem, Non video; nam qui cupiet, metuet quoque; porro Qui metuens vivet, liber mihi non erit umquam.“ Ep. 1, 16, 63. Iisdem utitur coloribus Petronius, cum avarum pingat: „Ab asse crevit,“ (cum initio vix haberet assem, tenacitate factus est dives, et) paratus fuit quadrantem de stercore mordicus tollere.“ Satyric. 45. Præivit satiricis cum verborum tum sententiæ mordacitate Lucilius, cuius hoc est in fragmentis: „Mordicus petere aurum e flamma expediat, e cæno cibum.“

112. „Nec voraci cupiditate lucro inhias? *Gluttus* vel glutus, vox onomatopoetica, qua fauces designantur, vel ea pars colli, qua cibi transmittuntur. Nam „glut“ est imitatio soni, quem edit liquor, per angustum tramitem means. „Gluttus a glutire,“ Grammaticus Caper apud Putschium c. 2248. „Percutit et frangit vas; vinum defluit; ansa Stricta fuit, glut, glut murmurat unda sonans.“ Vossius in Etymol. „L. Nec gluttu. In vet. gloss. scriptum est: Gluttus, βροχθος.“ Pithoeus. *Saliva* pro appetitu. „Quidquid (vini) ad salivam facit, in suburbano nascitur.“ Petron. 48. *Saliva mercurialis*, cupiditas devorandi lucri, cui præest Mercurius. Damasippo, lucri studiosissimo,

plumbatum infigere, ut qui viderint, se ad colligendum inclinent, nec tamen possint avellere; quo facto pueri etiam acclamare solent.“ Vet. Schol.

cognomen imponitur Mercuriale Hor. Sat. 2, 3, 25. et in inscriptione apud Gruterum p. 675. n. 7. Mercurialis et Mercator iuncta leguntur. *)

Novem hos versus 104–112. viri boni et sapientis χαρακτηρισμον merito dixit Casaubonus. cf. Hor. Sat. 2, 7, 83. Od. 4, 9, 45. Cic. Tusc. 1, 38–40. 5, 32. Senec. de Constant. 5.

113–131. Pergit in veræ libertatis descriptione, docens, non externam modo conditionem hominis, sed vitam, et quidem in minimis actionibus mutandam; servitutem animi, quam corporis, esse multo graviorem.

113. *Esto,* concedo, ut 2, 42. 4, 20. Græcorum εἰεν.

*) Erasmus, qui in Adagiis versum præcedentem ad lusum puerorum, a vetere Scholiaste dictum, retulit, hoc etiam loco lusum aliquem spectari existimat, quo ficos ioci caussa saliva oblinebant, ut ludibrio essent, qui tollerent. Antiquitus, inquit, morem fuisse, sicubi ficus repertus esset, cum veluti Mercurio sacrum suspendere; liberum autem fuisse, cuicumque libitum esset, tollere ficum Mercurialem, vel quod ille Deus furibus favere creditus est, vel iuxta paroemiam illam: κοινος Ἑρμης; inde συκον ἐφ' Ἑρμῃ de prompto et quibuslibet exposito beneficio dici. Idem observavit, sordidos et extreme avaros proverbiali nomine dictos esse συκοτραγιδας, ficivoros, ob vilitatem eius fructus, præsertim in Attica, ficuum et scommatum parente. Quæ quidem in medio relinquenda, cum a nullo interpretum ad hunc dubium locum illustrandum adhibita fuerint, non videbantur omittenda.

114. *Iove dextro*, ipso favente Iove, libertatis auctore. Hoc sensu Seneca ac Thrasea, mortem præsentem sentientes, libarunt Iovi „liberatori.“ Tac. Ann. 15, 64. 16, 35. Creber scilicet in ore Stoicorum Iupiter liberator.

115. *Nostræ farinæ*, eiusdem generis et conditionis nobiscum. Castius sic taxat Augustum, ut pistoris et numularii nepotem: „Materna tibi farina ex crudissimo Ariciæ pistrino &c. Sueton. Aug. 4. *Nostræ*. „Tantum enim nec Persius, nec alius quisquam e Stoicorum schola, sibi sumere ausus est, quantum iste homo vanus, ut gloriaretur, se vivere ut vellet, i. e. se liberum et sapientem esse; huius enim dignitatis fastigium in tam edito arduoque loco a Stoicis erat positum, ut fragilis et caduca mortalitas an ad id eniti posset, merito vel ab ipsis huius scholæ alumnis dubitaretur.“ *) Koenig.

*) Hoc an verum sit, dubitaverit forsan, qui postulata et præcepta Stoicorum revolvat, qualia sunt apud Diog. Laert. 7, 21. 119. 122. Arrian. 4, 1. Cic. de Fin. 3, 22. Paradox. 5, 1. 6, 1. Senec. de Constant. 5 et 8 &c. Verum conferat loca Sen. de Const. 7, 1. de Benefic. 7, 1, 3. Ep. 42, 1. 2. attendatque testimoniis Ciceronis: „Qui sapiens sit, aut fuerit, ne ipsi quidem (Stoici) solent dicere.“ Acad. Quæst. 4, 47. et Quinctiliani: „Stoici, si interrogarentur, an sapiens Zeno, an Cleanthes, an Chrysippus? respondeant, magnos quidem illos et venerabiles, non tamen id, quod natura hominis summum habet, consecutos.“ Inst. Or. 12, 1, 18. Enimvero illa sapientiæ in prærupto positæ descriptione altiloqua ho-

116. *Pelliculam* &c. Horatius Ep. 1, 16. non solum v. 45. simili locutione utitur, sed inde a v. 17. more Persiano in vitam Quinctii, qui vir bonus videri, quam esse maluit, inquirens, quis demum viri boni nomine dignus sit, ostendit. Proverbialis locutio, quæ sive ad asinum Cumanum, pellem leonis induentem, sive ad serpentes, pelliculam mutantes, referatur, Horatio solemnis est, ut Sat. 1, 6, 22. „propria non pelle quiessem," et 2, 5, 8. „pelliculam curare iube." Martialis item 3, 16, 6. cerdonem arrogantem, qui munera ederet gladiatoria, monet, ut „sua se teneat pellicula." Cod. Haun. primus cum Norimb. Paris. et Chemn. apud Weberum: „fronte polita." Wimariensis: „retinens."

117. *Astutam . . vulpem.* Horatius: „animi sub vulpe latentes." A. P. 457. Vulpi calliditatem et malitiam in apologis tribui, notissimum. Inde Latinorum: „vulpinari adversus vulpem," fallaciam fallacia pellere. *Vapidum*, quod de vino et musto corrupto dicitur, Persius ad quævis alia corrupta amat transferre, cf. 5, 77. 148. 6, 17. Hor. Sat. 1, 2, 12. Quare „vafro," nonnullis codd. receptum (Haunienses omnes legunt *vapido*) pro interpretamento potius, quam vera lectione habendum. Pro *servas* Tigurinus: „portas." Wimariensis: „servans."

---

nostos animos ad honesta erigere voluerunt, et ideam proponere aliquam summi quidem, sed humani, cui qui propior accesserit, is optimus haberetur.

118. „Libertatem, quam tibi nuper tribui ea lege, ut mores corrigeres, iam reposco, et servum te pronuntio.“ Cum Casaubono et codd. Haun. legimus *repeto*, quod huic loco convenientius. Ad verba tamen Casauboni: „repeto omnia exemplaria, non relego,“ monendum, alteram etiam lectionem Pithoeanam exstare in veterrimis codd. et quidem in Leidensis bibliothecæ exemplari pervetusto, cod. Parisino apud Weberum &c. et relegere et reducere, h. l. similia, ad *funem* referenda. Vide P. Pithoei Advers. 2, 4. et Heinsium ad Ovid. Fast. 5, 462. Pro *reduco* cod. Wimariensis: „repono.“ *Funemque reduco.* „Puerilis apud Græcos lusionis genus per attractionem funiculorum et intensionem. Aristoteles vocat ἀνταυσιν σπαρτιων. Proprio nomine ἑλκυστινδα legitur apud Pollucem. Eo alludit Persius, et non semel in alia sententia Tertullianus, apud quem „contentionis funem ducere“ et „contentioso fune deducere“ sæpius legas. Apud M. Tullium in Hortensio „calculum reducere“ ab alio genere lusus, idem prorsus significat.“ &c. Casaub. His, quod ad Romanos attinet, addendum: Credebatur lusus ille natus ab eo fune, quo introductus est equus ligneus in Troiam, cum nexis manibus fune chorum ducebant saltantes. Virg. Æn. 2, 239. Vide Donatum ad Terent. Adelph. 4, 7, 34. Loca Tertulliani a Casaubono citata videas 1. p. 190. 3, 276. 4, 370. ed. Semleri. Sed alia, et quidem clariora moris funem ducendi vestigia apud ipsos scriptores classicos exstant, v. c. Liv. 27, 37. Plaut. Poenul. Prol. 116.

Hor. Ep. 1, 10, 48. Sat. 2, 7, 20. quibus existimarunt eruditi aut choreas significari, in quibus præsultor et moderator funem ducebat, dum alii, eodem fune apprehenso, præeuntem sequebantur, aut lusionis genus, quo sparteam restim ductitabant pueri et tamdiu trahebant, donec aut rumperent, aut alteruter, omissa funis prehensione, in nates caderet. Nostro vero loco et Horatianis ante citatis, ubi de libertate agitur et servitute, non opus est illa longius repetita similitudine, cum sensus est in propinquo, metaphora tracta a iumentis, quæ fune et freno laxato liberius vagantur, reducto, serva se esse sentiunt.

119. „*Nil* omnino *tibi*, utpote stulto, *concessit ratio* vel sapientia, unde vera libertas; ergo ne minimum quidem corporis membrum sine culpa movere poteris.“ Stoici non nisi a sapiente recte aliquid, et ne quidem minimum, geri posse dicebant, omnes non sapientes stultos et peccata æqualia statuentes. *Digitum exserere* proverbialis locutio Stoicorum. Ita apud Plutarchum: *Ἐργων γαρ κατα τας ἀρετας ὀντων, ὀικειον ἐςι, τα προενεχθεντα και τουτων. ὀιον ἀνδρειως τον δακτυλον ἐκτειναι* &c. de Stoicorum repugn. 15. et *ἐδε τον δακτυλον καθηκει προτειναι χαριν ἀμεριαιας φρονησεως* &c. ib. 26. Lipsius pro *Nil tibi* legendum voluit „Ni tibi,“ quod et ed. Cantabrig. nullus autem codicum approbat.

120. *Et quid tam parvum est*, quam exserere digitum? Id quandoque maioris esse momenti, osten-

dit Cic. Or. in Verr. 1, 54, ubi „digitum tollere“ est signum patrui assentientis locationi Verris. *Nullo ture litabis*, nullo sacrificio impetrabis a Diis, ut &c.

121. *Stultis*, hominibus præter sapientem Stoicum omnibus, v. Cic. Paradox. 4. ὅτι πας ἀφρων μαινεται. *Rectum* pro vero, honesto et bono, ut plerumque Romani, Noster posuit. „Rectum est, quod cum virtute et officio fit. Id dividitur in prudentiam, iustitiam, fortitudinem, modestiam.“ Auct. ad Herenn. 5, 2. cf. Hor. Sat. 1, 1, 107. 2, 6, 75.

122. *Hæc*, (cod. Tigurinus: hoc) stultitiam et sapientiam, servitutem et libertatem, sibi contraria, *miscere nefas*. *Cetera**) *fossor*, pro homine insipido, ut *calo* v. 95. et *peronatus arator* v. 102.

123. „Obtinebis, ut in quibusdam tamen actionibus sapiens dicaris.“ Nec poteris tres tantum numeros exprimere Bathylli, satyrum saltatione imitantis. Treis et *tris* pro tres legitur apud antiquos; Haunienſium, quos sequimur, codicum, 2. 3. 4. 5. 6. *tris* exhibent.**) Husumensis: „tres tamen.“ *Moveri* pro

*) *Cetera*. „Hanc veram esse scripturam, non „cætera“ vel „coetera,“ quidquid contradicat Heumannus, præter Norisium, Fabrettum, Cellarium, aliosque, pluribus probat, præsertim ex antiquis marmoribus, Marin. p. 689.“ Car. Fea ad Hor. Od. 1, 9, 9. qui ad Epist. 1, 10, 3. probantes item attulit codices.

**) „Virgilius et tres et tris posuit eodem in loco ea iudicii

saltare. Hor. Ep. 2, 2, 125. „ut qui Nunc satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur," et A. P. 232. „Ut festis matrona moveri iussa diebus." cf. Ovid. A. A. 1, 501. Remed. Am. 755. Iuvenal. 6, 63. *Numerum* de motu saltantis dictum vide Virg. Georg. 4, 175. Lucret. 2, 631. „Saltator," ita motum illum Nonnus describit, „multos circulos faciens, volvebatur turbine plantarum, Nutu sermonem habens, os manu, vocem digitis." *) Casaubono, cum ad analogiam loci cit. Horatiani „Satyrum" pro *Satyri* legendum suaserit, membranarum nullæ consentiunt. Elegantiam vocat græcismum illum, quo melius caremus, appositione vocabulorum Satyri et Bathylli assumpta. *Bathyllus*, Mæcenatis libertus et delicium, cum Pylade, artis suæ æmulo, si non inventor, certe reformator erat saltationis, qualis ævo Augusti et sequenti tempore passim in scena versabatur, Italica dicta, a dramate separata. Actionum mythologicarum mimica erat imitatio, distincta, haud secus ac drama, tribus generibus: tragico, comico et satirico. Hinc inter ipsos artis auc-

---

subtilitate, ut si aliter dixeris mutaverisque, et aliquid tamen auris habeas, sentias suavitatem sonitus claudere. Versus ex decimo (Æneid. 350. 351.) hi sunt: Tres quoque Threicios Boreæ de gente suprema, Et tris quos Idas pater et patria Ismara mittit." Gellii Noct. Att. 15, 20. cf. Æneid. 5, 560. 8, 429. Ed. Heyn. Caton. de Re Rust. 127. Ed. Gesn.

*) . . . ἀγρομένοις γαρ Ὀμματα μουνον ἐθελγεν, ὁτε φρασθεσσιν ἐρωαις. Ὀρχηστηρ πολυκυκλος ἑλισσετο καλαπι ταρσων, Νευματα μυθον ἐχων, παλαμην φωνη, δακτυλα φωνην. Dionys. 7, 18.

tores facta est dividia, et in diverso saltationis genere contraria quoque factio instituta, ad discipulos per longam seriem transmissa. Primas in tragicis argumentis cum Pylades obtineret, Bathyllus in comico genere principatum sibi vindicabat. Erat Pyladea saltatio gravis, seria, fastosa, affectuum plena, Deorum, heroum, regum ducumque facta et personas imitans, Bathyllea vero pedestris, iocosa, tota in rebus lætis versata. Inducebat aut Satyrum saltantem, ad quem respicit Persius, aut Ledam, Iuvenal. 6, 63. ex quo loco discimus, quantis affectibus libidinosa hac saltatione accenderentur mulieres Romanæ. Quamvis Pylades in tragico et Bathyllus in comico genere excellerent, hunc tamen tragicas etiam, et illum comicas personas aliquando saltasse legitur, utrumque vero ista fabularum commutatione multum sibi disparem inventum. Ut Bathylleæ et Pyladeæ artis factiones ad posteros propagatæ sunt, ita utriusque successorum plurimi nominibus auctorum insigniti traduntur, Bathyllique aut Pyladæ dicti, licet non pauci aliter nominati fuerint. Vid. Tac. Annal. 1, 54. Dio Cass. 54, 17. Senec. Controv. 3 et 5. præf. Athen. Deipnos. 1, 57. Plutarch. Sympos. 9. Quæst. 15. Suid. in *Πυλαδης* et *Ορχησις*. Salmas. in Carinum Vopisci c. 19. &c.

124. 125. Pro *sumis* codd. Haun. 1. 5. 6. et Norimb. cum Chemnic. et Parisino Weberi: „sentis," forsan emendatum ad verba Horatii: „Unde datum sentis" Sat. 2, 2, 31. At *sumere*, cum verbum sit philosophicum, *τω λαμβανειν* Græcorum respondens, ap-

tior est lectio. *Nisi quem* (tibi) *vindicta relaxat*, a cuius dominatu virgula prætoris te liberavit. De hoc affectuum et vitiorum servitu, quem theologi corporis servitutem dicunt, ita Seneca Ep. 14, 1: „Multis serviet, qui corpori servit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert.“ Ep. 65, 21: „Maior sum et ad maiora genitus, quam ut mancipium sim mei corporis, quod equidem non aliter aspicio, quam vinculum aliquod libertati meæ circumdatum;“ et 92, 30: „Scit (sapiens) alibi positas esse divitias, quam quo congeruntur: animum impleri debere, non arcam. Hunc imponere dominio omnium rerum licet, hunc in possessionem rerum naturæ inducere. . Nemo liber est, qui corpori servit.“

126. Ad rem illustrandam exemplum servilis officii a domino acriter exacti proponit: *I puer, et strigiles* &c. Horatius item *strigilem* servilis officii notam ponit Sat. 2, 7, 110. Nec servis illud gratum fuisse, Petronius c. 91. docet. Pertinebat strigilis (Græcorum σλεγγις, ξυστρα) ad supellectilem balnearjam, quam Epictetus Arriani 4, 1. ita recenset: ὑδωρ, ἐλαιον, χειρες, ὀθονιον, ξυστρα, νιτρον. Nimirum loturi, vel sese exercitaturi, præsertim vero luctam inituri, vestes deponebant in apodyterio, et postquam laverant, ungebantur in elæothesio vel unctuario, atque ita ad pulveratorium vel konisterium transeuntes, pulvere conspergebantur. Peractis vero exercitationibus, strigilibus in frictorio detergebantur; in qua detersione oleum, pulvis et sudor, simul mixta, κονιαλος vel παιστ

dicta, in usum medicum asservabantur. „Distringi“ proprie dictos, qui ita fricabantur, discimus ex Plin. H. N. 34, 8. ubi de Polycleto: „fecit et distringentem,“ et paullo post de Lycippo: „fecit et distringentem se.“ cf. Plin. iun. Ep. 3, 5, 7. Augustum cutem læsisse „assiduo et vehementi strigilis usu,“ tradit Suetonius Aug. 80. Hinc forsan unctio strigilis, quo minus cutem læderet: „Sonat unctis Strigilibus (domus), pleno componit lintea gutto.“ Iuvenal. 3, 262. Sonabat, ferreæ enim plerumque erant strigiles, Martial. 14, 51. sed et corneæ, eburneæ, aureæ, argenteæ, æneæ. Æneearum, quæ olim inter rudera thermarum Traiani inventæ, iconem exhibet Hieron. Mercurialis de Arte Gymn. 1, 8. Vid. et Montfaucon Antiqu. illustr. T. 6. et de la Chausse de tesseris Tab. 9. *) Spongiæ etiam purpureæ strigilum loco adhibitæ. Plin. H. N. 31, 11. *Balnea* **) *Crispini*, an illius, de quo Iuvenalis 1, 26.

*) G. Fabricius in Descriptione urbis Romæ c. 18. tradit, se prope balneas Pauli, Iuvenal. 7, 233. dictas, corrupto nunc sermone Bagna Poli nominatas, formam strigilis et ampullæ, in proiecto lapide exsculptam vidisse. Legit ergo apud Iuvenalem *Pauli* pro Phoebi, quæ vulgaris et quidem optimarum editionum lectio est, sed suspecta, cum balnearum Phoebi nulla omnino, Pauli vero in descriptionibus frequens fiat mentio. Vid. Onuphr. Panvinius, Descript. urbis Romæ, Reg. 6. et Alex. Donatus de urbe Roma 3, 15.

**) In plurali *balnea* dici negabat Varro de L. L. 7, 25. 8, 41. et balneas modo agnoscebat. Nec aliter Cicero hoc utebatur vocabulo. At ille balneola, plur. diminutivi, di-

4, 1. incertum est. Balneorum Romanorum, qui exstant catalogi, nihil indicant. Nomen, si non fictum, opulenti cuiusdam est, qui domi suæ, ut Romanorum plurimi, balnea suis et amicorum usibus habuit.

127–129. „Si dominus aliquis hæc imperiosa voce dicat, addatque: *Cessas nugator?* eiusmodi servitium *acre* te non urget, nec ulla externa violentia te invadit et nervos tuos dolore afficit?“ Codd. Haun. 2. 7. cum Wimar. et Chemnic. Weberi: „increpui.“ *Quod nervos agitat*, Casaubonus scite refert ad neurospasta, σιγιλλαρια νευροσπασμενα, (Marionetter) comparationem Stoicis in servitio describendo solemnem, v. c. Antonin. 1, 16. 2, 4. 7, 5. cf. Herodot. 2, 48. Horatius in eadem re ab his imagunculis, non suis, sed alienis nervis mobilibus, similitudinem petit Sat. 2, 7, 81. cf. Heindorfium ad h. l. *In iecore* vid. 1, 12 et 25.

130. Codd. Tig. Wimar. Chemn. Husumensis et omnes Achaintrii: „nascuntur.“ *Quin tu impunitior. Quin*, lectio codd. Haun. 2. 3. 4. 5. 6. et Parisini apud

---

xisse reperitur in Hortensio apud Nonium 3, 24. Posterior et quidem Augustea ætas dixit *balnea*, vid. Liv. 23, 18. Hor. Ep. 1, 1, 92. 1, 14, 15. &c. Cf. Aus. Popma de Diff. Verb. l. 1. T. Ruddimanni Inst. Gram. Lat. cur. G. Stallbaum, P. 1. p. 110. et K. L. Schneider, Formenlehre p. 482. Cum vero balneas vel balnea de publicis dici, balneum de privato, ex Varrone ostendit Vossius Anal. 1, 37. nihil impedit, quo minus apud Persium *balnea Crispini* publicis usibus concessa intelligamus.

Weberum, videtur mutata in vulgatam „qui“ ob locum parallelum Hor. Sat. 2, 7, 105. Haun. primus: „quid.“ Tig. et Achaintrii: „qui.“ Interrogationem cum *quin* magis satiricam esse, recte monet Weber.

Domini in ægro iecore nati, quorum plures simul vitiorum servum misere in diversa trahunt, iam describuntur dialogismo. Inducitur primum pigritia, cui deditus ab avaritia excitatur 132–139.

132. *Surge* &c. Verba ignavum lecto importune excutientis. *Eia* non est corrigentis, sed hortantis, ut Hor. Sat. 1, 1, 18. Virg. Æn. 9, 38.

134. Haunienses 1. 2. 4. „en saperdam;“ 5. 6. „en saprædam,“ et 3. „sapardam“ cum „en“ superscripto. Tigurinus et plerique Achaintrii codd: „en saperdam!“ Hinc Achaintre ita edidit: „En saperdam!“ et interpretatus est: „o hominem vilis pretii, similem saperdæ! Donnerus pari modo legit et interpunxit, vertens: Fort Taugenicht! hole von Pontus Bibergeil &c. eam maxime ob caussam, quod vile genus piscium cum pretiosis, quæ sequuntur, mercibus coniunctum, sensui officere videretur. Cui censor Ienensis (A. L. Z. 1822. N. 198.) recte hæc obiicit, 1. viliorum etiam rerum interdum quæstuosam esse mercaturam; 2, verba: *advehe Ponto* tum ad omnes sequentes merces trahenda, verum *ebenum*, *tus* et *Coa* Ponto non advehi; 3, *saperdam* loco convicii de ignavo homine dici, non eo probari, quod meretrix σαπερ-

ϑιον dicatur apud Athenæum. *) Quæ cum ita sint, a vulgata lectione: „Saperdas adv. P.“ recedendum quidem videtur, sed cum Bondio et Wedderburnio interpungendum: *En, saperdam adv. P.* Vulgatæ quidem propius accessit exemplum Pithoeanum vetustissimum L. at non sine violatione metri, cum legat: „Et quid agam rogas? en saperdas a. P.“ *Saperda*, σαπερδης, lexicographorum aliis est piscis non pessimi saporis, aliis autem piscis ille, qui coracinus fluviatilis dicitur; Iac. Duporto, quod magis placet, piscis salsus, salitus, τεταριχευμενος ιχθυς. Prælect. in Theophrasti Charact. 4. cf. Diog. Laert. 6, 36. ubi saperda, quam Diogenes, novum discipulum experturus, eum per urbem ferre iussit, piscis est salitus. Cui vetus Scholiastes ad nostrum locum consentit, *saperdam* genus salsamenti explicans, quod ex pisce fit. Hoc piscium genus Romanis advehebatur ex Ponto, Asiæ minoris provincia super Euxino Ponto sita inter Halym fluvium et fines Colchidis, quæ etiam Cappadocia Pontica appellabatur. **)

*) Quin de eo, quod convicio est contrarium, *saperda* adhibetur. Ita Varro apud Nonium 2, 823. saperdam pro sapiente et festivo posuit. „Omnes,“ inquit, „videmur nobis esse belluli et festivi saperdæ, cum simus σαπροι,“ i. e. putidi; quod Scaliger ita explicat: „Omnes nobis videmur esse belli, festivi, salsi, cum tamen simus insulsi, nec in toto corpore habeamus vel micam salis.“

**) Ceterum Weberi, recentissimi interpretis, ad h. l. annotatio digna est, quæ cum superioribus conferatur: „*En!*

135. *Castoreum*, castoris testiculus (Bævergel). „Fibris, quos castores vocant, et castorea testes eorum.“ Plin. H. N. 32, 3. Etiam „Pontus virosa mittit castorea.“ Virg. Georg. 1, 59. Ad quem locum Servius: „Fibri canes sunt Pontici, quorum testes apti sunt

---

quid agam? Rogitas? En saperdam! advehe Ponto Castoreum. Ita recte Achaintrius, ut habent plerique eius codices, et Chemnicensis, nec non antiquiores editiones. *En saperdas,* quod in Wimariensi et quibusdam aliis invenitur, quodque metro adversatur, caussa fuisse videtur, cur in nonnullis libris solum *saperdas* legeretur, sicuti idem Pithoei lectionem *En quid agam? Rogat? en saperdas advehe P.* procreaverit. Verum *En saperdam!* unice rectum esse, tam codicum consensus, quam ipsius sententiæ, quæ inde oritur, ratio et gravitas mihi persuasit. Modo ne Achaintrii, et quæ eadem est, Donneri expositionem: O hominem vilis pretii, hominem similem saperdæ! probemus. Saperda est, Archestrato auctore apud Athenæum 3, 30. ποντικον ὀψον, merx etsi vilissima, non minus tamen, ac pretiosa, ab inexplebili avaritiæ cupiditate appetita. Et quam belle hoc! quam apte Avaritiæ, quod hominem ipsi deditum ægre excitat ad lucrum, eique quasi e longinquo saperdam, quæ ipsum exspectet, ostendit. Neque obstat huic explicationi, quod, uti monet Donneri versionis censor Ienensis, merces deinceps commemorantur, quæ ex Ponto non advehebantur. Nempe castoreum inde Romam apportabatur, teste Virgilio Georg. 1, 59. „virosaque Pontus castorea mittit,“ et Scribon. 175. „castoreum Ponticum.“ Et quidni ad verba *advehe Ponto* hanc solam inter reliquas referri liceat? *En! quid agam?* ab initio item codd. plerisque munitum, quia eo vividior dialogi forma fit, non mutavi, quamquam *Et quid agam?* non minus placet. *En* i. e. da bin ich, ut ἰδον nonnumquam apud Aristophanem.“

medicaminibus, propter quos ubi se requiri senserunt, eos secant.“ De his Cicero: „Redimunt se ea parte corporis, propter quam maxime expetuntur.“ Hinc Iuvenalis de castore: „Se Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno Testiculorum; adeo medicatum intelligit inguen. Sat. 12, 35. Quod Sestium tamen negasse, Plinius l. cit. prodidit. Negant et Dioscorides 2, 26. et recentiores zoologi. Probus Grammaticus ad locum Virg. cit. observavit, hoc animal etiam in aliis regionibus, quam in Ponto, nasci, non tamen tantam esse vim testium, quantam Ponticorum fibrorum. *Stuppa.* Vet. glossæ: κανναβις, σηβις, ἀγγατα. Scribitur et stupa, sed geminandum *p* suadet Italorum stoppa. v. Oudend. ad Sueton. Ner. 38. *Ebenum, tus.* Non hebenum, ob spiritum lenem etymi Græci ἐβενος; femininum non esse, ut arborum pleraque nomina, locus Virg. Georg. 2, 116 sq. ostendit, sed dubitationem, utrum masculinum sit, an neutrum, non tollit. „Sola India nigrum Fert ebenum, solis est turea virga Sabæis.“ Virg. Georg. l. cit. cf. Plin H. N. 12, 14. *Tus* scribimus sine aspiratione cum Varrone, Servio et Charisio, vid. 1, 45. *Coa*, vina ex Co insula, absolute posita ut sæpius apud Propertium et Ovidium, a Κοος, Κωως, Κωως et Κως, quæ varia illius sunt insulæ nomina. *Lubrica*, „lenia aut quæ ventrem solvant.“ Vet. Schol. De Coo vino Plinius H. N. 14, 8. et Horatius Sat. 2, 4, 29.

156. *Primus*, alios mercatores antevertens. „Cave, ne portus occupet alter.“ Hor. Ep. 1, 6, 32. „Ad em-

porium Orientis Alexandriam propera, quo piper defertur camelis.“ Qui merces in portu anticipat, eas carius distrahit. „Sicuti cum ficus primus propola recentes Attulit, et pretio ingenti dat primitu' paucos.“ Lucil. Ipse mercator orbis antiqui navis suæ cursum ad litora maris mediterranei, oceani proximi, quin Indici maris dirigebat. Hor. Od. 1, 1, 15. 1, 31, 13. 3, 24, 36. Ep. 1, 1, 45. Sat. 1, 1, 6. ad quem Satirarum locum cf. Heindorfium. Mercatorem Noster, ut Horatius sæpius, avaritiæ exemplum proponit. *Sitire* dicuntur cameli, quod „sitim et quatriduo toleraut, implenturque, cum bibendi occasio est, et in præteritum et in futurum, obturbata proculcatione prius aqua; aliter potu non gaudent.“ Plin. H. N. 18, 18. Quin diebus novem durare eos sine potu refert Tavernier, testis oculatus, Itinerar. T. 1.

157. *Verte aliquid.* Versura mercatorum verbum, et Vertumnus Deus invertendarum rerum, i. e. mercaturæ. *Iura*, si non pro „peiera“ positum, certe pro „cito et temere iura.“ Qui facile iurat, proclivis est in periurium. Merito igitur Theophrastus περὶ ἀπονοίας in perditi et profligati hominis characteribus posuit ὀμόσαι ταχύ, a quo propria et facilis via ad το ἐπιορκεῖν. „Solent ἀπονενοημένοι (ita Duportus ad loc. cit. Theophr.) iuramenta sceleribus suis prætexere, quibus illud solenne: „iura, periura, secretum prodere noli,“ et illud Euripidis: ἡ γλῶσσ' ὀμώμοκ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.“ *Sed Iupiter audiet.* Verba pigri, metu poenæ divinæ, non ipsius periurii flagitio, territi.

Heu! heu! &c. Responsum avaritiæ. Codd. Haun. 3. 4. 5. 6. Tigurinus, Husumensis, Wimar. et multi apud Achaintrium pro vulgari „Eheu“ legunt *Heu! Heu!* Loci itidem Virgiliani Ecl. 2, 58. Eheu! in Heu! Heu! mutatum invenio in edd. Burm. et Heyn. ut videtur, secundum observationem Grammaticorum ab Orellio citatam, quod sit scribendum heu! heu! ubi spondeus requiratur, eheu! ubi iambus. Eheu, quæ lectio est antiqua Pithoei et Haun. 1. semper tamen spondeum esse, contendit Grotefend, Lat. Gram. Vol. 2. Prosod. 7. et Zumpt, Lat. Gram. Ed. 4. p. 12. cf. Virg. Ecl. 2, 58. 3, 100.

138. 139. „Stultus eris, si iusiurandum colas; et nisi vel periurio rem quæras, vix sal tibi, quem delingas, suppetet, ac salinum tibi propter salis inopiam, ut micas et reliquias quasdam eius salini conchæ tenaciter inhærentes revellas, erit pene digitis terebrandum.“ Turneb. Adv. 20, 1. *Varo:* Codd. Haun. 1. 2. 4. 5. (Vare 3. Varre 6.) item Husumensis, Chemn. plerique Achaintrii, et edd. Casauboni, Schrevelii, Farnabii &c. „Varro:“ codd. Tigur. Wimar. et Luneb. „Baro:“ edd. antiquæ Pithoei, Bondii, Wedderb. nec non recentiores Passowii, Nasseri, Orellii, Weberi. Turnebus et „Varo“ et „Varro“ videtur legisse. Murmellius et quædam El. Vineti exemplaria: „Vare.“ Qui „Baro“ defendunt (defendunt vero acrius *) pro-

*) Ita Pithoeus in Advers. subs. 1, 8. „Quisquis,“ inquit, „Baronis nomen ei loco magis congruere non videt, vere baro est.“

vocant ad Cic. de Fin. 2, 23. Ep. ad Att. 5, 11. ad Fam. 9, 26. Petron. 53 et 63. item ad glossas Stephani: „Baro, βαυηλος," quod interpretibus Suida et Hesychio est homo fatuus simul et effeminatus, unde vox ad barones, viros nobiles, traducta. Qui pro „Varo" et „Varro" militant, vocabulum deducunt a „varis" seu „varris," baculis, perticis, hominibus duris, σκληροις, quos Aristophanes πρινινους dicit. Ita Lucilius apud Festum: „Varronum ac rupicum squarrosa incondita nostra." Hinc Varronum cognomen Romanum. Utraque pars auctoritate utitur veteris Scholiastæ, qui ad locum nostrum: „Lingua Gallorum," inquit, „barones vel varrones dicuntur servi militum, qui utique stultissimi sunt." Utrumque vocabulum scholiorum librarii videntur confudisse. Ciceronem etiam ubique „baro" scripsisse, minime exploratum est. Ita Erasmus *) Adag. ad vocem Varro legit in Ep. Cic. ad Fam. 9, 26. „Ille varro te putabat &c. ubi nos legimus: „Ille baro" &c. Qua confusione factum est, ut illa lis, in literis maxime posita, numquam resecetur. **) *Salinum regustatum*, quod aliquoties cum

*) De illo Dav. Ruhnkenius: „Quis minus coniectandi libidini indulsit, aut quis antiqua monimenta tractavit religiosius?" Præfat. ad ed. C. Velleii Paterculi.

**) Nimirum consonantium *b* et *v* commutatione Baro pro Varo vel vice versa scriptum fuisse, docent exempla bene multa. Ita placavile pro placabile legitur in vetere Romana inscriptione apud Thomasinum de Donariis Vet. p. 27. Hinc illa imperatoris Aureliani ambiguitas verborum,

eodem sale appositum est. *Digito terebrare salinum* de extrema paupertate dictum fuisse videtur formula proverbiali. Ita in epistola 7 Apollonii Tyanei locus est, nostro etiam in aliis simillimus: *Παντα φασι δειν τον ἐμπορον καλως σειειν. ἐμοι δε ἐιη την ἁλιαν τρυπαν ἐν θεμιδος ἐιχω.* De sale victu Romanorum frequentissimo vide 3, 25. Cod. Haun. secundus cum Tig. Husumensi et 4 apud Ach. „contemptus.“ *Perages* græca ellipsi positum pro „perages vitam.“ Ita Ælian. Var. Hist. 3, 10. *διαγειν ἐν ἐιρηνῃ* pro *διαγ. βιον.* Sed 1 Timoth. 2, 2. *ἱνα ἡρεμον και ἡσυχιον βιον διαγωμεν* vox elisa expressa est. *) *Si vivere cum Iove tendis.*

---

cum de potatore Bonoso diceret: „natus est ut bibat“ pro „ut vivat.“ Sic in antiquis libris scriptum reperimus Fabium Favium, Livium Libium, Laberium Laverium, Bituitum Vituitum, Avitum Habitum, Danubium, Danuvium. Quod Car. Fea ad Hor. Od. 4, 15, 21. hac de voce attulit, probare videtur, *v* non *b.* antiquæ fuisse lectionis. Soni ista variatio tribuenda est Græcæ linguæ, quæ, cum vetus, pronuntiatione Erasmiana nec dum corrupta, tum Neograecorum hodierna, *b* ante vocalem efferebat ut *v*, *Φλαβιος* scilicet ut *Φλαυιος*, *Δαβιδ* ut *Δαυιδ* &c. Etiam ante consonantem Romani, et primis quidem temporibus ob euphoniam, abfero pronuntiarunt ut aufero, abfugio ut aufugio; verum sæculo quinto commutatio literarum *b* et *v* adeo invaluit, ut regulas orthographicas de vero earum usu scriptis mandare necesse esset. Videatur v. c. Adamantius Martyrius apud Cassiodorum de V. et B. Putsch. c. 2295-2310. ad quem cf. K. L. Schneider Elementarlehre p. 226. Quare ex ea literarum variatione ætatem codicum concludere solitum est.

*) „Noli cum Forcellino (et Schellero) in verb. perago con-

Simile avaritiæ præceptum illud Gripi, piscatoris Plautini: „Isto tu pauper es, cum nimis sancte pius.“ Rud. 4, 7, 8. Cui quod pius senex reponit, vide in sequentibus. cf. Iuvenal. 14, 23 sq. ubi elementa vitiorum, inprimis avaritiæ, traduntur.

140-154. Iam ab avaritia persuasus se ad iter accingit, sed paratum ad navigandum luxuria compellat et a proposito amovere tentat.

140. „*Succinctus iam pueris aptas pellem*, involucrum sarcinarum et vas vinarium.“ *Pueris* item *oenophorum* imponitur Hor. Sat. 1, 6, 109. „Iam puer is:“ Codd. Tig. et omnes Achaintrii, sed duo modo Haun. (4. 6.) Quam lectionem ab ipso Achaintre adoptatam et ita explicatam: „iam puer, servus avaritiæ, is, vadis“ &c. merito explodit Orellius. Quæ Passowii et Orellii scriptura et interpunctio est, eandem Weber in editione Feder. Ceruti Veron. 1597. cum hac paraphrasi invenit: „Iam te accingis ad navigandum et accommodas sarcinas pueris, vidulum scorteum et oenophorum: celeriter ad navem te confers.“

141. *Ocius ad navem!* Ita distinguendum, ut verba sint hominis ad quæstum faciendum excitati ad

---

struere: perages terebrare, sed potius: perages, totam vitam ages, contentus terebrare; apud recentiores enim contentus haud raro cum infinitivo iungitur.“ Orellius. Hæc iam Murmellius, uti observavit Weber, recte construxit, ita explicans: „Si vis vivere ex Deorum præceptis, perages vitam in magna rerum egestate, contentus terebrare digito salinum iterumque gustatum.“

servos, quo vividior fiat oratio. *Ocius* ab ὠκυς, cuius comparativus ὠκιων. Qui „ocyus" scribunt, itidem ad positivum ὠκυς, sed alios gradus, ὠκυτερος, ὠκυτατος, provocant. Verum *ocius* scribendum suadent et notæ Tironianæ, et antiquum positivum „ociter," quod tamen obsoletum adeo est, ut Servius ad Virg. Æn. 8, 555. ipsum *ocius* antiquum positivum dicat. *Trabs* pro navi ponitur, ut 6, 27. cf. Virg. Æn. 3, 191. Hor. Od. 1, 1, 13.

142. 143. *Ægæum rapias*, rapide seces. Statius simili hyperbola: „rapere campum" dixit Theb. 5, 3. et „arripere iter" 1, 103. Rapere hoc eo significantius, quod insulæ et rupes maris Ægæi frequentes alveo et gurgite inde nato navigationem periculosam redderent, flantibus inprimis æstivis aquilonibus, quos etesias Græci vocabant. Homer. Odyss. 3, 169. 4, 499. Herodot. Euterpe 113. Plin. H.N. 2, 47. Am. Marcel. 22, 8, 2. Inde proverbium de re supra modum ardua tentata: τον Αιγαιον πλειν. Ita Lucianus in Sectis: ἐπι ῥιπον, ὡς ἡ παροιμια φησιν, τον Αιγαιον . . διαπλευσαι θελοντες. Quod in hominem ob lucri studium nihil omnino periculi recusantem apprime quadrat. Addimus locum ex epistolis Æliani, ab Erasmo in Adagiis citatum, ubi Laches, lucrum captans, Ægæum navigat, relicta agricultura: Γεωργιαν και γεωργειν ἀπολιπων ὁ γειτων Λαχης ἐπεβη νεως, και πλει τον Αιγαιον φασι, και ἀλλα πελαγη μετρει, ἐπικυματιζει, και λαρᾳ βιον ζῃ, και ἀνεμοις μαχεται διαφοροις. *Ægæum*, pars maris mediterranei prope Græciam,

pro mari Ægæo dicitur, ut supra in proverbiis, cf. Hor. 2, 16, 2. Plin. H. N. 9, 20. Ita et Αἰγαῖον et Αἰγαῖος Herodot. 2, 113. 7, 55. Luxuria *sollers*, callida; nam accipitur et in malam et in bonam partem, ut sollertia, cuius utriusque significationis exempla vid. Cic. Off. 1, 10. Claud. de Rapt. Proserp. 3, 32. Codd. Chemn. et Paris. Weberi: „ni sollers.“ Hauu. quartus et Husumensis: „moveat.“

144. *Quid tibi vis?* Græc. τί μαθὼν τοῦτο ποιεῖς; formula reprehendentis, cf. Hor. Sat. 1, 2, 69. 2, 6, 29. et Heindorf. ad h. l. *Calido sub pectore* &c. Ingeniose Casaubonus: „Luxuria masculum animum criminis loco obiicit militanti in suis castris iuveni, cui potius conveniat, molli atque effeminato esse animo; itaque insanire illum pronuntiat, et μελαγχολᾶν: is enim est *bilis* tumor, quem illi obiicit.“

145. *Cicuta* „genus liquoris est, quod calorem in nobis frigoris sui vi exstinguit.“ Vet. Schol. cf. Plin. H. N. 25, 13. Ea vel domari poterat æstus et fervor, quo poetæ calescunt. Hor. Ep. 2, 2, 55. Cod. Tig. et 1 Achaintrii: „exstingueret.“ Husumensis: „exstinxerat.“

146. Cod. Tig. et duo apud Ach.: „transilies.“ *Tibi torta* &c. „Usque adeone insanis, ut tibi cannabinis rudentibus sedem fulcire velis coenanti in transtro vice mensæ, et velis sedentem te sustineri funibus, et duros rudentes tibi sedile esse, qui in elegantibus et mollibus lectis discumbere solitus sis? Ergo *fulto*

non ad *transtrum*, sed ad hominem referendum est; nam *fultum* id, quod expressi, significat, vel auctore Plauto in Stico (1, 2, 37.) Mane pulvinum. A. Bene procuras mihi: satis sic fultum est mihi; Propert. 3, 6, 64: Et fultum pluma versicolore caput. Si tamen quis ad transtrum referat, non valde dissentiam." Turneb. Adv. 20, 1. *Cannabe*, abl. ἅπαξ λεγομενον et enorme, cum ob accus. cannabim et Græcam originem dicendum fuisset cannabi. Eiusdem formæ: base, Inscript. Grut. p. 63. n. 3. et quidem Plin. H. N. 36, 5. si vera sit lectio. De funibus cannabinis nauticis Plin. H. N. 19, 2.

147. *Cena.* „Hæc vox et aliæ: cenaculum, cenatio, cenatorium, cenaticum sine oe vel æ scribenda tum ex optimis mss. tum ex marmoribus, tum ex laminis æneis scriptis, vid. Marin. 1. p. 448 sq." Car. Fea ad Hor. Od. 2, 14, 28. Vinum agri *Veientani* erat vilissimum. Hor. Sat. 2, 3, 143. Martial. 2, 53, 4. 3, 49, 1. *Rubellum* erat, vel subrubens. Martial. 1, 104, 9. „Et Veientani bibitur fæx crassa rubelli." Ad l. cit. Horatii Porphyrion: „Pessimum vinum in Veiento," (Veientano, regione Veiorum, antiquæ Etruscorum urbis.) *)

*) Ruinæ urbis Veiorum ævo hoc nostro (1811) effossæ sunt in colle ad orientem solem prope vicum Isola Farnese, cum statuis marmoreis Augusti, qui urbem instauravit, Tiberii, Germanici, aliisque; cum columnis, capitulis et basibus magnarum ædium ac templorum indicibus;

148. „An vile hoc vinum, *vapida læsum pice*, foetida et male olente pice corruptum, *exhalet*, exhalando emittat tibi *sessilis obba?*“ Facilior certe erit interpretatio, si cum Koenigio sumpseris, epithetis permutatis intelligendum esse, sessilem obbam exhalare Veientanum vapidum læsa pice; vinum scilicet vapidum factum esse, quia pix, qua obturatum erat vas, læsa fuerat. Vir ille eruditus legit „fissilis“ cum Reizio, quem facilitatem potius, quam fidem criticam lectionum æstimasse constat. Facilis quidem et sensui conveniens est illa lectio, cum „fissilis“ non modo quod findi potest, sed etiam quod fissum est, denotat, vid. Plaut. Aul. 3, 2, 25. Qua de re Nic. Heinsius Advers. 4, 9. et ad Ovid. Art. Am. 3, 344. ed. Burm. „Ad *obbam* Persii obiter monendum, in vetusto codice Leidensis bibliothecæ exaratum me invenisse: „fissilis obba,“ quod impense placet, quamquam minime ignoro, „sessilem obbam“ erudite illustratum a Persii interpretibus. Sed „fissilis obba,“ non bene oblita, ac proinde vinum exhalans, quo vinum ipsum, per se deterrimum, fiat deterius.“ Præter Leidensem ita etiam legit Haun. codex 1. Quod ceterum editorum

---

cum inscriptionibus, in quarum una „Municipes. Municipi. Augusti. Veientis. Intramurani“ memorantur, aliisque publicis et privatis; ut amplius dubitari nequeat de urbis loco, eiusque instauratione ab Augusto. Inscriptiones plures, ibidem antea repertas, collegit Car. Fea in descriptione Villæ Albanæ. Vid. hunc interpretem Horatii ad Epist. 2, 2, 167.

nullus, vel antiquiorum, vel recentiorum, excepto Nassero, hoc „fissile," per se licet probabile, receperit, non temere factum videtur, cum membranæ et codd. quin ipsi Parisienses omnes, in vulgata lectione consentiunt. Nec *sess. obba* loco nostro videbitur inconveniens, si missa activa, interpretibus solemni, significatione: obba, quæ sedet, i. e. quæ planum et latum habet fundum, quo in solo sistit, nec pediculum habet, quo statui potest, vim passivam et primariam acceperis: in qua quis sedere potest, ut „tergum equi sessile" dixit Ovidius Metam. 12, 401. adeo ut *obba sessilis* sit dolium, sessui accommodum, quo cenantes in transtro loco scamni uterentur.

149. 150. *Quid .. peragant avidos sudore deunces?* Nimirum *peragant* codd. Haun. 2. 4. 5. 6. Norimb. Tigur. Putean. Pithoean. et 5 apud Achaintrium cum Husumensi; *sudore:* dicti 4 codd. Haun. cum Dresd. Hus. et exemplaribus ed. Berol. quæ lectiones facile præferendæ vulgaribus: „pergant sudare." Has tamen præfert Weber, et illas facilioris loci intelligentiæ caussa exortas existimat. „Peragant suadere," quod exemplum Pithoeanum L. exhibet, ad nævos huius codicis nimio plus laudati referendum. *Quid .. ut nummi, quos heic,* Romæ, *quincunce modesto,* usuris quinque pro centenis paulatim auxeris, præstent tibi *avidos deunces,* usuras undecim pro centenis, per avaritiam comparatas cum *sudore* et labore? *)

*) Modus computandi usuras, quo usi sunt Romani, multum ab hodierno differebat, et adeo intricatus iam ipsis vide-

151–153. Luxuria, quæ in præcedentibus libertum a turpi fenore dehortabatur, haud secus ac si virtus ipsa loqueretur (ita fallit vitium specie virtutis) iam veram personam induens, voluptatem summum

batur, ut pueros suos a tenera ætate hoc calculo erudiri curarent. Hor. Sat. 1, 6, 72. Ars Poet. 325. Nimirum sortem totam fenore occupandam dividebant in centena, de qua summa maxima, quam stipulari licebat, usura erat centesima in mensem, Columel. de R. R. 3, 3. Ea pars centesima singulis Calendis solvi solebat. Inde „celeres Calendæ“ Ovid. Remed. Am. 561. „tristes Calendæ,“ Hor. Sat. 1, 3, 87. Cum vero duodecim sint menses, quidquid per integrum annum usurarum præstandum erat, vocabant „assem usurarium;“ et quia assem in duodecim uncias distribuebant, quod singulis mensibus usuræ nomine solvendum erat, „unciam“ vocabant. Ergo uncia erat centesima pars sortis, quæ in singulos menses, tamquam usura, dependebatur; duodecim vero unciæ, vel partes centesimæ, quas singulis annis lucrabantur feneratores, assem usurarium constituebant. Hinc singula usurarum nomina. „Centesima,“ vel assis usura, legitimarum omnium maxima, singulis mensibus a centum denariis reddebat unum, adeoque vertente anno denarios duodecim, i. e. nostro loquendi more: duodecim pro centenis. Proximæ erant usuræ *deunces*, quæ tres quadrantes et duas duodecimas unciæ singulis mensibus, undecim uncias per annum, reddebant, i. e. undecim pro centenis. De quibus Persius; et ut usuras asses vel centesimas Romani maximas et gravissimas vocabant, ita *deunces avidas* vocat. Dextantes vel decunces usuræ ita decem pro centenis, besses, Cic. Ep. ad Att. 4, 15. octo pro centenis, septunces, septem pro centenis reddebant. Frequentissimæ usuræ erant semisses vel semissales, quæ semiunciam singulis mensibus, et semissem vel sex uncias in an-

bonum, et mortem ultimam rerum lineam prædicat. *Indulge Genio*, qui cum homine lætari dicebatur, ubi tristitiam vino dilueret, Hor. A. P. 208. contristari vero et defraudari, cum parce et duriter victitaret,

---

num præstabant, eæque „civiles et modicæ" dicuntur Plin. H. N. 14, 4. Conveniunt cum hodiernis, quæ sex pro centenis reddere dicuntur. *Quincunces* tertiam et duodecimam partem unciæ in mensem, quinque uncias in annum reddebant, i. e. quinque pro centenis. Eas usuras levioribus annumerat Ulpianus 7, 10. D. de Administr. Tutor. et Persius *modestas* appellat. Trientes tertiam partem unciæ in mensem, quatuor uncias in annum, i. e. 4 pro centenis; Quadrantes porro quartam partem unciæ in mensem, tres uncias in annum, i. e. 3 pro centenis reddebant. Sextantes vero sextam partem unciæ singulis mensibus, duas uncias vertente anno, vel duo pro centenis præstabant. Quæ denique duodecimam partem unciæ singulis mensibus, et integro anno integram unciam, vel unum pro centenis reddebant, dicebantur usuræ unciæ vel unciariæ, Tac. Annal. 6, 16. ex quo facile etiam patet, quodnam fuerit fenus semiunciarium Liv. 7, 27. Minime vero his usuris, ne centesimis quidem, contenta fuit feneratorum avaritia. Præterquam enim quod modum usurarum legitimum miris fraudibus evertebant, non dubitabant ii, qui malis incertisque nominibus credebant, usuras centesimis maiores stipulari. Tum vero et assem usurarium multiplicabant, et partes eius, exigentes aliquanto supra legitimam usurarum summam, v. c. binas, ternas, centesimas, ita tamen, ut numquam ab assis ratione discederent. Binas centesimas exactas a feneratoribus commemorat Cicero Or. Verr. 3, 71. triplicem usuram vel ternam centesimam Iuvenalis 9, 7. Quaternas usuras exegerunt Scaptius et Matinius, impudentissimi feneratorum, vel potius Brutus, qui eorum

Plaut. Aul. 4, 9, 14. Terent. Phorm. 1, 1, 10. *Nostrum est quod vivis.* „Mihi debes vitam, quæ absque voluptate mors est.“ *Cinis et Manes* &c. Eiusdem farinæ tristia illa solamina Horatiana: „Nos ubi decidimus, quo pius Æneas“ &c. Od. 4, 7, 14. et „Iam te premet nox, fabulæque Manes“ &c. 1, 4, 16. *Manes* Deos bonos veteres Grammatici interpretantur, inferos videlicet, vid. Macrob. Saturn. 1, 3. „Manum antiqui bonum dicebant,“ Serv. ad Virg. Æn. 1, 139. 3, 63. Inscriptiones marmorum eiusdem sententiæ citat Car. Fea ad Hor. Sat. 1, 8, 29. Aliquando per Manes etiam Larvæ et Lemures designantur. Vid. de animis et Manibus mortuorum Ovid. Fast. 2, 533 sq. ubi nunc umbræ, nunc animæ, nunc Manes, nunc Genii dicuntur. Apuleius de Deo Socratis: „Manes animæ dicuntur, corpori renunciantes Lemures; cum

---

opera in pecuniis fenori locandis utebatur, Cic. Ep. ad Att. 5, 21. 6, 1 et 2. Immo eo progressa erat feneratorum avaritia, ut ne quinas quidem usuras exigere dubitarent. Hor. Sat. 1, 2, 14. Quin Hadriani temporibus invaluerat, ut feneratores, creditis mille aureis, ex ea summa eodem momento deducerent centum, et cautione nihilominus in mille aureos concepta, usuras præterea centesimas in singulos annos stipularentur, easque vertente anno in sortem redigerent. Quod genus usurarum adeo fallax erat, ut intra sex annos sors duplicaretur. Anatocismus hic est, quem olim licitum fuisse, postea vero prohibitum, patet ex Cic. Ep. ad Att. 5, 21. Vid. J. G. Heineccii Antiqu. Rom. Iurisprud. illustr. 3, 15. et Gronov. de Pecunia Vet. 3, 13.

domus incursionibus infestarent, Larvæ appellabantur.“ cf. Heinsii Advers. 1, 2. Grammaticis (Schellero, Lexic. ad h. v. Schneidero, Formenlehre p. 101) cum cit. Apuleii locum unicum exemplum vocabuli Manes in singulari adhibiti dicant, ad hunc Persii versum respiciendum fuisset. *Fabula* dicitur id, de quo nihil constat, nisi quod sermone frequentatur, ut apud Ovidium: „Quid Pandionis restat, nisi nomen Athenis?“ *Hoc quod loquor inde est.* Frigidius, quam solet, Turnebus: „Inde proficiscitur mea oratio, ut ostendam tibi, brevem esse vitam“ &c. Adv. 20, 1. Est Horatianum illud: „Sapias, vina liques et spatio brevi Spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida Ætas: carpe diem, quam minimum credule postero.“ Od. 1, 11, 6. Nec placet interpretatio Casauboni, quod Persius uno verbo gravem e philosophia locum, a multis sapientibus tractatum tetigerit, vitam scilicet per singula momenta nobis perire, nosque semper, ex quo vivere coepimus, mori, non repente et ἀθρόως, ut male sanum vulgus putat; qua de re Seneca Ep. 24, 19. 120, 17. 18. Hoc a persona luxuriæ, quæ hic loquitur, alienum. Brevitatem vitæ commemorat, ut Epicuræi sæpius, gaudia non differenda monens, sed primo quoque tempore occupanda. *)

*) Expressior adhuc oratio, Epicuræis personatis digna, contra Stoicos, rigidos philosophiæ et virtutis defensores, Senec. Ep. 123, 9. „Una felicitas est bonæ vitæ, facere omnia libere, frui patrimonio. Hoc est vivere, hoc est se mortalem esse meminisse. Fluunt dies et irreparabilis

154–160. Anceps cura et miserum servitium hominis avaritiæ et luxuriæ illecebris irretiti et in utramque partem distracti describitur. *Dupl. scinderis hamo*, tamquam piscis, a duobus piscatoribus inescatus. *Hamus* Persii Propertio est „uncus, qui mento fixus, licet discussus, læsum tamen rostro suo premit.“ *Luctata canis . . catenæ.* Qui vitiis, quamvis reluctans, servit, ita Horatio „iam contento, iam laxo fune laborat,“ Sat. 2, 7, 20. et apud Senecam: „laxam catenam trahit.“ de Beata Vita 16. Locus integer ad rem illustrandam apprime facit: „Ei, qui ad virtutem tendit, etiamsi multum processit, opus est

---

vita decurrit. Dubitamus, quod iuvat, sapere et ætati non semper voluptates decerpturæ, interim dum potest, dum poscit, ingerere? Quid iuvat frugalitate ultro mortem præcurrere, et quidquid illa ablatura est, iam sibi interdicere? Non amicam habes, non puerum qui amicæ moveat invidiam; quotidie sobrius prodis; sic cenas, tamquam ephemeridem (diarium tuum et rationes) patri approbaturus. Non est illud vivere, sed alienæ vitæ interesse. Quanta dementia est, heredi suo procurare, et sibi negare omnia, ut tibi ex amico inimicum magna faciat hereditas? Plus enim gaudebit tua morte, quo plus acceperit. Istos tristes et supercilios alienæ vitæ censores, suæ hostes, publicos pædagogos, assis ne feceris, nec dubitaveris, bonam vitam, quam opinionem bonam malle.“ „Hæ voces,“ ita pergit Seneca, „non aliter fugiendæ sunt, quam illæ, quas Ulysses, nisi alligatus, prætervehi noluit.“ Illecebras Sirenum spectat, quibus ne Ulysses et amici in perniciem abducerentur, his aures cera obturaverat, seque manibus pedibusque malo iusserat alligari. Homer. Odyss. 12, 178.

tamen aliqua fortunæ indulgentia, adhuc inter humana luctanti, dum nodum illum exsolvit, et omne vinculum mortale. Quid ergo interest? quod alii alligati sunt, alii adstricti, alii districti quoque. *) Hic, qui ad superiora progressus est, ut se altius extulit, laxam catenam trahit, nondum liber, iam tamen pro libero." Pro „rupi" codd. Haun. 2. 5. 6. 7. *rumpi;* pro *et luctata* septimus: „eluctata;" pro vulgata „abripit" Tigurinus, Husumensis aliique multi cum Pithoeo: *„arripit,* i. e. ad se rapit.

161–175. Libidinem etiam imperiosam esse dominum, docet exemplo ab amante sumpto. De quo vet. Schol. „Hunc locum ex Menandri Eunucho traxit, in quo Davum servum Chærestratus adolescens alloquitur, tamquam amore Chrysidis meretricis derelictus; idemque tamen ab ea revocatus, ad illam redit. Apud Terentium personæ immutatæ sunt. Quod exemplum inducit ad similitudinem vitiorum, a quibus recedere non possumus. Hoc et Horatius et Terentius in Eunucho." Locus est apud Terentium Eun. 1, 1. ubi Chærestratus est Phædria et Davus Parmeno. Horatius integrum expressit Sat. 2, 5, 260 sq.

161. *Davus*, servile nomen in comoediis. Hor. A. P. 114. Observatum est, monosyllaba et dissyllaba nomina convenire servis, cuiusmodi sunt Mys, servus

*) Lipsio „alligati" est mollius vinculum, „adstricti," arctius, „districti," multiplex vinculum.

Epicuri, Geta, Syrus apud Terentium. Quo referendum apophthegma græcum: *πας δεσποτης δηλω μονοσυλλαβον, το δε ικετευειν, μακρον.* Contra nomina magnatum polysyllaba, ut apud Plautum: Megalodorus, Polypyrgopolinices. *Hoc credas iubeo.* „Firme aliquid iubere, velle est.“ Donatus ad Ter. Andr. 3, 3, 1. In controversia Grammaticorum de huius verbi usu dirimenda Ruddimannus Inst. Gram. Lat. 2. p. 133. multas congessit formulas, quibus hic locus addendus. *Finire . . meditor.* Horatius: „An potius mediter finire dolores?“

162. *Crudum unguem abr.* respondet Horatiano: „vivos rodere ungues“ Sat. 1, 10, 71. Gestus est meditantis, et nostro loco: secum agitantis de mutando, cuius poeniteat. Schellerus unguem *crudum* h. l. dixit durum, rigidum; potius dixerim „cruentum“ ab effectu. Ita nostrates: bide Neglene til Blods.

163. *Abrodens* fortius dictum, quam „arrodens,“ quod Heinsius ad Propert. 2, 4, 3. scribendum suadet. Codex quidem Haun. 1. „Arrodes,“ cui a recentiore manu *n* superscriptum; ceteri vero 2. 3. 4. 5. 6. *Abrodens.* Nec aliter codd. et editiones reliquæ cum Pithoeo; Husumensis tamen et Wimariensis „arrodens;“ Parisinus Weberi „adrodens.“ *Siccis,* sobriis, non ebriis. „Meum virum . . *siccum,* frugi, continentem.“ Plaut. Asin. 5, 2, 6. *Siccus,* abstemius vini, Hor. Od. 1, 18, 3. opponitur „uvido“ Od. 4, 5, 39. „uncto“ Ep. 1, 17, 12. et „vinolento“ Cic. Ac. Quæst. 4, 27.

164. Meretrix a rapacitate „lupa“ Isid. 18, 42. „ignis“ Donato in Ter. Eun. 1, 2, 5. „Accede ad ignem,“ i. e. ad meretricem, quia avida et avara est, ut ignis alimentorum;“ Plauto: „elecebra argentaria“ Menæchm. 2, 3, 26. ab eliciendo argento;“ hominum sorbens sanguinem,“ Bacch. 3, 1, 5. cf. Petron. 8. Iuvenal. 6, 125.

165. 166. „Dum noctu comessatum veniam ad domum Chrysidis, et exclusus *canto ante fores vino conspersas exstincta cum face.*“ Ante fores puellæ amator exclusus cantabat. „Primus amans carmen vigilatum nocte negata Dicitur ad clausas concinuisse fores; Eloquium fuit, duram exorare puellam, Proque sua caussa quisque disertus erat.“ Ovid. Fast. 4, 109. cf. Amor. 3, 8, 23. Cantabant *ebrii.* Fast. 5, 339. Exemplum ciusmodi canticorum Plautus exhibet: „Pessuli, heus pessuli, vos saluto lubens, Vos amo, vos volo, vos peto atque obsecro, Gerite amanti mihi morem amoenissimi, Fite caussa mea Lydi barbari,*) Subsilite, obsecro, et mittite istanc foras, Quæ mihi misere amanti ebibit sanguinem.“ Curc. 1, 2, 60. Clausam ianuam vino conspergebant. Ita Plaut. Curc. 1, 1, 80. „Extemplo, ubi vino has conspersi fores, De odore adesse me scit, aperit illico.“ et v. 88. „Agite, bibite, festivæ fores, Potate, fite mihi volentes, pro-

*) *Lydi* adolescentes dicebantur, qui saltandi duces erant in Circensibus scenicisque pompis, quod ludicri genus a Lydis, saltationi deditis, originem ducebat.

pitiæ." et v. 92. „Profundis vinum? quæ te res agitant?" Hinc Lena: „Flos veteris vini meis naribus obiectus est." 1, 2, 1. Græcis moribus illam vini profusionem deberi, docet Scholiastes Aristophanis in Pluto de amatoribus Laidis dicens: ἀντης δε πολλοι των Θεσσαλων ἠρασθησαν, και τω ἐρωτι τα προθυρα ἀντης οινω ἐρραινον. Fores etiam profundebant unguento, quod vetus Schol. h. l. ad *udas* trahit, (cod. Norimb. etiam „unctas" habet) quocum convenit illud Lucretii 4, 1170. „At lacrimans exclusus amator limina sæpe Floribus et sertis aperit, postesque superbos Ungit amaracino, et foribus miser oscula figit." cf. Martial. 10, 13, 8. Ovid. Metam. 14, 708. Totas interdum noctes ad fores transigebant non recepti. Ovid. Am. 2, 19, 21. Metam. 14, 709. Hor. Od. 3, 10, 19. Epod. 11, 20. Solebant autem, cum noctem frustra dominæ foribus invigilassent, deficientes et *exstinctas faces* ad ostium abiicere, quas dum vicini mane viderent, facile eo signo iudicabant, amatores eam noctem insomnem traduxisse, atque ita dominam, quæ ædes eas haberet, non nimis pudicam esse. Inde Propert. 1, 16, 7. „Et mihi non desunt turpes pendere corollæ, Semper et exclusi signa iacere faces." Faces et coronæ istæ signa ebriorum. *)

*) Idem Græcis signum fuisse ebrietatis, locus ostendit Plutarchi in Pyrrho c. 13. de Metone, qui, cum Tarentini a Romanis bellis urgerentur, et dies instaret, qua lex de Pyrrho in auxilium vocando ferenda esset, populo in foro sedente, sertum iam emarcescens capiti imposuit, et

167. *Euge .. percute.* Verba Davi, domino de poenitentia, quam seriam putat, gratulantis. *Pueri* vocabulum blandientis est, non ad ætatem referendum. Ita „pueri" Virg. Æn. 6, 832. et „sancte puer" de Augusto in Culice 36. „*Sapias* pro „si sapias," ut recte Priscianus illud Horatianum interpretatur: „Sapias, vina liques," Od. 1, 11, 6. et Persii 5, 167." Heinsius ad Ovid. Am. 1, 4, 29. „Si sap. qui tantum discrimen evaseris, *percute agnam* Diis nocentia *depellentibus*." Dii illi alias averrunci, averruncani dicebantur, Græcis ἀποτροπαιοι, ἀποπομπαιοι, ἀλεξικακοι, λυσιοι, φυξοι. Effingebantur scutica armati (Borioni Coll. Antiqu. Rom. Tab. 6.) vel gladio (Chaus. Mus. Rom.) Eorum sacra, quæ fiebant sacrificiis et precibus „Depulsoria" dixit Plinius H. N. 28, 2. Ἀποπομπαι ἡμεραι τινες, ἐν αἱς θυσιαι ἐτελουντο τοις ἀπομπαιοις θεοις. Hesych. Dii isti erant Hercules, Apollo, Dioscuri, et ipse Iupiter; singulis vero malis: Pallor et Pavor, Liv. 1, 27. Febris, Ælian. Var. Hist. 12, 11. Robigus, Ovid. Fast. 4, 907. Horatius, ex ingenti periculo servatus, Faunum Pana liberatorem celebrat, Od. 2, 17, 28. eique *agnam*, ut nostro loco, mactari dicitur. Ægyptiis etiam prope templa, Diis bona donantibus consecrata, erant minora, Typhoni, Deo averrunco, sacra, quæ etiamnunc videri traditur, Description de l'Egypte, Trois. Livr. Paris. 1818.

---

face sumpta ebriorum more, præcedente tibicina, in concionem prodiit &c. (λαβων ϛφαγον των ἑωλων, και λαμπαδιον, ὡσπερ οἱ μεθυοντες, αὐλητριδος ἡγουμενης αὐτου &c.

168. In *censen' e* interrogationis „ne“ per apostrophum, et propter hanc *s* verbi finale excidit. Ita *vin'* 6, 63. Husumensis: „censes.“

169. *Solea, puer*, non verbis solum, sed verberibus, obiurgabere. cf. Terent. Eun. 5, 8, 4. Iuvenal. 6, 611. Sueton. Calig. 20. Oth. 2. Hinc vet. Schol. „ab ea rubra solea vapules.“ *Rubra*, quod calceatum eius coloris mulieres amabant. Virg. Ecl. 7, 32. Mullei scilicet calceamenta illa rubra dicebantur, a mullo pisce, cuius rubentes squamæ sunt. Isidor. 19, 14.

170. Ad vocabulum *trepidare* et habitum animi amatoris illustrandum Casaubonus commode adhibuit distichon Propertii: „Ac veluti primo taurus detrectat aratra, Mox venit assueto mollis ad arva iugo; Sic primo iuvenes trepidant in amore feroces, Dehinc domiti posthæc æqua et iniqua ferunt.“ Illud verbum notionem „festinandi cum tumultu“ h. l. involvere puto, ut Hor. Od. 3, 27, 17. ideoque Passowium bene reddidisse: Brause nur nicht. *Arctos rodere casses* proverbiorum interpretes ita reddunt: „effugii occasionem quærere, etiam cum argumentis impliciti tenemur, aut alia ratione capti sumus.“ Codd. Husumensis et Parisinus Weberi: „artos,“ ut „arte“ pro „arcte“ sæpius apud Plautum.

172. *Quidnam igitur faciam? ne nunc, cum arcessar, et ultro supplicet, accedam?* Terentius: „Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem Cum arcessor ultro?“ Horatius: „Ne nunc, cur

ultro, Accedam? . . non si obsecret." Menander apud Donatum: ἐιτα τι ποιησω; Pro *ne nunc* Passow, Nasser et Orellius: „nec nunc," quibuscum faciunt cod. Tig. et ed. Murmellii. Vulgatam ceteri omnes servant præter Haun. 1. in quo *ne* manu recentiore mutatum in „nec." Nec opus est emendatione, cum *ne* h. l. positum est pro „ne quidem," quod Terentius expressit, Horatius vero omisit. Exempla omissi „quidem" post *ne* vid. Petron. c. 9. „cuius ne spiritus notus est." c. 47. „hoc solum vetare ne Iovis potest." Sueton. Aug. 35. „ne admissum tum quemquam." Pro *arcessar* varie legitur: „arcessor, arcessat, accersar, accersor, accersat." Nimirum verbo „accersere" sensus vocandi, huic loco conveniens, sed v. „arcessere" significatio contraria arcendi, prohibendi perperam tribuebatur. *) *Ultro*, sponte, vel si mavis: insuper, quæ vocabuli vis loco æque bene convenit.

*) De utroque verbo ita Velius Longus, vetus Grammaticus: „In eo quod est arcesso, accerso, putaverunt quandam differentiam esse, ut accerso sit voco, tractum ab acciendo, arcesso, summoveo, ab arcendo tractum. Sed erraverunt. Arcesso enim pro eo quod est arceo numquam positum est." Putsch. c. 2232. Et Vossius in Etymologico: „Multis argumentis evincere possumus, accerso per c non esse Latinum, sed posterioribus sæculis corruptum ex arcesso. Quo correctiores enim libri sunt et antiquiores, arcesso habent, non accerso. Nec novus hic error, sed a Charisio, Diomede et Agroetio inculcatus, sicut etiam glossæ veteres utrumque habent accerso et arcesso, in hoc autem meliores quam Grammatici, quia utrumque eodem sensu μετακαλεισθαι, μεταπεμπεσθαι

173. 174. *Si totus et integer illinc,* domo Chrysidis *exieras*, nulla tui parte apud illam relicta, non fracto animo ex amoris affectu, sed liber et tui iuris. *Hic*, *hic*, qui totus et integer exierat. Cod. Tig. „exieris, nunc nunc" cum nonnullis apud Achaintrium; „exieris" item Hus. Chemn. et Wimariensis. *Exieras*, *nec nunc* lectionem meliorem recte appellat Casaubonus. „Tu non liber es, quem ego liberum dico: alias te nunc fortem et constantem præstares, nec tam mobilis esses animo. Alterum si scribimus „exieris," alia existit sententia, sed minus opportuna." Weber.

175. *Non* est *in festuca*, vindicta seu virga præ-

---

exponunt, quem Grammatici quidam perperam distinguunt." Vid. et Grotefend Lat. Gram. Vol. 2. n. 202. In diversa discesserunt recentiorum aliqui, v. c. K. L. Schneider, Elementarlehre p. 257. Formenlehre p. 514. K. L. Struve über die lat. Decl. u. Conj. p. 215. Nostro loco codd. Haun. 5. 6. præferunt „arcessere," et 2, 45. non quidem omnes Passowio excepto, ut existimat Orellius (Haun. 1. et Lunch. legunt „accersis") sed plurimi habent „arcessis." „Arcessor" item legitur apud Terentium, quem Persius secutus est. Eum vero scripsisse *arcessar*, et sequens *supplicet*, et facilis in *a* et *o* commutandis librariorum error probabile reddunt. In Verrii Flacci, ipsius Augusti Cæsaris Grammatici, Calendario, Præneste reperto 1773. legitur apud Fogginium p. 43: Quod Mater Magna Ex Libris Sibullinis Arcessita Locum Mutavit Ex Phrygia Romam. vid. Car. Fea ad Hor. Epist. 1, 5, 7. et Sat. 2, 3, 261. ubi varia huius verbi orthographia ex mss. ostenditur.

toris, qua *lictor ineptus*, non ad veram libertatem ministrandam aptus, caput manumissi percutit, vid. v. 88. Ad vocem *ineptus* cf. Cic. de Oratore 2, 4. *Festucam* etiam pro manumissione dixit Plautus Mil. glor. 1, 4, 15.

176–179. Novum affert exemplum servitii, ambitionem, qua qui magistratum petebant favorem populi sibi conciliandum elaborarunt, civium quemque prensando, rogando, blande appellando, non proprio nomine, sed honestiore, ut patrem, fratrem, patronum salutando, quin congiariis dandis, prandiis præbendis, gladiatoribus exhibendis, pecuniis erogandis, in quæ munera multos patrimonia satis ampla consumpsisse constat. Quanta hac in re fuerit impudentia Romanorum, et ipsius Ciceronis de sua ambitione loquentis, loca ostendunt Epist. ad Att. 1, 17. ad Fam. 11, 27. de Petit. consul. 5 et 8. Or. pro Plancio 10. Codd. Haun. 5. 6. „iusne.“ Chemn. Wimar. et Haun. 2. 7. cum Passowio, Orellio et Webero: *ducit*.

177. *Cretata ambitio.* Qui magistratus ambiebant, non contenti insito lanæ colore, cretam addebant in vestem, ut candesceret et splenderet. Hac nota discreti a vulgo, dicti sunt Candidati. „Toga addita creta candidior et insignior.“ Isidor. 14, 24. De hoc cretæ additamento Livius 4, 25. „Placet tollendæ ambitionis caussa tribunos legem promulgare, ne cui album in vestimentum addere petitionis liceret caussa;“ et Plautus Aul. 4, 9, 6. „Qui vestitu et creta occultant

sese, atque sedent quasi sint frugi.“ *) Molesta cretatæ ambitionis officia Noster in sequentibus, ut fusius Horatius Sat. 2, 6, 23 sq. describit. *Vigila* non ad matutinam amicorum salutationem trahendum, recte sensit Koenig. Dictum est ut Ciceronis alicubi: „Vigila, ne tuam caussam deseras.“ Invigila his studiis, quibus itur ad honores. *Cicer.* Horatius Sat. 2, 3, 183. „fabas“ addit et „lupinos,“ quo legumine infima plebs, cuius gratia muneribus captanda esset, famem levare solebat. Art. Poet. 249. cf. Gronov. de Pecun. Vet. 4, 12. et Heindorf. ad locum Sat. Horatii cit.

178. *Rixanti* in legendis leguminibus, quæ in publicum spargebantur. In *Floralibus*, Floræ festis diebus, quarto Calend. Maii et ipsis Calendis celebratis, Ædiles cicer, fabas aliaque missilia plebi spargere assueverant, leporesque et capreas ludis admittere, noctuque accensis facibus cum multa obscenitate verborum per urbem vadere &c. De festi huius lascivia et origine Ovid. Fast. 5, 183 sq. 331 sq. Val. Max. 2, 10, 8. Schol. vet. ad Hor. 2, 3, 182. Lactant. Inst. 1, 20. Alex. ab Alexandro 6, 8. Onuphr. Panvin. de civ. Rom. c. 25. Errorem veterem, quod celebrarentur hæc sacra in honorem Floræ meretricis, refutavit Bayle Dict. v. Flora.

*) Ordinem dealbandi togas ita Plinius H. N. 35, 17. describit: „Primum vestis abluitur sarda (creta, quæ affertur e Sardinia) dein suffitur sulphure; mox desquamatur cimolia (creta a Cimolo, una ex insulis Sporadibus vocata) quæ est coloris veri.“

179. „*apricos* homines dicimus locis apricis gaudentes. Apricum quasi ἄνευ ψυχῆς, sine frigore.“ Serv. ad Virg. Æn 5, 128. „Apricos senes fortasse dicit apricatione gaudentes. Sunt, qui intelligant pauperes, qui cum unde focum calfaciant, non habeant, apricari solent, quod a Diogene factum legimus; et sane largitio illa fricti ciceris illi hominum ordini magis convenit.“ Turneb. Adv. 20, 1. Ceterum constat, Romanos, non senes solum, inter quotidiana valetudinis præsidia etiam usos fuisse sole, in quo vel sedebant, vel iacebant, vel denique nudi ambulabant: sole nimirum vel asso vel uncto: illo, cum illoti et sine unctione uterentur, hoc cum post balneum ungerentur, vid. 4, 18. Ut Noster *apricos*, Lucilius dixit „passos senes,“ qui, ubi vigor nativus deficit, igne et sole foveri gaudent. „Solent senes in hiberno sole apricantes et διλιθερμοῦντες circa meridiem calidiorem de nugis hoc genus garrire, unde Græcorum proverbium: μεσημβρινος λογος.“ Casaub.

180–188. Ultimum commemorat servitutis genus, superstitionem, exempla ponens hominum, qui peregrinis ritibus Romæ uterentur. Iudæi, Romanis quidem invisi, Romæ tamen invaluerant, sacrorum iure plerumque donati. De iis Cicero Or. pro Flacco c. 28. „Scis, quanta sit manus, quanta concordia, quantum valeat in concionibus. Summissa voce agam, tantum ut iudices audiant; neque enim desunt, qui istos in me atque in optimum quemque incitent... Huic barbaræ superstitioni resistere, severitatis: multitudinem Iu-

dæorum, flagrantem nonnumquam in concionibus, pro re publica contemnere, gravitatis summæ fuit.“ Et Quinctilianus conditoribus urbium infame dicit, „contraxisse aliquam perniciosam ceteris gentem, qualis est primus Iudaicæ superstitionis auctor.“ Inst. Or. 3, 7, 21. Apud Iosephum Antiqu. 14. varia referuntur Romanorum præsidum decreta, quibus illis avita sacra observare permittitur. Minus quidem honorifice Romanarum rerum scriptores eos commemorant, re ipsa licet consentientes. Ita Dio Cassius 37, 17. de Iudæis, bello a Pompeio oppressis, dicens: „Est id genus hominum apud Romanos etiam *) atque tametsi sæpenumero imminutum fuerit, ita tamen auctum est, ut et ad liberum rituum suorum usum pervaserit.“ **) Ex Philone de Legatione ad Caium discimus, Iudæos sub Augusto partem urbis trans Tiberim tenuisse, permissos ritu maiorum vivere, suas ibi habuisse proseuchas, in quibus cætus facerent, præsertim sabbatis, collecta primitiarum nomine misisse Hierosolymas, et certos homines, „qui pro iis offerrent victimas, nec tamen urbe iussos excedere, nec multatos iure civium, quin sumptibus Cæsaris quotidianas in eorum templo mactatas esse victimas &c. Caligulam illis minus propitium fuisse, ipsa huius legationis occasio docet. De Claudio tradit Dio 60, 6. quod cum Iudæi adeo frequentes Romæ fierent, ut difficulter sine tumultu pro-

*) *καὶ ἐξι καὶ παρα τοις Ῥωμαιοις το γενος τουτο.*

**) *ὡςε καὶ εἰς παῤῥησιαν της νομοθεσιας ἐκνικησαι.*

pter multitudinem urbe possent exigi, non eos quidem eiecerit, patriis tamen legibus vitam agentes non passus sit convenire. Ex quo vero (verbis dicam Ol. Borrichii in Antiqu. urb. Romæ facie c. 5.) sacra Iudæorum in ventos et ludibria vertisse visus est Titus Vespasianus, inter gentium contemptissimas eviluere, calcati ubique infames, et inter hominum mendicabula æstimati, ne iis fere alia, quam „cophinus foenumque supellex.“ cf. Iuvenal. 3, 14. 6, 541. 14, 100 sq. Tac. Hist. 5, 5. Annal. 15, 44. ubi nomen Iudæorum Christianis, iisque „odium generis humani“ tribuitur. Sacra Cybeles seu magnæ Deum matris novimus quo cultu e Phrygia allata a. u. 547. Liv. 29, 10. 11. Dion. Cass. 63. Ovid. Fast. 4, 269. quorum potissimum rationem arcessendi numinis, cærimonias et pompam Livius distincte narrat. Conf. quæ ad v. 172. ex calendario Verrii Flacci attulimus. Ægyptios, qui se itidem in urbem insinuaverant, superstitiosissimos hominum in variis rebus colendis *) dicit Dio Cassius 42, 34. cf. 50, 24. Apud eundem legimus, fana Isidis et Serapidis privato sumptu exstructa, iussu senatus deiecta esse, 40, 47. a Triumviris tamen restituta, 47, 15. Augustum quidem Ægyptiis Diis sacra fieri intra pomoerium non passum esse, templorum tamen curam gessisse, 53, 2. 54, 6. De turpitudine in sacris Isidis Romæ patrata, temploque eam ob caussam diruto a Tiberio, vide Iosephum, Antiqu. 18, 4. Eun-

*) θρησκευουσι τε γαρ πολλα περισσοτατα ἀνθρωπων.

dem imperatorem Suetonius Tib. 36. externas cæremonias, Ægyptios Iudaicosque ritus, compescuisse tradit, coactis, qui superstitione ea tenebantur, religiosas vestes cum instrumento omni comburere, Iudæorum iuventutem per speciem sacramenti in provincias gravioris coeli distribuisse, reliquos gentis eiusdem, vel similia sectantes, urbe submovisse, sub poena perpetuæ servitutis, nisi obtemperassent. Cum his tamen conferendus locus Philonis de legatione ad Caium, ubi ipse Iudæus iura Iudæorum, ad exemplum Augusti, a Tiberio servata esse dicit. Pompeiis anno p. C. 79 ignivomi Vesuvii cineribus tectis, nostra vero ætate retectis, ubi villa Ciceronis, Pompeianum, ipsi dilectissimum, erat, princeps ædificiorum, quæ peregrinantes visitare solent, Isidis est templum. Visuntur ibi Lotos, Cynocephali, Cercopitheci, aliaque cultus Ægyptii emblemata, aditus fontis, in quo sacerdotes lavabantur, podium Isiaci simulacri, sub quo angiportus, præstigiis sacerdotum aptissimi. vid. Friedländer Ansichten von Italien Vol. 2. De Romano Isidis cultu ita Lucanus: „Nos in templa tuam Romana accepimus Isin, Semideosque canes, et sistra iubentia luctus, Et quem tu plangens hominem testaris Osirin.“ Pharsal. 8, 831. cf. Iuvenal. 6, 488. 527. 531. 9, 22. 24. 12, 28. 13, 92. quæ loca etiam ostendunt, superstitionem, ut fieri solet, vitiorum fuisse matrem feracissimam. Isidis sacra Ciceronis ævo Romam nondum invecta fuisse existimat Winckelmannus von der Kunst unter den Ægyptern, Buch 2. c. 3. cui tamen confe-

rendum, quod obiecerunt editores huius operis recentiores Meyer et Schulze, Werke Band 5. p. 349.

180. *Herodis.* *) „De superstitionibus tractat ostendens, etiam qui superstitionibus sit deditus, servire. Hic Herodes apud Iudæos regnavit temporibus Augusti imperatoris in partibus Syriæ. Herodis ergo diem natalem Herodiani observant, ut etiam sabbati, quo die lucernas accensas et violis coronatas in fenestris ponebant.“ Vet. Scholiastes. Quem Casaubonus aliique secuti, Herodianos et ritus, quibus illi Herodem Magnum colebant, h. l. dictos existimant. Addunt, Herodianos sectam Iudæorum religiosam fuisse, urgentes locum Tertulliani: „Cum his (Pharisæis) etiam Herodianos, qui Christum Herodem esse dixerunt.“ de Præscript. Hæret. c. 45. cf. Epiphan. Hær. 20. Theophylact. in Marc. c. 3 et 12. Euthymium in Matth. 22. Vict. Antiochenum in Marc. 12. quibuscum faciunt Baronius, Apparat. ad Annal. Eccles. Casaubonus, Exerc. in Baron. Ios. Scaliger, Animadv. ad Euseb. Grotius in Matth. 16 et 22. &c. Hi omnes Herodianorum κυριαν δοξαν existimant, Herodem M. fuisse Messiam, τον ἐν πασαις γραφαις νομω τε και προφητων προσδοκωμενον, ut dicit Epiphanius, quod in illo Iudaicorum regum successio finem habuerit, iuxta promissionem Genes. 49. Ut vero tacendum, illos omnes

*) Genitivus regularis nominis haud barbari, sed Græci, Ἡρῳδης, ου. Genitivum Herodæ, Priscian. Putsch. c. 705. Latini ignorant.

sublestam Patrum, ab Herodianorum ætate longe dissitorum, traditionem secutos, nullo firmo niti fundamento, omnem superat fidem, Iudæos eo prolapsos esse dementiæ, ut hominem alienigenam, nec Iudæum, agnoscerent pro Messia, quem e tribu Iudæ, et quidem e progenie Davidis oriturum, sacri codicis noverant auctoritate: Matth. 22, 42. Accedit, quod Herodes M. tum ob infanticidium, tum ob nimium Romanis placendi studium, tum ob exstructum templum Samaritanum, Iudæis nimis esset exosus, adeo ut pro Messia eum numquam essent excepturi. Vid. Goodwin Moses et Aaron 1, 13. I. G. Carpzow Appar. hist. crit. antiqu. s. cod. Annot. in Goodwin 1, 13. Baumgarten Geschichte der Religionspartheien p. 295. Starck Gesch. der christl. Kirche des ersten Iahrh. 1, 187. qui Herodianos civilem modo factionem fuisse existimant. Porro, qui Herodianos hæreticis accensent, eos Herodis natalem diem superstitiosis sacris et festivitatibus quotannis celebrasse dicunt, ad quod confirmandum provocant ad verba Scholiastæ supra citata. At natalem Herodis M. festo quotannis ritu, etiam post regis fata, celebratum, universa ignorat antiquitas. Nec vetus ille interpres assecutus est mentem Persii, qui non agit de Iudæorum sectariis, sed de iis, qui Romæ Iudaicam superstitionem amplectebantur, et dies feriatos gentis Iudaicæ religiose observabant. *Dies Herodis* dixit, quod Herodes rex, una cum posteris, Romæ satis notus, et longe, quam Iudaici ritus, celebrior, Iudæorum genti nomen notamque facile conciliabat. Vid. Sam.

Petiti Var. Lect. 2, 1. *Herodis* ergo *dies* in genere sunt festi dies populi, qui paruit Herodi, i. e. Iudæorum. Religionem Iudæorum in sabbatis observandis Romanorum acutiores ridere solebant. Hor. Sat. 1, 9, 69. Martial. 4, 4, 7. Ovid. Remed. Am. 219. Sueton. Aug. 76. Dio Cass. 37, 16. 49, 22. 66, 7. Hinc *uncta fenestra.* Cum Casaubonus, citatis verbis Greg. Nazianzeni: μηδε μιαρων διαχυναις τραπεζας, hæc ad mores veterum paganorum, diem lætum celebrantium, referat, nescio cur non potius, ubi sermo sit de Iudæis et sacris eorum solennibus, retulerit ad mores veterum Hebræorum, quibus oleo quævis perfundendi sacer erat ritus. Genes. 28, 18. 35, 14 &c. Cui vero hoc longius repetitum, oleum autem ex lucernis exsudans et fenestras inquinans in propinquo esse videatur, ideam et sordidis Iudæorum moribus et stilo satirico dignam haud impedio.

181. *Lucernas*, accensa, appensaque lumina ad ferias Iudæorum pertinuisse, notum est ex sacris literis et ex Iosepho Antiqu. 12, 11. Mos quidem erat apud Romanos, lucernas accendere in honorem Deorum, Iuvenal. 12, 89 sq. sed invalescentibus ritibus Iudaicis etiam sabbati diem illa superstitione videntur coluisse. Vid. Ruhkopf, editorem Senecæ, ad Ep. 95, 47. *) Lucernæ *vomentis pinguem nebulam* (Seneca

*) Quem locum hac in re vere monitorium iuvat apponere: „Accendere aliquam lucernam sabbatis prohibeamus, quoniam nec lumine Dii egent, et ne homines quidem delec-

„fuliginem“ dixit) sordidum Dei cultum significant. *Vomere* de magna insignique copia usurpatum vide Virg. Æn. 5, 682. 8, 681. Georg. 2, 462. Pro *dispositæ* cod. Chemn. „depositæ.“

182. 183. *Portantes violas.* „Coronatæ violis ritu Iudaico.“ Marcilius. Locus parallelus Iuvenal. 12, 90. „Omnes violæ iactabo colores,“ rem explicat: violæ, quippe quæ plurium colorum, corollis erant aptissimæ. Ad fenestras et ianuas suspendebantur lucernæ, floribus coronatæ. Cum putida Reizii emendatione: „portantes nebulas“ nullus codicum facit. *Rubrum cat.* Romani, ut in soleis 5, 169. ita et in patellis et urceis, amabant hunc colorem. Martial. 11, 28, 5. 14, 114, 1. 14, 106, 1. *Thynnus*, vel thunnus, genus quoddam sturionum, quod membratim cæsum cervice et abdomine commendabatur; cetera parte plenis pulpamentis sale asservabatur. Plin. H. N. 9, 15. cf. Martial. 4, 89, 5. 10, 48, 12. Hor. Sat. 2, 5, 44. ad quem locum vide Heinderfium. *Amplexa* exprimit

---

tantur fuligine. Vetemus salutationibus matutinis fungi, et foribus assidere templorum; humana ambitio istis officiis capitur. Deum colit, qui novit. Vetemus lintea et strigiles Iovi ferre, et speculum tenere Iunoni. Non quærit ministros Deus; quidni? ipse humano generi ministrat; ubique et omnibus præsto est. Audiat licet, quemadmodum se gerere in sacrificiis debeat, quam procul resilire a molestiis et superstitionibus: numquam satis profectum erit, nisi qualem debet Deum, mente conceperit, omnia habentem, omnia tribuentem, beneficia gratis dantem.“

caudæ latitudinem, quam quinque cubita et palmum effecisse, Plinius dicit l. cit. Addit, thynnos interdum talenta quindecim pependisse, quæ, si talenta Romana acceperis, libras mille et octingentas, si Attica, nongentas continent. „Thynnum ad templum diebus festis portare solebant, ut ibi pro die festo epulis vescerentur.“ Vet. Schol. De thynno in hunc sensum poetæ gastronomiæ peritissimi citati apud Athenæum, Deipnos. 7, 63. 64. Ita Archestratus: τουτου δε θεοις χρη ὀψωνειν. ἁ πρεπει ταχεως, και μητ' ἐριζειν τιμης, et Eriphus: ὑπογασριον θυννακος . . ὐδε μακαρας ὑπερορᾳν ὀιμαι θεους. Pro „templo“ veteris glossæ Marcilius sabbatum et proseuchas ad mentem Persii intelligit. Hoc quidem in medio relinquendum; Persium vero *thynnum* tamquam rem sacram dixisse, dubitationem non habet, cf. Lil. Greg. Gyraldi Pythag. Symb. interpr. Opp. Vol. 2. p. 652. Sed dixit *caudam thynni*, partem vilissimam. „Vilissima, quæ caudæ proxima, quia pingui carent, probatissima quæ faucibus.“ Plin. l. cit. quod ad satiricam descriptionem festivitatis Iudaicæ, sordes plerumque redolentis, forsan referendum.

184. „De σεβομενοις, metuentibus, i. e. proselytis loquitur, non de Herodianis. Illorum vestigia supersunt et in lapidibus v. c. Gruteri p. 271. n. 11. Aur. Soter et Aur. Stephanus Aur. Soteriæ matri pientiss. religioni Iudaicæ metuenti.“ Orellius ad h. l. Crediderunt scilicet gentiles (an iniuria?) metum quendam Iudæorum sacris immixtum, et sine coactione aliqua tot cærimonias observari non posse. Ita Iuvenalis 14,

96 sq. ubi parentes Romanos liberis Iudaicæ superstitionis auctores reprehendit, eodem utitur vocabulo: „Quidam sortiti metuentem sabbata patrem . . Iudaicum ediscunt et servant ac metuunt ius, Tradidit arcano quodcumque volumine Moses.“ Et cum non temere existimabant, in eo differre pietatem et superstitionem, quod hæc metu alatur, illa secus, ut vere dixit Platonicus Maximus Tyrius, *) totam religionem Iudaicam, sibi modo ex parte et ex cærimoniis notam, superstitionis nomine notabant. *Labra moves tacitus*, frequentas Iudæorum proseuchas (loca precibus sacra) et cum ipsis precationes demurmuras. *Recutita* pro recutitorum. Circumcisi Iudæi eo nomine infames Romanis erant, et per contumeliam recutiti, nudata glande, verpi, apellæ vocabantur. Martial. 7, 29, 5. 7, 81, 6. 11, 95, 2. Hor. Sat. 1, 5, 100. Petron. 68. Ita ψωλος et ἀπεψωλημενος eodem sensu apud Aristophanem. Alia Romanorum de Iudæis eorumque suos ritus propagandi studio acerba iudicia vide Hor. Sat. 1, 4, 143. 1, 9, 69. Ovid. Remed. Am. 219. Iuvenal. 3, 14. 296. 6, 158. 541. Martial. 4, 3, 7.

185. *Tunc*, adde inania illa terriculamenta, quæ superstitiosis obiiciuntur, qualia sunt &c. Bene vet. Schol.: „Non dicit *tunc*, cum hanc religionem observas, sed hoc dicit: diversi generis superstitio te versat.“ Attamen nescio an hoc et sequ. loco potius „tum“ po-

*) ὁ ἰνσεβης ἐρχεται προς τον θεον ἀνευ δεως, ὁ Δεισιδαιμων μετα πολλε δεως.

nendum fuisset, cum non præcedat nunc, cui *tunc* cogitetur contrarium. Codd. Hus. Wimar. et Chemn. utroque loco „tum.“ Horatius plurà eius generis terricula enumerat: „Somnia, terrores magicos, miracula, sagas, Nocturnos lemures, portentaque Thessala.“ Ep. 2, 2, 208. *Lemures* „animas dixere silentium, (mortuorum) Is verbi sensus, vis ea vocis erat.“ Ov. Fast. 5, 483. Lemur pro Remur dictum, ut Lemuria pro Remuria, (sacra ad placandos lemures) a Remo interfecto, cuius species, fratri Romulo obiecta, eum miris modis perterruisse dicitur. Ovid. Fast. 5, 421. 479. *Ovoque pericula rupto.* „Sacerdotes, qui explorandis periculis sacra faciebant, observare solebant, ovum igni impositum utrum in capite i. e. in summitate, an in latere insudaret. Si autem ruptum effluxerat, periculum ei portendebat, pro quo factum fuerat, vel rei familiari eius.“ Vet. Schol. Ovorum in sacris frequens usus veterum. Castori et Polluci, utpote ex ovo prognatis, consecrata erant, iisque prope metas positis currentium spatia notabantur. Alex. Donatus de Urbe Rom. 3, 14. In Cereali pompa ea prima fuisse, Varro de R. R. testatur. In orgiis Bacchicis ovum sacratum erat, ut exemplum omnia gignentis et in se continentis, ὡς μιμημα τα τα παντα γεννωντος και περιεχοντος ἐν ἑαυτῳ. Plutarch. Symposiacon 2, 3, 2. De quo plenius apud Macrobium Saturn. 7, 16. Propius vero huc pertinet ovi in exsecrationibus usus, de quo Plinius H. N. 28, 2. „Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit. Huc pertinet ovorum,

ut exsorbuerit quisque, calyces cochlearumque protinus frangi, aut eosdem cochlearibus perforari.“ Sæviebant nimirum stylis æneis acubusque veneficæ in testas ovorum, nomina vel simulacra eorum, quos devovendos sibi proponebant, additis incantamentis, nonnumquam et igni hæc admovebant. Ovid. Heroid. 6, 91. Amor. 3, 7, 29. Quod veneficium ut averterent, qui eo se lædi existimabant, ovorum cochlearumque putamina frangebant. Illius superstitionis vestigia etiamnunc reperiri, notum est. Huc etiam referendum augurium Liviæ Drusillæ ex ovo captum. Plin. H. N. 10, 55. Sueton. Tib. 14.

186. *Tunc grandes Galli.* Ita legerunt codd. Haun. 2. 3. 4. 5. 6. vet. Scholiastes (Editio El. Vineti et cod. Haun. 1. cum tribus p. 480. dictis: „Tum“) Murmellius, Bondius, Marcilius, Wedderburn, Passow, Orellius et Weber, quod lectioni „Hinc“ præferendum. *Galli*, sacerdotes Cybeles, Deæ Phrygiæ, cuius etiam cultus ad Romanam superstitionem pertinebat. „Galli vocabantur a Gallo, flumine Phrygiæ, cuius qui aquas biberat, ita furere incipiebat, ut se ipse castraret.“ Festus. *Grandes* dicuntur, ut Archigallus, antistes eorum, „ingens,“ Iuvenal. 6, 511. Ille ab eodem 2, 112. ita describitur: „Crine senex fanaticus albo, Sacrorum antistes, rarum et memorabile magni Gutturis exemplum, conducendusque magister,“ i. e. dignus, qui ad instituendos gulosos Romanos conduceretur, cum aliis obscenitate et gula antecelleret. Auctoritatem horum sacerdotum multum apud Romanos, præ-

sertim apud mulieres, valuisse, uterque locus Iuvenalis docet. Ova etiam illos in lustrationibus adhibuisse, ostendit 6, 117. *Cum sistro.* Hoc externorum rituum instrumentorum, quæ iubente Tiberio combusta diximus, unum et Ægyptiorum præcipuum. *Sistrum* Isiacorum erat, ut cymbalum Gallorum. *)

*) „Ad figuram quod attinet (verba sunt Benedicti Bacchini ad Leonem Strozza) nosti tot pæne scriptorum sententias, quot capita. Illud tamen satis constare arbitror, non unam fuisse, sed diversam, pro regionum, Isiacorum, opificum ac temporum genio.“ Quod ut ob oculos ponat, nonnullorum exhibet sistrorum figuras in ære incisas, quas hinc inde ex antiquaria supellectile collegit. Videntur sistra anguliformia, ovalia, virgulis munita quadrilateribus, varie manubriata vel diminuta, pleraque omni symbolo destituta, bina, quæ ex Augustini gemmis accepit, loto exornata. Bacchinus addit, Hieron. Bossium in Isiaco seu opusculo de sistro illos quidem merito reprehendisse, qui sistrum cum crotalis, cymbalis et ceteris huiusmodi crepitaculis confundunt, sed descriptionem sistri ab illo exhibitam non omnino approbat. Ea hæc est: „Sistrum, crepitaculum ovale, ex arguti metalli lamina factum, cuius absis superior tribus insignitur figuris, una scilicet æluri humana facie in medio posita, altera Isidis in dextero latere, in sinistro tertia Nephthyos, (quintæ et ultimæ Rheæ et Saturni prolis, cui coniugem Typhonem, filium Anubin Ægyptii tribuerunt, inferiusque hemisphærium consecrarunt, ut superius Isidi.) In ima vero sui parte manubrium habet, quod dum concutitur, virgulæ quædam ex eodem metallo factæ et per lamminæ ferulas transiectæ, aduncа utrimque cuspide laminam ipsam percutiunt, quæ mox sonorum edit tinnitum.“ Veram illam descriptionem dicit Bacchinus, si non de quolibet sistro, sed de nonnullis intelligatur. Omnibus

Crepitaculis et tintinnabulis, quorum vestigia in cultu Romano-Catholico etiamnunc exstant, veteres videntur tribuisse vim malos spiritus abigendi. Cf. H. N. Clausen Catholicismens og Protestantismens Kirkeforfatng, p. 589. *Lusca sacerdos.* „Imaginem sacerdotis Ægyptii lusci habebat Viscontius (Museo Pio-Clem.

---

quidem commune,' ait, quod ad ovalem accederent figuram, quod lamina constarent et manubrio, quod mobiles virgulæ adderentur; ceterum sæpissime nullo ea parergo exornari; absidem, ad Bossii gustum efformatam, sæpissime desiderari; Nephthyos et Isidis vultus non semper affixos fuisse, et cum adiicerentur, infra mobiles virgulas locum habuisse; æluri etiam faciem raro ad humanam accessisse. Absidem quidem Bossianam quandoque obtinuisse fatetur, et quidem anguliformem; frequentius tamen sistri summam partem in hemicyclum conformatam esse, cum ex allata sistrorum tabella patere existimat, tum e sistro, quod Pignorius in egregio ad Mensam Isiacam commentario ex museo Francisci Gualdi Ariminensis attulit, et rursum in opere de Servis exhibuit; Plutarchum, de Iside et Osiride, superiori ea sistri parte lunæ circulum seu globum significari tradidisse, sub quo omnia ob generationem ac interitum concutiuntur, quod ea ad imaginem coeli rotunda sit, seu circuli lunaris portionem imitetur: hæc manifeste Bossianæ sententiæ repugnare. Addit, Plutarchum quidem dixisse, vertici sistri rotundo affictum *ἀιλουρον ἀνθρωπε προσωπον ἐχοντα*, ipsum tamen non obscure indicare, nil religioni, nil mysteriis obfuisse, cum hominis facies abesset; nec ex Plutarchi verbis apte colligi, sistrum immutabilem fuisse; cum in modum balthei recurvata fuerint sistra (ut plurimum autem talia fuisse, vetera monumenta ostendere) vix alio loco collocari potuisse Isidis et Nephthyos vultus, quam infra mobiles virgas; eandem inconstantiam agnosci

T. 3. p. 60.) unde cum Salmasio Exerc. Plin. p. 580. collegit, ad sacerdotia quædam luscos fuisse delectos.“ Orellius. Casaubonus *lusca* accipit ut præcedens *grandes*, et ad mores refert, ut *lippus* in superioribus. Addit: „Vetus interpres ad corporis vitium retulit; ne id quidem male.“ Vetus ille interpres ita: „*Lusca*, quod omnes nobiles (MS. debiles, Reiz. nubiles) aut deformes, cum maritos non invenerint, ad ministeria Deorum se conferant.“ Quod et Koenigio non absurdum, mihi certe ridiculum videtur. Vera ratio quærenda in opinione, quod qui numen Isidis quodammodo, inprimis periurio, offendissent, cæcitate punirentur, cuius poenæ exemplum sistebatur sacerdos. Ita Ovidius: „Vidi ego linigeræ numen violasse fatentem Isidis, Isiacos ante sedere focos. Alter, ob huic similem privatus lumine culpam, Clamabat media se meruisse via.“ Pont. 1, 2, 51. et apud Iuvenalem 13, 93. periurus avarus: „Isis et irato feriat mea lumina sistro, Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego, nummos.“ Est etiam in Græco epigrammate: *Ην τιν'*

in principe sistri parergo, fele; sæpius enim nudum esse sistrum, ut in numismatibus, in Mensa Isiaca apud Gruterum, in Oedipo Kircheriano et alibi passim; quandoque felis loco sphingem appositam, ut in Pignoriano, vel loti florem, ut in Augustini gemmis, vel aliud quidpiam. Vid. Bened. Bacchini de Sistris, quorum exempla 26. figura plerumque diversa exhibet adiecta tabula in Grævii Thesaur. Antiqu. Rom. T. 6. ad pag. 414. recusa, ad quem cf. Winckelmann, Werke, herausg. von Meyer u. Schulze B. 3. p. 89 et 326.

ἐχεις ἐχθρον, Διονυσιε, μη καταρασῃ Την Ἰσιν τουτῳ, μηδε τον Αμφικρατη, Μηδ' ἐιτις τυφλους ποιει θεος &c. Isidis iram inter diras imprecationes veteribus fuisse, indicio est epitaphium, in Antiquitatum libris G. Fabricii vulgatum: „In hoc sepulcrum sive libertinus sive liber inferatur nemo; secus qui fecerit, mitem Isidem iratam sentiat, et suorum ossa eruta atque dispersa videat.“ Quin tanto terrori huius numinis ira erat vulgo Romanorum, ut tota urbs percelleretur, cum eius mystæ in publico iactarent, incitatam in bilem esse Deam. Vid. Seneca de Vita Beata 27, 1. Ipsius Isidis figura *lusca* fingebatur, contortis pupulis, ut vel sic metum sui incuteret populo, qualem in nummo effigiem expressisse Stephanum Claverium in commentario ad hunc Persii locum auctor est C. Barthius Advers. 47, 17. Falli ceterum Herodotum, cum nullam umquam Ægyptiam mulierem Dei Deæve sacerdotem esse dicat 2, 35. docet hic Persii locus, monumentis insuper apud Amaduzzium et Montefalconium firmatus. Vid. Winckelmanns Werke, herausg. von Meyer u. Schulze. B. 3. p. 325.

187. *Deos* pro „metu Deorum,“ Isidis scilicet et Serapis, qui Dii *corpora inflare*, morbos immittere, credebantur. Inde Iuvenalis: „Decernat quodcumque volet de corpore nostro Isis“ &c. Sat. 13, 92. cf. v. 95. ubi phthisis et vomicæ putres inter morbos ab Iside immissos numerantur, et epigramma Græcum: Ἐνθαδε παιδευουσιν, ὁσοις κεχολωτο Σαραπις.

188. De *allio* nihil se legere, quod huc faciat, meminisse fatetur Casaubonus, vir ille multæ lectionis,

et Koenig, hoc ad superstitiosas opiniones, parum notas, pertinere. Consulendus illis fuisset Turnebus, qui Adv. 18, 12. hæc habet: „Alliorum capita ad multarum noxarum depulsionem valere, animis vetustas imbiberat. Columella etiam ovis, quæ incubantur, substerni utiliter adversus tonitrua putat. Eius verba sunt 1, 5. Plurimi etiam infra cubilium stramenta graminis aliquid, et ramulos lauri, nec minus allii capita cum clavis ferreis subiiciunt, quæ cuncta remedia creduntur esse adversus tonitrua, quibus vitiantur ova. Et tamen mirum est, ab Ægyptiis id imperatum fuisse, ut fingit Persius, quorum religione allium in Diis numerabatur, et per allium iurabatur; unde et Plinius H. N. 2, 7. scribit: per foetidos cibos et alia similia iurantes; sed ad Græcorum consuetudinem et Romanorum Isiaci multa accommodabant.“ His addo locum Q. Sereni Sammonici, poetæ primi sæculi, ex carmine de morbis et morborum remediis, ubi puero a strige fascinato allium, tamquam præsidium et amuletum, præcipit annecti: „Præterea si forte premit strix atra puellos, Virosa immulgens exsertis ubera labris, Allia præcepit Titini sententia necti, Qui veteri claras expressit more togatas.“ *) Nec prætereunda verba Macrobii, Saturn. 1, 7. „Quod sacrificii genus (quo sci-

*) Titinius, ex cuius sententia hæc præcipit Serenus, vetus erat comoediarum scriptor, frequentissime citatus a Grammaticis: Festo, Nonio et Prisciano, qui fabulas iam perditas: Psaltriam, Geminam et Barbarum ipsi tribuunt.

licet pueri Maniæ Deæ, matri Larium, pro familiarium salute immolarentur) Iunius Brutus, consul Tarquinio pulso, aliter constituit celebrandum; nam capitibus allii et papaveris supplicari iussit, ut responso Apollinis satisfieret de nomine capitum, remoto scelere infaustæ sacrificationis." De ritu vero, allii capite fulgurita expiandi, Numæ Pompilio a Iove tradito, vid. Arnob. adv. Gentes l. 5. Ceterum ut Latini in allio et cepe *caput*, ita Græci κεφαλην vocant, quod omnes nucleos comprehendit, aliquando tamen et nucleum solum, quem γελγιδα, ἀγλιθα, κοκκον, et ῥαγα dixerunt. *Ter.* Numerum ternarium in sacris, præcipue in lustrationibus, frequentem esse, vidimus 2, 16. cf. Virg. Æn. 11, 188. Pro *ter* cod. Tigurinus: tibi.

Casaubonus sacerdotes Cybeles et Isidis, ut nostro loco, etiam alibi iungi, recte observavit. Ita in vivida illa superstitionis Romanæ descriptione Iuvenal. 6, 511 sq. et apud Senecam supra citatum de Beata Vita 27, 1: „Cum sistrum aliquis concutiens ex imperio mentitur; cum aliquis secandi lacertos suos artifex brachia atque humeros suspensa manu cruentat; cum aliquis genibus per viam repens ululat, laurumque linteatus senex, et medio lucernam die præferens, conclamat, iratum aliquem Deorum, concurritis et auditis, et divinum esse eum, invicem mutuum alentes stuporem, affirmatis." Sed Gallos etiam hoc loco dici, vix intelligi poterit, nisi collato Prudentio, Peristeph. 10, 1061. ubi cultus Cybeles, a castratis sacerdotibus ne-

farie factus, ita describitur: „Cultrum in lacertos exserit fanaticus, Sectisque Matrem brachiis placat Deam; Furere ac rotari ius putatur mysticum; Parca ad secandum dextra fertur impia; Coelum mercetur vulnerum crudelitas. Ast hic metenda dedicat genitalia" &c. Inde vero, quod sacra ista iuncta describantur, non sequitur, ea apud Romanos prorsus eadem fuisse. Tempus recepti cultus Cybeles novimus ex Livio, vid. p. 472. nec ab illo umquam tempore hæc mysteria aut suspecta, aut ex urbe eliminata esse traduntur. Tempus vero introducti cultus Isiaci, postmodum non semel in crimen vocati, divinare vix possumus. Vid. opusculum Bacchini cit.

Ceterum in tractanda superstitione, quam Persius, ut teterrimum servitutis genus, extremo loco posuit, quod de hoc argumento scripsit Plutarchus (περὶ δεισιδαιμονίας) omnino commendandum est, nostro inprimis tempore, quo superstitionum et fanatismi genera quædam, his supra commemoratis similia, ubique spectantur. Cuius aurei libelli monitum finale, ut studium totius legendi moveatur, huic apponam: „Nullus est animi morbus tot erroribus et perturbationibus, tamque diverse mistis et dissidentibus opinionibus obnoxius, ac superstitio. Fugienda ergo hæc tuto ac utili modo, non eo, quo nonnulli, latronum aut ferarum insultum ignemve inconsiderate et imprudenter fugientes, incidunt in loca invia, ubi voragines sunt et præcipitia. Sic enim quidam, superstitionem fu-

gientes, dum transsiliunt pietatem in medio positam, incidunt in asperam et contrariam impietatem. *)

189–191. Epilogus argumentationis, quo philosophiæ osores taxat. *Hæc* de vera libertate dicta. *Varic. centuriones* iidem sunt, quos 3, 77. *gentem hircosam cent.* dixit, philosophiæ et literarum illa ætate præcipui hostes, qui ut militare robur præ se ferrent, ab omni elegantiore et humaniore cultu videri volebant abhorrere. Vid. Casaub. ad 1, 127. *Varicosus*, cui venæ tument, a varicibus, intumescentibus venis, Cels. 5, 26. cf. Iuvenal. 6, 396. ubi vet. Schol. „varicosus multum stando.“ Heinsius, cum ad Ovid. Art. Am. 3, 304. locum nostrum conferat, et incessum risumque subagrestem et inconditum centurionum intelligat, hoc idoneis destitutus argumentis sumere videtur. *Crassum* positum græcismo pro „crasse“ et hoc pro „illepide.“ Hor. Ep. 2, 1, 76. Variæ *Vulfenii*, ficti nominis, lectiones **) produnt variam dictantium pronuntiationem et librariorum incuriam. *Et*

*) *Αλλ' ἐδεν ἐτω πολυπλανες και πολυπαθες νοσημα, και μεμιγμενον ἐναντιαις δοξαις και μαχομεναις μαλλον, ὡς το της δεισιδαιμονιας. φευκτεον ἐν ἀυτην ἀσφαλως και τε συμφεροντως, ἐχ ὡσπερ ὁι λεγων, ἡ θηριων, ἐφοδον, ἡ πυρ, ἀπερισκεπτως και ἀλογιςως περιφευγοντες, ἐμπιπτεσιν ἐις ἀνοδιας βαραθρα και κρημνες ἐχουσας. ἐτως γαρ ἐνιοι φευγοντες την δεισιδαιμονιαν, ἐμπιπτεσιν ἐις ἀθεοτητα τραχειαν κάι ἀντιτυπον, ὑπερπηδησαντες ἐν μεσῳ κειμενην την ὑσεβειαν.*

**) Vulfenius, Vulfennius, Vulpenius, Vulpennius, Fulfenius, Fulfennius, Fulphenius, Pulfenius, Pulvennius, Ulsenius, Calphurnius.

centum . . licetur. Per *Græcos* intelligit philosophos, qui omnes erant Græci. Hos Vulfenius adeo contemnit, ut centum eorum vix *centusse* æstimet, i. e. singulos assis unius, et quidem non integri sed imminuti. His etiam verbis Persius videtur expressisse contemptum, quo Græcos, homines leves et arrogantes, Romana gravitas despiciebat. Quomodo ex omnibus Græciæ partibus Romam confluerent, artibus suis et ingenio ad omnia prompto in secreta intimamque familiarum ditissimarum familiaritatem se insinuantes, „Viscera magnarum domuum, dominique futuri," discimus ex Iuvenale 3, 61 sq. 6, 186 &c. Hinc verba „græcari, congræcari, pergræcari" apud Plautum et Horatium. Græcos etiam Cicero Orr. pro Sextio, pro Flacco, pro Ligario &c. deridet, nomen eorum diminuendo (Græculi) maxime ob inanem ostentationem, qua omnia sua in immensum tollerent, et se omnia scire profiterentur.

SATIRA VI.

Epistolæ loco scripta est ad *Cæsium Bassum*, poetam lyricum, qui sub Nerone et imperatoribus proxime sequentibus floruisse videtur. Nam amicum eum Persium a prima adolescentia habuisse, docet antiqua huius Vita, et Quinctilianus, qui Domitiani nepotes eruditi, se eum nuper vidisse dicit Inst. Or. 10, 1, 99. Quanti hic eum fecerit, arguit quod dicat: „Lyricorum Horatius fere solus legi dignus.. si quem adiicere velis, is erit Cæsius Bassus.“ Citatur nonnumquam a Grammaticis. Priscianus versus laudat ex secundo Lyricorum. Legitur et dimidiatus libellus „de metris,“ Bassi nomine inscriptus, a Terentiano citatus. Sunt, qui commentaria in Aratum, a Germanico Cæsare in Latinum translatum, multa eruditione referta, huic Basso adscribant, de quo, cum plures eiusdem nominis fuerint, nihil tamen statuendum. Vide Lil. Gyraldum de Poet. Hist. Dial. 10. Durum eum mortis genus oppetiisse, Vesuvio nimirum conflagrante una cum villa incendio consumptum fuisse, vetus tradit Scholiastes.

Prima Satiræ pars 1–11. argumenti est familiaris epistolæ. In altera, occasione capta a suo cum imperitæ multitudinis vivendi more comparato, rectum divitiarum usum ostendit, et in eos invehitur, qui parce

et sordide vivunt, ut ingratis heredibus accumulent, quæ illi male parta male dilapident.

1. *Bruma,* dies solstitii hiemalis dicta „quod brevissimus dies," Varro de L. L. 5, 2. Plinio dies 26 Decemb. H. N. 18, 25. Hipparcho 17 Decemb. Columel. 2, 2. poetis pro hieme ponitur, Hor. Od. 4, 7, 12. Martial. 1, 50, 19. 7, 94, 1. Cæs. Bassus „dum vivebat, Roma ad Sabinos necessario transibat, ubi brumali tempore in calido loco carmina scribebat." Vet. Schol. Erant Romanis et hibernæ et æstivæ villæ, in quas cum animi et valetudinis, tum studiorum caussa secedebant. *)

*) Illius secessionis commoda scite describit Plinius, Minutium hortans, ut in prædium suum se conferat: „In Laurentino meo aut lego aliquid, aut scribo, aut etiam corpori vaco, cuius fulturis animus sustinetur. Nihil audio, quod audisse, nihil dico, quod dixisse poeniteat. Nemo apud me quemquam sinistris rumoribus carpit, neminem ipse reprehendo, nisi unum me, cum parum commode scribo. Nulla spe, nullo timore sollicitor, nullis rumoribus inquietor; mecum tantum et cum libellis loquor. O rectam sinceramque vitam! o dulce otium honestum ac pæne omni negotio pulchrius! o mare, o litus! verum secretumque μεσειον! Quam multa invenitis, quam multa dictatis! Proinde tu quoque strepitum istum, inanemque discursum, et multum ineptos labores, ut primum fuerit occasio, relinque, teque studiis vel otio trade. Satius est enim, ut Attilius noster eruditissime simul et facetissime dixit, otiosum esse, quam nihil agere." Ep. 1, 9. cf. Hor. Ep. 2, 2, 65 sq. De lucubratione hiberna, qua literarum studiosi uterentur, item Plinius Ep. 3, 5, 7.

2. „Iamne in hoc tuo secessu chordæ lyræ tuæ adhuc vegetæ severo pulsantur plectro?“ Ad vocem *tetrico*, quam codd. Haun. itidem cum *t* minusculo scriptam exhibent, ita Casaubonus: „Hæc vetus lectio, non „Tetrico,“ qnæ tamen eodem redit. Nam Tetricus mons Sabinorum, cuius gentis mores severiores etiam tum fuerunt, quando reliquæ Italiæ solutior iam disciplina; ideo „rigidos Sabinos“ poetæ vocant, et de illorum virtute etiam Strabo loquitur. Inde a Tetrico monte Sabinorum tetricos dicimus homines tristes et σανθρωπους, inquit Servius. *Pecten* igitur *tetricus*, sive Tetricus, non sectam Stoicam, ut facete quidam hariolantur, sed poematum Bassi το σεμνον et severitatem notat, ut mox: *pollice honesto.*“ Ingeniosa utique explicatio et probabilis adeo, ut interpretes apud Schrevelium vix dicturi fuissent, eos vanos esse, qui *tetricum* intelligunt de Sabino monte Tetrico, si res illa uberius explicata esset. Nimirum Virgilius in copiis Sabinis, Turno adversus Troianos auxiliariis earumque domiciliis enumerandis, „Tetricæ horrentis rupes“ dicit Æn. 7, 713. Ita et Silius Italicus 8, 418. „a Tetrica comitantur rupe cohortes.“ Ad locum Virgilianum ita Servius: „Tetricus mons in Sabinis asperrimus, unde tristes homines tetricos dicimus.“ Frequens illa Sabinorum a tetricitate denominatio, v. c. Liv. 1, 18. „Disciplina tetrica ac tristis Sabinorum.“ Ovid. Am. 3, 8, 61. „Exæquet tetricas licet illa Sabinas,“ et Martial. 1, 63, 1. 2. ubi tetr. cum Sabinis saltim in eadem orationis serie legitur. cf. Propert. 2, 33, 83. Ovid. Am. 2,

4, 15. Iuvenal. 10, 298. At Bassus, serio et severo scribendi genere usus, secesserat in agrum Sabinum: nonne veri simillimum, ut Persius, qui hunc secessum et focum Sabinum nuper commemoravit, vocabulum severitati Sabinorum proprium adhibuerit ad severitatem stili Bassiani exprimendam?

3–6. „Qui mirus es *opifex veterum primordia vocum* et fortem Latinæ lyræ sonitum carmine exprimendi“ &c. Pithoeus, Casaubonus, Schrevelius, Reizius, Fülleborn, Koenig, Nasser legerunt: vet. pr. „rerum,“ non sine auctoritate codicum; sed vet. pr. *vocum* codd. Haunienses omnes, Tigurinus, plerique Achaintrii, Wimariensis et Chemnicensis apud Weberum, ed. Cantabr. quæ ad membranam provocat, Murmellius, Turnebus (Adv. 30, 7.) Farnabius, Bondius, Wedderburn, Passowius, Orellius, Weber. De quibus lectionibus ita Orellius: „Vocum lectio hæc adeo docta est et antiqua .. ut altera „rerum“ interpolationis merito suspecta sit, præterquam quod „primordia rerum“ recte dicuntur, non item „veterum rerum primordia.“ *Vocum* vero de „metris“ cum Pseudo-Cornuto interpretari nolim; nam prosa oratione de iis scripsisse Cæsium Bassum indicio est cum fragmentum apud Rufinum Grammaticum c. 2707 Putsch. tum epitome eiusdem libri a Putschio edita. Respicit igitur Persius poema de notatione vocum Latinarum, quod vero quomodo idoneum carminis argumentum esse potuerit, se quidem non videre fatebatur Wernsdorfius. Haud tamen ignorabat, alios de metris, ponderibus, mensuris,

medicina versus scripsisse. Quidni vero Bassus carmine tractaverit res etymologicas, quibus fabulas antiquas quam plurimas ubique ad tetricum illud argumentum exhilarandum intertexere nihil sane vetabat.“ Sententiæ viri eruditissimi, quod ad lectionem *vocum* alteri præferendam attinet, omnino assentiendum videtur. Ceterum hæc observanda: Pseudo-Cornutum seu Scholiasten veterem illam lectionem agnovisse, vel hac in re aliquid definisse, non invenio. Nec cum ille Scholiastes ita interpretatur: „*Mire opifex numeris*, sensus est: o mirande opifex varietate numerorum, quam de metris Græcis excerpis, et masculos sonos Latinis aptas carminibus; *numeris*, i. e. metris;“ hæc verba ad opusculum Bassi de metris, sed ad metra et numeros ab eo in carmine adhibitos, referenda videntur. Tum illa *vet. primordia vocum* et totius loci verba explicaturo non prætereundus est Turnebus, qui ita suam, utque videtur, ipsius Persii mentem interpretatur: „His ego verbis significari puto, Bassum poetam esse lyricum. Lyrici autem primo divos et virtutem victorum sacris certaminibus carmine extollebant; atque ea sunt *primordia vet. vocum.* Postea melici etiam de iuvenum amoribus et senum luxu iocisque carmina pangere coeperunt: qua argumentorum materia suum poema Bassus distinxerat. *Iocos* autem *iuvenes*, iocos iuveniles intelligo, et iocos *senes*, seniles, quamquam interpretes aliud sentiunt. Ad hunc locum Horatianum illud pertinet de Arte Poet. (85.) Musa dedit fidibus divos puerosque Deorum, Et pugi-

lem victorem, et equum certamine primum, Et iuvenum curas et libera vina referre.“ Advers. 30, 7. Addo, si cui singularem illius *vocum* rationem habendam videatur, antiquas Sabinorum, eorumque, qui Latium coluerunt, voces respici, quæ, cum sensu et sale adhibitæ, in hymnis et lyricis carminibus probantur. Hac et alia stili tetricitate dici potest, *marem strepitum fidis intendisse Latinæ*, vel fidem Latinam molliorem intendisse ad masculum sonitum. *) *Opifex intendisse* græcissantis est, ut *artifex sequi* Prol. 11. *Marem strepitum*, substantivum pro adiectivo posuit, ut *heroas sensus* 1, 69. *Ligus ora* 6, 6. Ita Horatius: „mares animos“ A. P. 402. *Pollice* pro quovis digito, quo haud secus ac pectine lyræ cantus temperatur. Hinc Tibullus 3, 4, 41. „Sed postquam digiti

*) His assentientem habemus novissimum interpretem Weberum: „Adhibuit, ait Persius, *veterum primordia vocum*, i. e. ut quidam interpretantur, antiquas Sabinorum eorumque, qui Latium coluerunt, voces, quæ cum graves, duræ et asperæ essent, augebant pondus et fortitudinem heroicorum numerorum. Quare addit poeta: *atque marem strepitum*, i. e. masculum et virilem cantum, quo virorum fortium facta præclara celebrabantur. Vocula *atque* vim explicandi habet. Nimirum Cæsius Bassus non solum egregius poeta erat, sed etiam, quantum ex veteribus coniici licet, linguæ Latinæ literator; cognitionem habebat Latii dialectorum, easque singulas carminibus suis scite aptabat. Certe ea de caussa potissimum mirus opifex a Persio dictus videtur, et cum Vossio, poeta eodemque linguæ Germanæ peritissimo comparari potest.“

cum voce loculi" &c. Quid vero *egregios lusisse senes?* Sic I. F. Gronovius interrogat Nic. Heinsium, Syll. Epist. ed. a Burmanno T. 3. p. 52. „Quo magis cogito," ita pergit, „eo crassiores mihi tenebræ. Nec ad manum habeo Cornutum, qui, nisi ὑποβολιμαιος esset, solus docere nos hoc secretum posset. Quid dicemus? an scripsisse istum de studiis maiorum? aut explicuisse vitæ officia et partes? Sane certum quid nescio." Cornutus, quem supposititium merito vocat, sicco pede locum transiit. Reiz, Koenig et Passow legunt „egregius," Bentleiana ducti coniectura, sed nullo approbante codice. At *lusisse*, ut reliquos infinitivos, a voce *opifex* pendere, recte observavit Orellius, qui hoc verbum ad unum duntaxat referendum Bassi carmen, egregii senis honestum otium celebrans, existimat. Koenig, quamvis legerit „egregius," hanc tamen rationem vulgatam lectionem retinendi proponit: „Ludere senes est agere senes seu similare senes; sic Cic. ad Divers. 8, 9. „bonum civem ludere," atque agere seu similare senes est senum partes sustinere, quæ sunt in hortando et monendo positæ. Intelligenda itaque sunt carmina paulo severioris generis, in quibus senum personam induit Bassus, ad iuventutem virtutum præceptis imbuendam; quod carminum genus egregie indicatur per *pollice honesto,* atque opponitur illis iuvenilibus iocis." Quæ interpretatio eo nomine displicet, quod „ludere" hoc sensu et orationis serie putidum videatur, cum altera significatio, ubi de versibus agatur, simplicissima, qua scilicet ludere dicitur

de versibus parum operosis et argumenti minime gravis et serii, ut Virg. Georg. 4, 565. Hor. Od. 4, 9, 9. Hinc ex præcedentibus *iuvenes agitare iocos* cum Turnebo *egregios lus. senes* intelligimus „egr. lus. iocos seniles," quod non multum differt a sententia Casauboni, ita, ut censeo, exprimenda: „laudes vitæ senilis otio cum dignitate redditæ dicere."

6–8. „Mihi nunc tepida est Ligustica ora." „Se ipsum Persius significat secessisse in Liguriæ fines, videlicet propter Fulviam Sisennam matrem suam, quæ post mortem prioris viri ibi nupta erat, vel quia in brumali frigore tepidum coelum præbeat." Vet. Schol. De mari per hiemem calidiore Aristoteles Problem. 26, 60. Plinius H. N. 2, 103. et Cicero de Nat. Deor. 2, 10. Hibernaturi Romani petebant maritimos Italiæ locos, quia „ver ibi longum, tepidasque præbet Iupiter brumas." Hor. Od. 2, 6, 17. cf. Ep. 1, 7, 10. 11. 1, 15, 17. 18. *Ligus ora* ut „femina Ligus" Tac. Hist. 2, 13. „Ligur." codd. duo Haun. et vet. Schol. ceterum ἅπαξ λεγόμενον, sc. Lucan. 1, 442. a Prisciano Putsch. c. 716. citatum, nec ibi satis firmatum, vid. obs. Burmanni ad Lucanum. *Hibernat*, χειμάζεται ἡ θάλασσα, aliis: non navigatur, tranquillum est, *meum*, Ligusticum, *mare*; aliis vero, cum de mari dicitur, idem ac „hiemat," commovetur tempestate. Ita Hor. Sat. 2, 2, 17. „Atrum defendens pisces hiemat mare," i. e. sævum et concitatum mare eos servat, quia tunc non est locus piscationi. cf. Plin. H. N. 2, 47. Senec. Ep. 114, 18. Utrumque sensum vet. Schol. indicat, ita

explicans: „*Hibernat*, sævit, vel a navigiis vacat, sicut naves hibernare dicimus, cum non navigant.“ Prior sensus utique præferendus ob præcedens *intepet;* nam mare ventis agitatum tepescere, eumque teporem non externum et adventitium esse, sed ex intimis maris partibus agitatione excitatum, iam veteribus notum erat, vid. Cic. de Nat. Deor. cit. Græcis item χειμασια et hibernatio est, et mare turbatum hibernis procellis. Quod „suum mare“ dicat Noster, inde non sequitur, eum fuisse Lunensem, cum et scriptor vitæ antiquæ Persii, et Eusebius, Chronic. Olymp. 203, 2. 210, 3. eum Volaterranum vocant. Vid. Passow. p. 87. *Qua latus* &c. „ubi *scopuli ingens latus*, vim fluctuum frangens, efficiunt, et litus amplam in se planitiem recipit.“ Describit *portum lunæ*, de quo Ennius v. sequ. et Silius Ital. 8, 481. „Luna . . Insignis portu, quo non spatiosior alter, Innumeras cepisse rates et claudere portum.“ „Etruscam Lunam“ Martialis 13, 30, 1. vocat oppidum hoc maritimum, situm in Etruriæ et Liguriæ confinio, inclytum marmore, Plin. H. N. 36, 6. Sueton. Ner. 50. caseo, Martial. l. c. sed maxime *portu*, qui *lunæ* referebat imaginem. „Portus est Liguriæ, inter portum Veneris et portum Erycis (Porto Lerice) ambitu 20 millia pass. patens, hodie Golfo della Spezzia.“ Ferrar. Lexic. geogr. Codd. *litus* et „littus,“ haud secus ac inscriptiones Grut. p. 186. n. 3. et p. 1071. n. 8. quarum illa *litus*, hæc „littorali.“ Cum in utraque scriptura syllabam primam poetæ producant, simplicior videtur

præferenda. Cf. Schneider Formenlehre p. 446. Itali similiter: „lito," „lido," litorale."

9. *Lunai portum, est operæ, cognoscite, cives!* Versus legitur in fragmentis Ennii a P. Merula collectis, Lugd. Bat. 1595. p. 1. *Operæ* pro „operæ pretium," ut Plaut. Casin. 5, 2, 5. cf. Truc. 4, 4, 30. Liv. 44, 36. Gellii 7, 17. Ita nonnumquam „pretium" sine *operæ*, v. c. Tac. Ann. 1, 57. 2, 35. Ennio solemnis est locutio, imitatione urbana ab Horatio Sat. 1, 2, 37. expressa. *) Merula quidem legit „cognoscere," at *cognoscite* codd. Haun. omnes præter 1. 3. 4. in quibus infin. mutatum in imperativum; *cognoscite* item Tig. Norimb. et 13 apud Achaintrium cum Passowio et Orellio. Weberus, qui cum codd. Wimar. Chemn. Putean. et antiquis pluribus (excepta tamen Murmellii) editionibus legit „cognoscere," imperativum vocativi vicinitate ortum existimat. Quod vetus Scholiastes etiam legerit „cognoscere," ipsius interpretatio ostendere videtur.

10. 11. *Cor iubet hoc Ennî. Cor* Ennii dictum accipiunt pro Ennio „cordato," et hoc „prudentem" intelligunt; quo sensu sumitur Cic. de Oratore 1, 45. Tusc. 1, 9. Plin. H. N. 7, 31. Lactant. 3, 20. (ut *cor* pro „mente," Plaut. Most. 1, 2, 3. Lucret. 4, 31. et

*) Ambigitur, utrum *operæ* genitivi sit, an dativi casus. Prius affirmat Scioppius, res vel pretium intelligens, neque dissentit Perizonius; posterius tamen arridet Vossio et Ursino. Vid. Ruddimanni Inst. Gram. Lat. II. p. 125.

excors, vecors pro „amente“) nostro igitur loco: „prudens iam Ennius“ nec ut ante delirans, se Homerum esse. Ita Turnebus Adv. 30, 7. cf. 13, 11. Sed cor pro cordato putidum, et ne Persio quidem parum simplici concedendum videtur, nisi ob lusum qualemcumque loco huic convenientem. Respici puto ad verba Ennii, quibus „tria sese corda habere dicebat,“ quod loqui Græce et Osce et Latine sciret, Gellii N. A. 17, 17. aliaque Ennii loca, v. c. apud Gellium 7, 2, quæ ostendunt, eum vocem „cor“ sensu non bene Latino adhibuisse. Ludum scilicet iocumque habet Ennium, pariter ac Horatius Ep. 2, 1, 52. ob somnia Pythagorea. *Iubet* convenit imperativo præcedenti: *cognoscite. Postquam destertuit*, desiit somniare, se Homerum esse, *e pavone Pythagoreo* factus *Quintus* Ennius. Ad hæc vet. Schol.: „Sic ait Ennius in Annalium suorum principio, ubi se dicit vidisse in somnis Homerum dicentem, fuisse se quondam pavonem, et ex eo translatam in se animam esse, secundum Pythagoræ philosophi diffinitionem, qui dicit, animas humanas per παλιγγενεσιαν i. e. per iteratam generationem, exeuntes de corporibus, in alia posse corpora introire. Ideo *quintus* dixit, propter eam opinionem, quæ dicit, animam Pythagoræ in pavonem translatam, de pavone vero ad Euphorbum, de Euphorbo ad Homerum, de Homero autem ad Ennium.“ Merula ex MS Scholiastæ verba huius interpretis ad v. 1. ita auxit: „Qui Ennius hoc scripsit, dum se somniasse in Parnasso dixisset, et visam Homeri animam secundum Pythagoræ dogmata

per aliorum corpora ad se venisse.“ Ad Prologum Persii v. 2. hæc, ut ante vidimus, Scholiastes etiam habet: „Tangit Ennium, qui dicit se vidisse (per) somnium in Parnasso Homerum sibi dicentem, quod eius anima in suo esset corpore.“ Refert item ad principium Annalium hoc somnium Porphyrion ad locum Horatii citatum Ep. 2, 1, 52. Secundum Tertullianum de Resurr. Carnis c. 1. generationis illius iteratæ series quinaria hæc foret: Euphorbus, Pythagoras, Homerus, pavo, Ennius; sed Luctatius, vetus Statii interpres, ad Thebaid. 3, 483. hunc ordinem sequitur: Euphorbus, Pythagoras, pavo, Homerus, Ennius. Apud Diog. Laertium 8, 4, 5. Æthalides, Euphorbus, Hermotimus, Pyrrhus, Delius piscator Pythagoram antecedunt. De illa animarum in alia corpora transmigratione, quam μετεμψυχωσιν vel παλιγγενεσιαν vocabant, vid. Diog. Laert. l. c. Herodot. 2, 123. Diod. Sic. 5, 28. Ovid. Metam. 15, 161. Tertull. T. 4. p. 273. 278. 285. ed. Semleri. Ennii præsertim hac de re doctrinam et speciem Homeri ei obiectam vid. Lucret 1, 113 sq. De visione Ennii item Cicero Ac. Quæst. 4, 27. Illa *pavonis*, præstantissimis hominibus accensi, dignitas debetur Iunoni, cuius erat avis. Ovid. A. A. 1, 629. Iuvenal. 7, 32. *) *Quintus* „non hic numeri nomen est,“ ait

*) Hæc non respexit Tertullianus, cum Ennianum commentum ita rideat: „Nimirum magna merces bonis, in animalia quæcumque restitui! Pavum se meminit Homerus Ennio somniante; sed poetis nec vigilantibus credam; etsi pulcherrimus pavus, et quo velit colore cultissimus,

Turnebus, „sed Ennii prænomen.“ Mihi quidem, ob ante dicta, utramque notionem exprimere videtur per dilogiam. *Destertuit esse Mæonides*, Græce pro „dest. se esse Mæonidem.“ Ita sæpius Latini verbo infinito „esse,“ ac similibus, nominativum pro accusativo apponunt, cf. Ovid. Trist. 2, 10. Hor. Ep. 1, 5, 15. Quod ex Persio suo citavit Charisius: „Pavus cum destitit esse Mæonides quintus pavone ex Pythagoreo,“ (Putsch. c. 75.) videtur esse interpretamentum ad græcismum corrigendum. Priscianus, huic fere coævus, et M. Valerius Probus, quinque ferme sæculis antiquior, legerunt ut nostri codices et editiones omnes. Vid. Putsch. c. 903 et 1487.

12. Argumentum iam instruit huius satiræ præcipuum. *Hic ego securus* &c. *Securitatem* dicit philosophia solum obtinendam, scilicet animi perturbatione vacui, nullis vulgi iudiciis, nullo bonorum detrimento anxii, nec alienæ invidi fortunæ: „Democriti securitatem, quæ est animi tamquam tranquillitas, quam appellant *εὐθυμίαν*.“ Cic. de Fin. 5, 8. *)

---

sed tacent pennæ, sed displicet vox; et poetæ nihil aliud quam cantare malunt. Damnatus est igitur Homerus in pavum, non honoratus.“ de Anima c. 33. Oblitus est, quod pavo currui Iunonis solitus sit affigi, Sami in æde Deæ ali, et cudi in Samiorum numis, qui etiamnunc exstant.

*) „Illam maxime optatam et expeditam *securitatem*, vacuitatem ægritudinis, in qua vita beata posita est;“ Tusc. Quæst. 5, 14. „animum porro omnino fortem et magnum,

Cod. Haun. 2. „vulgi, quid.“ *Auster infelix pecori,* Virgilio pecori est „sinister,“ Georg. 1, 444. cf. Eclog. 2, 58. Hor. Od. 2, 14, 16. Stat. Sylv. 3, 3, 129. *Διὰ τι ἐν τοις νοτοις βαρυτερον ἐχουσι και ἀδυνατωτερον οἱ ἀνθρωποι;* est in Aristot. Problem. 1, 24. Hodiernis Romanis exitialis ille ventus Scirocco est, cf. Winckelmanns Werke, herausg. von Meyer u. Schulze. B. 3. p. 55. 300. De austro et aquilone, solis ventis apud veterum aliquos, vid. Salmas. ad Solinum p. 1250. *Angulus ille vicini* &c. Aliter effertur sententia eadem Ovid. A. A. 1, 351. „Fertilior seges est alienis semper in agris, Vicinumque pecus grandius uber habet.“ Pro *nostro* cod. Husumensis „nostri.“ *Peior* de „inferiore, viliore“ usurpatur, ut apud Græcos *χειρων*, v. c. *νυν μεντοι . . ἐκεινα χειρονα.* Xenoph. Cyropæd. 5, 1, 5. Horatius similiter de Muto: „indignum, quod sit peioribus ortus.“ Ep. 1, 6, 22. *Usque recusem* &c. „Numquam tamen adducar, ut in terram pronus, more tristium, *minuar,* cf. Hor. Ep. 2, 1, 181. consumar

---

qui in rerum externarum despicientia ponitur, cum persuasum sit, nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit, aut admirari aut optare, aut expetere oportere, nullique neque homini, neque perturbationi animi, nec fortunæ succumbere, . . qui imprimis ponitur in pecuniæ fugienda cupiditate, cum nihil sit tam angusti animi, tamque parvi, quam amare divitias . . qui denique vacat omni animi perturbatione, tum cupiditate et metu, tum etiam ægritudine et voluptate animi et iracundia, ut tranquillitas et securitas adsit, quæ affert cum constantiam, tum etiam dignitatem.“ de Offic. 1, 20.

dolore. *Senio* pro dolore, tædio, ut apud Nonium 1, 1. „Quia mihi odio et senio hæ sunt nuptiæ.“ *Cenare sine uncto* interpretes intelligunt „sine ferculo lautiore, s. deliciis;“ ipse Turnebus Adv. 10, 19. „s. obsonio condimentis perfuso.“ Verum etiam lavatio et unctio, ditioribus Romanis ante cenam frequens, h. l. significata sine errore dicitur. In hunc sensum Martialis Epigr. 3, 12. in Fabullum: „Unguentum, fateor, bonum dedisti Convivis here, sed nihil scidisti; Res salsa est, bene olere et esurire. Qui non cenat et ungitur, Fabulle, Hic vere mihi mortuus videtur.“ cf. Plaut. Poen. 3, 3, 88 sq. Plin. Ep. 3, 1, 5. Petron. 28–31. Sueton. Calig. 37. Non tamen inficiandum, superiorem interpretationem comprobari locis: „uncta vixisse patella“ Pers. 4, 17. et „unctum recte qui ponere possit,“ Hor. A. P. 422. *Et signum in vapida* &c. „Solent avari signum in vasis vinariis ponere, et sic diligenter aspicere, ut oculos propius admovendo naso tangant.“ Vet. Schol. Lagenas etiam inanes matrem suam obsignavisse, meminit Cicero, non tamen per avaritiam, sed „ne dicerentur inanes aliquæ fuisse, quæ furtim essent exsiccatæ.“ Ep. ad Fam. 16, 26. Hoc ergo non ad micrologiam hominis avari referendum, ut habet Casaubonus ad h. l. sed potius ad sensum humanitatis erga servos, rarum illius ævi moribus exemplum. Nova minutissimarum sordium nota adiicitur: obsignata lagena *vapida* est, vino vitioso et acescente plena. Ita apud Horatium Sat. 2, 3, 142 sq. „pauper Opimius argenti positi intus et auri vappam

potare solitus est diebus profestis.“ Weberi cod. Paris. „laguena“ et Wimar. „laguoena.“ Scribitur et „laguna,“ Inscript. apud Grut. p. 778. „lagona,“ Phædr. 1, 26, 8. 10. „lagoena,“ Cato R. R. 122. Columel. 10, 387. Græc. λαγηνος et λαγυνος.

18 - 24. A locis communibus, quibus mores hominum in rebus utendis dissimillimi describuntur, ad reprehensionem avaritiæ transit. *Geminos . . Genio.* „Duo gemini, eodem tempore in lucem prodeuntes, contrariis tamen Geniis instructi sunt.“ Genius cum homine, eiusdem astri influxu nasci et mori, eius fortunam participare, eiusque fata suis temperare credebatur. Ita Horatius: „Scit Genius, natale comes qui temperat astrum, Naturæ Deus humanæ, mortalis in unum-Quodque caput.“ Ep. 2, 2, 187. Idem sententiam eandem, sed aliter, effert: „Castor gaudet equis; ovo prognatus eodem, Pugnis; quot capitum vivunt, totidem studiorum Millia.“ Sat. 2, 1, 26. cf. Ep. 2, 2, 185. Revocat Noster, quod 5, 52. simplicius expressit. *Horoscope* vid. 5, 45 - 51. Inspectioni horæ natalis astrologicæ personam ipsius inspectoris vel astrologi adiicit, et ita „notum callida verbum reddit iunctura novum,“ ut præcipit Horatius A. P. 48. *Varum* antiquis est „curvum, inflexum, intortum.“ Ita Ovid. Metam. 9, 53. Amor. 1, 5, 24. Martial. 7, 51, 9. Stat. Theb. 6, 851. usurpatur de membris humanis et de cornibus boum. Noster 4, 12. vocem adhibuit de pede vel scapo regulæ inæquali; h. l. transtulit ad id quod non quidem dissimile, sed contrarium est, cuius trans-

lationis exemplum habuit Hor. Sat. 2, 3, 56. ubi Schol. Acron: „separatum, contrarium, diversum," et Porphyrion: „diversum et distortum," interpretantur. Vide Heindorfium ad h. l. *Solis natalibus*, qui apud Romanos festi erant, 2, 1–3. et epulis celebrabantur, Hor. Sat. 2, 2, 60. misere adeo et tenuiter victitat: qualis tum victus diebus profestis? Opimius Horatii, licet sordidissimus, festa non miscuit profestis. Sat. 2, 3, 143. Codd. Weberi Paris. et Wimar. „tinguat." Ita in veteribus libris sæpe „tinguo" pro „tingo" scriptum reperitur, v. c. Lucret. 6, 172. *Olus* pro victo tenui positum, ut 3, 112. cf. Hor. Ep. 1, 5, 2. 1, 17, 13. 15. Sat. 2, 1, 74. 2, 2, 117. 2, 6, 64. 2, 7, 30. *Siccum*, uncto contrarium. *Muria*, salsugo, vilissimum liquaminis genus, *empta* parce *in calice*, exiguo vasculo, huic tantum diei sufficiens. *Vafer*, callide providus: Quot verba, tot ictus flagelli satirici. Nec *ipse* temere positum, quod impensis ministerii parcit, vel ministro tantam rem non committit. Ofellus similiter apud Horatium: „cornu ipse bilibri Caulibus instillat, veteris non parcus aceti." Sat. 2, 2, 61. Exquisitum etiam illud *sacrum inrorans*, quod piper, tamquam rem sacram et non attingendam, minutatim patinæ instillat et instar roris inspergit. Romanis *sacrum* est, ut Græcis ἱερον, quod tangere et violare nefas. Avaris ita opes suæ sunt inviolabiles, ἱερα και ἀσυλα adeo, ut ne ipsi quidem iis utantur. Unde Horatius Sat. 1, 1, 70: „Congestis undique saccis Indormis inhians, et tamquam parcere sacris Cogeris,

aut pictis tamquam gaudere tabellis;" et 2, 3, 9. „Qui nummos aurumque recondit, nescius uti Compositis, metuensque velut contingere sacrum." Ad quæ Horatii loca Schol. Acron: Bene *sacra* in comparationem et picturam introduxit, unde nihil ad quæstum adimi potest; nam ex una parte religio prohibet, ex altera tantum ars sine fructu intuentium animis illudit. cf. 2, 3, 110. De *piperis* usu frequente apud Romanos vide 3, 75. *Hic puer*, geminorum alter. *Magnanimus* eadem significatione, qua „talus magnanimus" dicitur Martial. 13, 1, 3. Qui ingentem rem familiarem *dente* vel gula decoquunt (*peragere* hoc sensu insolitum vide Plin. H. N. 9, 60.) speciem aliquam magni et excelsi animi habent, quod nihil ad suam, omnia ad aliorum utilitatem referre videntur. *Utar ego, utar* rebus meis, ita tamen ut luxuriam vitem, ne in alios stulte sim liberalis, nec mihi ipsi nimis indulgeam. Ita quod ad usum rerum pertinet, et quantum homo liberalis a prodigo, parcus ab avaro differat, Horatius docet Ep. 2, 2, 190. „Utar, et ex modico, quantum res poscet, acervo Tollam, nec metuam quid de me iudicet heres, Quod non plura datis invenerit, et tamen idem Scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti Discrepet, et quantum discordet parcus avaro. Distat enim, spargas tua prodigus, an neque sumptum Invitus facias, neque plura parare labores; Ac potius, puer ut festis quinquatribus olim, Exiguo gratoque fruaris tempore raptim." *Rhombus*, piscis, ψῆττα, Athen. 7. in deliciis Romanæ mensæ ponebatur. Hor. Sat. 1, 2, 116.

2, 2, 42. 48. 95. Epod. 2, 50. Martial. 13, 81. Iuvenal. 4, 37 sq. Codd. Norimb. Chemn. Husumensis et sex apud Achaintrium: „scombros.“ *Libertis*, qui licet manumissi inferioris erant conditionis. Ad cenam quidem, sed parciorem, cum clientibus et parasitis vocabantur. His vappa propinabatur, dum patronus vinum bibebat generosissimum. Iuvenal. 5, 24 sq. *Ponere lautus*, quod Marcilius absque re et codicibus emendat: p. „lautis;“ græcismus est, ut v. sq. *sollers nosse*. *Nec tenuem* &c. „Nec adeo in hac re callidus sum, ut turdorum sapores discernam. „Solent enim gulæ quidam dediti tantæ subtilitatis habere palatum, ut cognoscant turdos, an cellarius, an terrarius sit (MS. an acinarius, an vivarius sit *) et si ma-

*) „Cellarius,“ qui ex promptuaria cella promebatur. Sulp. Severi Hist. sacra 2, 41, 2. „terrarius,“ qui in aviario inclusus pascitur; „acinarius,“ qui pascitur uvis vel acinis; „vivarius,“ qui in vivario nutritur. Homines gulæ luxu insignes domi turdos nutrivisse, discimus ex Lucullo Plutarchi, ubi traditur, Cn. Pompeium, cum ipsi ægrotanti præcepisset medicus ut turdum ederet, negarent autem servi eam avem usquam æstivo tempore posse reperiri, nisi apud Lucullum, qui turdos domi saginaret, prohibuisse inde peti, et dixisse medico: „Ergo nisi Lucullus perditus deliciis esset, non viveret Pompeius?“ aliamque avem, quæ parabilis esset, sibi apponi iussisse. Hoc Plutarcho adeo placuit, ut id quater referat, scilicet in Lucullo, in Pompeio, in Apophthegm. et in libro: An seni gerenda sit Respublica. Dictum illud celebre: *Οὐκεν ἐι μη Λεκελλος ἐτρυφα, Πομπηϊος ὐκ αν ἐζησεν;* in proverbium abiisse videtur.

sculus sit, an femina: quos velut peritia procacis gulæ facit in hac re attentos. *Turdarum* abusive posuit, cum turdorum dicere debuerit, ut Horatius ponit: Pene macros arsit, dum turdos versat in igni (Sat. 1, 5, 72.)" Vet. Schol. Quæ si cum Varrone de L. Lat. 8, 38. et de Re Rust. 3, 5, 6. conferantur, vocabulum „turda, æ" pro turdo femina dictum, ab usu linguæ Latinæ alienum quidem videtur, verum tamen a Persio usurpatum ad genus turdi versu exprimendum. *Turdarum* scilicet veram lectionem agnoscunt, præter Scholiasten et Servium in Arte Gram. ed. Lindem. p. 493. etiam membranæ Haun. 1. et Norimb. codd. apud Pithoeum et Casaubonum, Wimar. et Chemnicensis Weberi, editores recentiores Nasser, Passow, Orellius. In codice L. vetustissimo exemplari Pithoei, *turdarum* videtur emendatum: „turdorum," eiusdemque lituræ vestigium Wagnerus in membrana Luneb. invenit; quare lectionem „turdorum" Murmellius, Bondius et ipse Casaubonus secuti sunt, forsan territi sanctione cit. Varronis, quod „turda" et „corva" Latine dici nequeat. „Turdelam" saltim dixit Isidorus 12, 7. Agitur de subtili Romanorum in ciborum delectu peritia, quæ in sexu turdorum dignoscendo non minus erat callida, quam in ostreis gustandis Montani, de quo Iuvenalis. *) *Salivam* Persius

*) „Nulli maior fuit usus edendi Tempestate mea. Circeis nata forent, an Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo Ostrea, callebat primo deprendere morsu, Et se-

dixit pro „sapore," ut Plinius H. N. 14, 6. 25, 1. „salivam vini." Codd. 10 apud Ach. Norimb. et Chemn. „tenues .. salivas." At usus edendi exemplum cepit e turdis, quod maxima illis gratia erat apud Romanos. Ita Horatius: „Obeso nil melius turdo," Ep. 1, 15, 40. et Martialis 13, 92. „Inter aves turdus, si quis me iudice certet, Inter quadrupedes gloria prima lepus." Vimini in orbem flexo, quod „coronam" vocat Martialis 3, 47, 10. 13, 51, 2. turdi appendebantur, cum venum ferrentur, vel amicis dono darentur, cf. Hor. Sat. 2, 5, 10. Ovid. A. Am. 2, 269. Magno numero alebantur, et vendebantur pretio satis magno. Varro: „Ex hac villa," inquit, „qui est ornithon, ex eo uno quinque millia scio venisse turdorum denariis ternis, ut sexaginta millia ea pars reddiderit eo anno villæ." de Re Rust. 2, 3. Reddiderint ergo (ita colligit Meursius Rom. Luxur. c. 15.) quinque mille turdi tria millia florenorum. Græcis etiam turdi in deliciis erant. „As-

---

mel aspecti litus dicebat echini." Iuv. 4, 139. Eandem gulæ experientiam profitetur Catius Horatii Sat. 2, 4, 45. „Piscibus atque avibus quæ natura et foret ætas, Ante meum nulli patuit quæsita palatum." Idem v. 35. præcipit: „Nec sibi cenarum quivis temere arroget artem, Non prius exacta tenui ratione saporum." Hanc item Romani palati sollertiam laudat Horatius, vel potius Ofellus, cum sibi liguritionis ipse conscius sapientem illum rusticum inducat loquentem: „Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus, an alto Captus hiet, pontesne inter iactatus, an amnis Ostia sub Tusci?" Sat. 2, 2, 31. cf. Columel. de R. R. 13, 89. Macrob. Saturn. 2, 12.

sati cum placentulis sponte in fauces volitabant," ut ait poeta Teleclides apud Athenæum, Deipnos. 2, 68. *)

25. 26. Eundem, quem ipse sequitur, ab incondita profusione et expolito luxu æque remotum, rerum usum aliis quoque præcipit. *Messe tenus* **) *propria vive.* „Sumptum facito pro modo facultatum tuarum. Ab agricolis traductum, qui sumptus annuis agrorum proventibus metiuntur. Neque enim res consistere potest, cum quæstum superat sumptus, quemadmodum ait Plautus." Erasmus in Adagiis. *Granaria* (5, 110.) *emole*, consume, quod fiebat molendo, aut trusatilibus molis, quas iumenta, aut versatilibus, quas homines trahebant. Cato de Re Rust. c. 10. Plin. H. N. 36, 18. Tempore Plinii „maior pars Italiæ ruido (aspero et impolito) pilo utebatur, rotis etiam, quas aqua versabat obiter et molebat." H. N. 18, 10. *Quid metuis?*

---

*) *Ὀπται δε κιχλαι μετ' ἀμητισκων ἐις τον φαρυγγ' ἐισεπετοντο.* Tantum turdis hodie non tribui, forsan inde est, quod, simul ac capti fuerint, assantur, plerumque adhuc macri, olim vero in ornithonibus, amplis villæ septis et peristylis, vel apud fartores urbanos in cellis angustis et obscuris alebantur, ut cito pinguescerent. Turdum vermibus pastum, eiusque carnem fibrosam fuisse, tradit Galenus Alim. Facult. 3, 19.

**) *Tenus*, præpositio cum ablativo, ut semper apud Ciceronem; apud alios interdum cum genitivo, unde illud nomen, casui suo subiunctum, ut caussa, gratia, nonnulli dixerunt. Horatio Ep. 1, 1, 32. est adverbium. Casui suo h. l. postponitur, ut solitum est, nisi præeunte adiectivo, cf. Virg. Æn. 1, 741.

Dimidia pars codd. apud Achaintrium cum Tigurino et Haun. omnibus, Parisino et Wimariensi Weberi ita legunt; ceteri Ach. et Norimb. „metuas." Metuunt et cupiunt avari. *Occa*, rustica tua opera diligenter obi. Pars agri culturæ pro tota cultura ponitur. *Seges*, messis, *in herba est*, ut h. l. de certa spe metaphorice dicitur, ita de immatura spe Ovid. Heroid. 17, 265. ubi Heinsius propriæ eiusdem locutionis exemplum citat Cæs. Bell. Civ. 1, 48. „Frumenta in herbis erant;" quo tamen loco edd. Oudend. et aliæ rectius legunt „hibernis." Verius attulit Ovid. Fast. 4, 645. cui adiicienda: Metamorph. 5, 482. 8, 290. Plin. H. N. 18, 7. Codd. Tig. „occa, seges;" Ach. „occa, en seges;" Norimb. *occa, et seges*, quæ vulgata est lectio Pithoeana. Ita et cod. Paris. Weberi.

27–31. Avarum inducit se defendentem, et honestissimam parsimoniæ suæ rationem prætexentem, scilicet necessitatem naufragi amici sublevandam. *Bruttia saxa* pro Bruttio saxoso, promontorio Italiæ, quod ob periculum navigantibus inde timendum Σκύλλαιον dicit Ptolemæus. Cod. Wimariensis Weberi: „Brutica." „*Prendit amicus inops* exquisitius, quam: eiectus est ad litus. *) Videmus illum naufragum, fluctibus luc-

*) De verbo *prendere* sine aspiratione scribendo vide Grammaticos antiquos apud Putschium: Velium Longum c. 2229. 2234. et Ter. Scaurum c. 2256. item Quinctilianum Inst. Or. 1, 5, 21. Hoc certe loco aspirationem, quam habent codd. Wimar. et Chemnicensis Weberi, metrum respuit.

tantem, vix tandem se ad scopulum servare, ceteris rebus omnibus amissis. Homer. Odyss. 5, 426 sq. Virg. Æn. 6, 358 sq.“ Koenig. Amisit et *surda vota*, a Diis marinis non exaudita. Ita Plinius H. N. 19, 1. ictus, qui non exaudiuntur, *surdos* dixit, et Ovidius Pont. 2, 6, 32. gratiam non surdam, quæ non tacebitur. *Ingentes de puppe Dei.* Hic unus locorum est, in quibus tutela navis ab insigni manifeste distinguitur. *)

*) Navium „tutela“ apud Romanos erat, picta fictave, Dei vel herois alicuius imago, semper in puppe collocata, nautarum vectorumque præcipua religio, cui supplicabant, cuius opem tempestatum procellis iactati implorabant, quam denique, si quid mali ominis esset commissum, variis ritibus expiabant. „Insigne“ vero, Græcis παρασημον vel ἐπισημον, erat simulacrum sive Dei, sive herois, sive virtutis alicuius, vel animalis πρωτομη, vel cuiuscumque tandem rei imago, in prora semper constituta, unde navis nomen accipiebat. Sicut tutelam religio, ita insigne communis utilitas peperit, ut naves structura atque ornamentis simillimæ aliquo saltim discrimine distinguerentur. Utriusque vestigia antiqua v. Herodot. 3, 37. Eurip. Iphig. in Aul. 247. Schol. Aristoph. Acarn. 546. Virg. Æn. 10, 157. 171. Ovid. Heroid. 16, 113. Trist. 1, 9, 1. 2. Sil. Ital. 14, 542. Ad quem Silii locum: „Scuta virûm, cristæque, et inerti spicula ferro, Tutelæque Deum fluitant,“ Dan. Heinsius tantum parasemon a tutela abesse putat, quantum a prora puppis, cum alterum in prora, in puppe alterum. Cum tutelam pariter ac parasemon commemorat Ovidius loco Tristium cit. „Est mihi, sitque precor, flavæ tutela Minervæ Navis, et a picta casside nomen habet,“ inde patet, navim, quæ poetam in Pontum vexit, Minervam pictam pro tutela, eius vero galeam pro parasemo gessisse. Sed et interdum

Ingentes non ironicam Deorum impotentiæ, sed simplicem simulacrorum vel statuarum descriptionem esse, Koenig bene observavit. *Puppe* ablativus, ab antiquis Grammaticis, Charisio et Rhemnio Palæmone, Putsch. c. 33. 96. 1374. licet improbatus, poetis non est infrequens. *Costa*, latus navis (Plin. H. N. 13, 9.) disruptæ, fertur obvia marinis avibus.

31-33. Non verba avari, sed poetæ, prætextum avari removentis. „Ne nunc quidem opus est, ut a rebus tuis utendis abstineas. Si proventus agrorum annui ad amicum sublevandum non sufficiant, restat ipse fundus, cuius aliquam particulam amico inopi largiaris, ne ad incitas redigatur.“ Plerique interpretes hæc verba tribuunt avaro, verum poeta in eo est, ut avaritiam reprehendat, non excuset. *Cespes vivus* pro agro vivente, „agro cespite læto“ Petron. 120, 72. Præceptum Grammaticorum, quod „cæspite“ scri-

accidebat, ut una eademque res et tutela esset et insigne navis, quoties scilicet numinis ipsius effigies, cuius in tutela erat navigium, pro insigni locaretur in prora; et tunc navis Dei illius nomine vocabatur, vide Dial. Luciani: Navigium seu Vota c: 5. Acta Apost. 28, 11. Hinc difficilis admodum distinctio. Hac in re etiam diversarum gentium consuetudo distingui debet. Ad nostrum locum Scholiastes: „Navium tutelam dicit, quam in puppibus habent vel fingunt.“ Hæc sunt *ἀνθεα πρυμνης* apud Greg. Nazianzenum Carm. 10, 5. *Νηα δε ποντοπορειαν ἐπηνεσα ὐν παρασημοις Καλλεσιν, ὐν πρυμνης ἀνθεσι λαμπομενην.* Vide Dav. Ruhnkenii Opusc. T. 1. Ed. 2. Lugd. Bat. 1823.

bendum (Grotefend Lat. Gram. 2, 170.) codices omnes ignorant. *Ne pictus* &c. vid. 1, 88.

55-57. Alia obiectio avari metuentis, ut ab herede sibi fiant mortuo, quæ aliis mortuis fieri solent. De metu illo heredis, rem imminutam ægre ferentis, Horatius: „Utar, et ex modico, quantum res poscet, acervo Tollam, nec metuam, quid de me iudicet heres, Quod non plura datis invenerit." Ep. 2, 2, 190. et „Parcus ob heredis curam, nimiumque severus Assidet insano." Ep. 1, 5, 13. *Cena funeris* duplicis erat generis: una in rogo Diis Manibus exhibita, Silicernium dicta, Festo ad voc. Silic. *Ἑκατης το δειπνον, περιδειπνον.* *) Altera erat convivium, quod per-

*) De ea Ovidius: „Est honor et tumulis; animas placate paternas, Parvaque in exstinctas munera ferte pyras. Parva petunt Manes; pietas pro divite grata est Munere; non avidos Styx habet ima Deos. Tegula proiectis satis est velata coronis, Et sparsæ fruges, parcaque mica salis, Inque mero mollita Ceres, violæque solutæ. Hæc habeat media testa relicta via. Nec maiora veto; sed et his placabilis umbra est &c. Fast. 2, 533. Sal, legumina et ova, in defunctorum epulis apposita et inter luctus indicia numerata, Plutarchus tradit in Crasso. cf. Iuvenal. 5, 85. Tertullianus, cum morem illum rideat, piam et simplicem antiquitatis mentem non videtur assecutus, sed crescentem feralis cenæ luxum merito reprehendit: „Defunctis parentant, et quidem impensissimo officio pro moribus eorum, pro temporibus esculentorum, ut quos negant sentire quidquam, etiam desiderare præsumant . . At ego magis ridebo vulgus, tum quoque, cum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime

actis ad sepulcrum iustis domi apparabatur cognatis et amicis, quandoque publicum, visceratione populo data ludisque factis funebribus, vid. Liv. 31, 50. 59, 46. Dion. Cass. 40, 49. 67, 9. Sueton. Iul. Cæs. 26. Cic. Or. pro Muræna 36. Populum Romanum, harum epularum luxu et magnificentia corruptum, usque adeo difficilem et morosum fuisse, ut modicum sperneret apparatum, discimus ex loco cit. Ciceronis. Cum scilicet alii lectos æratos, eburneos, argenteos pretiosa etiam veste sternere et Corinthia vel Deliaca vasa exponere solerent, offendebatur ille populus lectulis ligneis, pellibus hædinis et vasibus fictilibus, quæ Tubero Stoica qua erat frugalitate exposuit in morte Africani celebranda, et „perversam illam sapientiam (verbis dicam Ciceronis blandiloqui) graviter adeo tulit, ut his hædinis pelliculis Tubero deiectus sit prætura. Ut ritum silicernii usque ad Christianos propagatum queritur

---

nutrit, iisdem ignibus et promerens et offendens. O pietatem de crudelitate ludentem! Sacrificat, an insultat, cum crematis cremat?“ de Resurr. Carnis c. 1. Cibis Manibus oblatis vesci nefas erat. „Silicernium cena, quæ infertur Diis Manibus, quod qui hæc inferant cernant tantum (silentes) non degustent; nam de his, quæ libantur inferis, quisquis comederit aut biberit, funestatur.“ Donat. ad Terent. Adelph. 4, 2, 48. Inde „bustirapi“ Plaut. Pseud. 1, 3, 127. et „cibum petere e flamma“ Terent. Eun. 3, 2, 38. ut dicebantur, qui præ nimia paupertate cibos e cenis mortuorum petebant, vel lucri causa nefanda omnia subire non verebantur. cf. Catull. 57, 3. Plaut. Rud. 1, 2, 52.

Tertullianus, ita morem epulandi Augustinus, multos se novisse dicens, qui cum luxoriosissime super mortuos biberent, et epulas cadaveribus exhiberent, super sepulcra se ipsos sepeliissent: de Moribus Eccl. Cathol. c. 54. *Cen. fun. heres negliget.* De impensis funeris apud Romanos arbitrio heredis ab eo, qui testatus fuerat, relictis vide Turnebum, Adv. 28, 3. *Quod rem curtaveris* sc. frangendo aliquid de cespite vivo. *Urnæ ossa inodora dabit.* Post cremationem ossa odoribus perfusa in urna condebantur. Tibull. 3, 2, 23. Ovid. Trist. 3, 3, 65. 69. „Inhonora" veteris Scholiastæ et codicis Wimariensis apud Weberum pro glossa positum videtur. *Nescire paratus*, scire nihil curans, *seu spirent cinnama surdum*, utrum unguentum ex cinnamo factum odorem emittat obtusum. Ita κωφος Græcis est hebes, invalidus, ut apud Homerum: Κωφον γαρ βελος ἀνδρος ἀναλκιδος ἐτιδανοιο. Accusativi adiectivornm in neutro genere verbis neutris adverbiorum loco similiter adiiciuntur Virg. Æn. 7, 510. Georg. 4, 570. Ovid. Pont. 4, 10, 45. *) De *cinnamo* et unguentis inde factis Plinius H. N. 12, 19. 13, 1. Poetis frequens est in multitudinis numero, v. c. Ovid. Metam. 15, 399. Martial. 4, 13. *Casiam* vide 2, 64. „Iuxta cinnami campos nascitur." Plin. H. N. 12, 19. Cassiam dicit Columella in India et Arabia provenientem, cin-

*) Nimirum significatio verborum neutralis cum activa vel permutatur vel coniungitur. Cf. G. Stallbaum ad Ruddimanni Instit. Gram. Lat. II. p. 160.

nanomo persimilem. de Re Rust. 5, 8. Græcis similiter κασια et κασσια scribebatur. *Ceraso peccare* pro „ceraso admixto adulterari.“ Eam Plinius H. N. 12, 20. styrace, et propter similitudinem corticum, lauri tenuissimis surculis adulterari dicit, *cerasum* tacet. Styracem, in officinis storacem, gummi seu lacrimæ induratæ genus esse constat. Inde forsan cerasum pro gummi e ceraso interpretes accipiunt. Solum veterem Scholiasten sequimur, omni alia auctoritate destituti: „Solent pigmentarii ceraso casiam admiscere, sicut et alias merces adulterant et emptoribus vendunt.“ *Tune bona* in apparatum funeris tui servanda *minuas incolumis*, impune, sine ultione heredis? Verba avari in præcedentibus loquentis, qui ut avaritiam defendat, personam heredis suscipit.

37–40. *Sed Bestius urget.* Nonnulli librorum veterum, in quibus membrana Haun. 1. servant lectionem vulgatam: „Et B. u.“ verum codd. Haun. ceteri, item Achaintrii, Tigurinus cum vet. interprete et Pithoeo, Orellio &c. legunt: *Sed B. u. Bestius* ille correptus *) apud Horatium Ep. 1, 15, 37. sordidus

*) Pleræque Horatii editiones, et quidem recentissima cel. F. G. Doeringii, ed. 3. Lips. 1824. habent „corrector Bestius,“ quem avarum hominem, nepotum acerbissimum censorem intelligunt, collato Persii loco. At veram lectionem: „correptus“ (obiurgatus, reprehensus) *Bestius* editor Italicus Carolus Fea (ed. 3. F. H. Bothii Heidelb. 1821.) ex codicibus restituit, Bestium pro bestiali seu brutali (verbis veniam docti viri nomine peto) dictum

homo, *urget*, culpam luxuriæ transfert in *doctores Graios*, philosophos, qui morum mollitiem e Græcia cum literis Romæ intulerunt. Ita Casaubonus, Koenig, Passow, Weber. In hunc sensum sequentia: *Postquam* una *cum pipere et palmis*, ceteris mercibus transmarinis, *hoc nostrum sapere*, Græcorum philosophia, quæ nunc vulgo probatur, *maris expers*, mollis et effeminata, admissa est in Urbem, fenisecæ, cives Romani, olim agrestes et omnium deliciarum rudes, meraque pulte victitantes, coeperunt more Græcorum vivere, et pultes suas unctis cibis mutare. Obiiciunt quidem Montius et Meisterus, *expers maris* Latinis idem fuisse ac „expers nuptiarum," Hor. Od. 3, 11, 11. Respondent Casauboniani, Nostrum 6, 4. dixisse „marem strepitum," Horatium item A. P. 402. „mares animos" et Ep. 1, 1, 64. „maribus Curiis" &c. verum „marem" substantivum pro eo, quod masculum et viro dignum est, et *maris expers* pro molli et effeminato dictum fuisse, vix probaverint. Videamus ergo ceteras huius loci interpretationes. Est altera Casauboni, huius tenoris: „Sapientia, quam vulgo docemur, transmarina, e Græcia per mare huc advecta" &c. Nimirum duce glossario vetere, in quo *expers* ἄπειρος *καὶ* ἔμπειρος exponitur, vocem iis annumerat, quæ

putans, ut veteres Scholiastæ passim in Mss exponunt. „De Corn. Bestio scribit Plutarchus, cum Ruscium, Imbrici soceri sui filium, quem acceperat servandum, dedisse morti, ut eius auro potiretur." Cruq. ad l. c. Horatii.

significationes contrarias admittant, adeo ut alicuius rei participem et non participem denotet. Priorem sensum rariorem quidem Lexicographi dicunt, non vero probant, cum loca ab iis allata, hic sc. Persii et Hor. Sat. 2, 8, 15. posteriorem significationem æque admittant. Turnebo Adv. 30, 7. *maris expers* est „sapientia cismarina." Mutata vulgari interpunctione legit: *Ita fit, postquam sapere urbi Cum pipere et palmis venit: nostrum hoc maris expers; Fenisecæ crasso vitiarunt unguine pultes!* et ita interpretatur: „Postquam transmarina coepimus uti sapientia et philosophorum disciplina Græcorum, eaque nobis probata fuit, nostra hæc vernacula et cismarina sapientia haberi coepit, nec in pretio esse, quod transmarina non esset. Itaque etiam fenisecæ degeneravere et corrupti sunt, et pultes suas magis quam olim ungere coeperunt. Quam interpretationem ingeniosam, sed coactam vere dixit Casaubonus, quod ea *nostrum hoc maris expers* a præcedentibus separatur. Meisterus (Ueber A. Persius Flaccus, Lips. 1810.) vestigia premens Turnebi, *sapere nostrum hoc maris expers* dicit „sapientiam, quam non, ut olim, transmarinis ex partibus petimus, sed quæ cismarina nunc facta est ac nostras omnino, ex quo Græculi, una cum pipere et palmis huc advecti, veram Romanorum indolem misere corrumpentes, in Urbe eam docere coeperunt." Qui sensus, cum „nunc" in textu non exstet, argutius quam verius videtur illatus. Orellius commendat sententiam Marcilii, qua Græcam sapientiam vino Græco

comparari dicit et novis eam argumentis instruit. Utrumque pariter ac Meisterum censor Ienensis bene refutavit. *) Simpliciorem et loco convenientiorem appono interpretationem amici philologi: Interpungit hoc modo: *Ita fit, postquam sapere urbi cum pipere et palmis venit; nostrum hoc, maris expers, foenisecæ crasso vitiarunt unguine pultes*, et sensum exponit: „Ita fit, postquam philosophia cum pipere et palmis, peregrinis illis mercibus, admissa est in Urbem, ipsi viles rustici cibum, qui nobis est domesticus et mare numquam transiit, pultem scilicet pingui condimento corruperunt, i. e. cum humanitate et morum elegantia luxus se ubique insinuavit, et primum Urbem, deinde agros pervasit.“

39. *Cum pipere et palmis.* Iuvenalis 3, 83. de Græculo similiter: „Advectus Romam, quo pruna et coctona vento.“ Usum baccæ myrteæ apud antiquos, antequam piper reperiretur, illius obtinuisse vicem, docet Plinius H. N. 15, 29. Quin abhorruisse veteres a pipere in obsoniis adhibendo, cuius postmodum erant appetentissimi (3, 75.) auctor est Plutarchus Sympos. 9. Quæst. 9. Koenig cum Reizio legit „vestrum,“ haud sciens, an ille hanc lectionem ingenio suo debeat. Debet Bentleio, qui ad Hor. Ep. 1, 15, 37. „vostrum“ pro *nostrum* proposuit legendum; sed nihil attinet illa emendatio, cum Bestius *sapere hoc maris expers*

*) Allg. Lit. Zeitung 1822. et 1823. Apr.

non ad se, sed ad ævi sui genium referat, ut 1, 104. 2, 62. *)

40. Pro *fenisecæ* Decl. 1. „feniseces“ Decl. 3. legere maluit Phil. Beroaldus, quod „fenisecis“ (a fenisex) scriptum invenisset Columel. 2, 18. Recentior etiam Columellæ editor Schneiderus h. l. *fenisecæ*, quod exstat in editione Gesneri, mutavit in „fenisecis.“ At idem, cum 2, 5. pro „fenisecam“ legit „fenisecas,“ primam tamen servavit declinationem. Omnia etiam Persii exemplaria vulgatam lectionem tenent. In scriptura *æ, oe* et *e* codices variant; quorum sequimur plurimos, præeunte Schneidero, Elementarlehre p. 78. *Unguen* pro oleo, ut unctum pro oleo delibuto dictum fuisse, Burmannus ostendit ad Ovid. A. A. 1, 662. *Puls*, victus antiquissimus, ex farina, aqua, melle, seu caseo et ovo decoctus, v. Varr. de L. Lat. 4, 22. De ea Plinius H. N. 18, 8: „Pulte, non pane, vixisse longo tempore Romanos, manifestum, quoniam indo et pulmentaria hodie dicuntur;“ et Val. Maximus, 2, 5, 5: „Erant (antiqui) adeo continentiæ attenti, ut frequentior apud eos pultis usus, quam panis esset.“ Inde apud Plautum: „pultiphagus opifex,“ Mostel. 3, 2, 141. et „pultiphagonides,“ Poen. Prol. 55. quibus in locis Turnebus (Adv. 19, 12.) et Lipsius (de Mil. Rom. 5, 16.) Romanos, at Scaliger in Coniect. et Taubmannus ad Plautum Poenos intelligunt, nobis autem satis erit, dictos esse antiquos.

*) Cf. Cens. Ienens. Allg. Lit. Zeitung 1807. n. 218. et 1810. n. 25.

41. *Hæc,* minas illas et convicia heredis, *cinere ulterior*, fato functus, *metuas?* Verba sunt poetæ, reprehendentis avarum, qui, ut honorifice sepeliatur, heredi indulgendum existimat. Ut ostendat, se heredi suo non esse obsecuturum, hunc in sequentibus alloquitur tamquam præsentem, et cum eo de munificentiæ, quas molitur, impensis libere agit.

43. *Laurus* pro „literis laureatis.“ Solebant imperatores, qui superatis hostibus senatui Romano res hasce lætas nuntiarent, tabellarios cum hastis laureatis, literisque lauro involutis mittere. Ita Lucullus literas Romam misit, lauro involutas, ὡς ἔθος ἐστιν ἐπι νικαις, Appian. Mithridat. et ad Neronem allatus est nuntius ex Armenia, laurusque parta victoria, δαφνη ἐπι τη νικη, Dio Cass. 62, 19. cf. Liv. 5, 28. 45, 1. Tac. Annal. 18, 4. Martial. 9, 56, 6. Am. Marc. 16, 12. De *lauro* Plinius: „Romanis præcipue lætitiæ, victoriarumque nuntia additur literis, et militum lanceis pilisque. Fasces imperatorum decorat. Ex his in gremio Iovis optimi maximique deponitur,*) quoties lætitiam nova victoria attulit. Idque non quia perpetuo viret, nec quia pacifera est; præferenda ei utroque (cum gemina ea dote) olea; sed quia spectatissima in monte Parnasso, ideoque etiam grata Apollini, assuetis eo dona

*) Spectat veterem ritum triumphantium, qui ascendere Capitolium soliti erant, et laurum, quam manu tenebant, deponere in gremium Iovis. Ovid. Trist. 4, 2, 55. Stat. Silv. 4, 41. Plin. Panegyr. 8.

mittere iam et regibus Romanis.“ H. N. 15, 30. Si quid adversi nuntiaretur, pinna in epistola figebatur. Vet. Schol. ad Iuvenal. 4, 149. Ipsas etiam pugnarum victoriarumque picturas imperatores in urbem perferendas dabant; ita Severus Herodian. 3, 9. et Maximinus ibid. 7, 2. *A Cæsare* Caio Caligula, qui in expeditione Germanica nihil amplius, quam Adminio transfuga in deditionem accepto, „quasi universa tradita insula, magnificas Romam literas misit &c. Sueton. Calig. 44. et victoriam de Germanis reportatam simulans, procuratoribus scripsit, ut triumphum apparārent.“ c. 47. Persius „obliquo quasi ictu tangit stultam imperatorum vanitatem, qui sæpius victorias de Germanis, ut ferocissima et Romanorum nomini infestissima gente, nusquam vero reportatas, senatui nuntiarent, et quasi re bene gesta, ut grates Diis immortalibus agerentur, festa indicarent publice celebranda.“ Koenig.

44. *Insignem cladem Germanæ pubis* ironice dictam esse, patet ex citato Suetonio et descriptione virtutis Germanicæ apud Tacitum. *)

*) „Germani Carbone, et Cassio, et Scauro Aurelio, et Servilio Cæpione, Cneio quoque Manlio fusis vel captis, quinque simul consulares exercitus populo Romano, Varum tresque cum eo legiones etiam Cæsari abstulerunt; nec impune C. Marius in Italia, divus Iulius in Gallia, Drusus ac Nero et Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes Caii Cæsaris minæ in ludibrium versæ. Inde otium, donec occasione discordiæ nostræ et

45. *Frigidus cinis*, qui longo tempore igni sacrificiorum non incaluit, removetur, et altaria ad nova sacrificia præparantur. Nam in triumpho sacra fiebant, procedente pompa boves ducebantur mactandi in sacrificiis, vittis sertisque redimiti, quandoque cornibus auratis. Ædes sacræ erant apertæ, coronis et suffitibus repletæ. *Postibus arma* spoliaque hostibus adempta non solum templis adornandis affigebantur, Val. Max. 7, 6, 1. sed ædibus etiam privatis. „Foris et circa limina domitarum gentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quæ nec emptori refigere liceret, triumphabantque etiam dominis mutatis ipsæ domus, et erat hæc stimulatio ingens, exprobrantibus tectis, quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum.“ Plin. H. N. 35, 2. cf. Winckelmanns Werke, herausg. von Fernow. B. 1. p. 500. Et quidem ita frequens hic ritus, ut falsa pro veris spolia figerent, auram scilicet captantes et choragium gloriæ, quod in ficto hoc Caligulæ triumpho videtur evenisse. Unde M. Catonis oratio de spoliis, „ne figerentur, nisi quæ de hostibus captæ essent.“ Festi l. 16. ad voc. „resignare.“ cf. Servium ad Æneid. 4, 244.

46. 47. *Chlamys*, toga Græcanica, Sueton. Dom. 4. indumentum, quod tunicæ imponebatur, pro pere-

civilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Callias affectavere; ac rursus pulsi inde, proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt. Tac. Germania 37.

grina quavis veste militari ponitur. Pro *chlamydes* scriptum reperitur „chlamydas," unde forsan deductus nominativus sing. chlamyda apud Apuleium Met. 11, 588. *Lutea gausapa* non vestes esse, cum nusquam relatum legimus, luteas vestes Germanorum insigne fuisse, sed eadem ratione, qua Sat. 4, 37. pro capillamento posita, scita est observatio Koenigii, a Passowio postmodum recepta. Provocat ad veterem interpretem editionis Persii Venet. 1516. qui hæc habet: „Gausape genus pilei, quo captivorum capita induebantur," additque: „Ut scilicet mercede conducti, aut aliunde capti et in triumphum producendi, Germanorum speciem præ se ferrent, debebant esse procera statura et capillis luteis seu flavis aut rutilis (Iuvenal. 13, 164 sq.) opus erat tegumentis capitis e luteis pilis confectis, quæ quoque conficienda debebant locari (Iuvenal. 6, 120. Martial. 14, 24.) Huiusmodi capitis tegumenta Romæ in usu fuisse, in vulgus notum est. Invenerant quoque artem rutilandi capillos lixivio seu sapone Gallico. Plin. H. N. 28, 12. Martial. 8, 33, 20. 14, 26." Tacitus item in falso Domitiani e Germania triumpho commemorat emptos per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur, Agric. 39. Pro *captis* cod. Norimb. Husumensis et Parisinus Weberi: „victis." *Essedum*, Gloss. ἅρμα Γαλατικον, quo „superstantem armatum Gallum Romanos in fugam vertisse," ait Livius 10 28. Genus erat vehiculi Gallici et Britannici, Cæs. Bell. Gall. 4, 33. Tac. Agric. c. 12. et Belgici, Virg. Georg. 3,

204. sed et Germanici, cum cæ gentes pleraque communia habuerint. *Ingentes Rhenos.* Scribitur *Rhenus* ubique per *h*, haud secus ac si vocabulum hoc Germanicum Græcæ originis existimassent veteres. De eo K. L. Schneider, Elementarlehre p. 215. Plerique post Casaubonum intelligunt Rhenanos, Rheni accolas. Hoc sensu transfert Passowius: Riesen von Rheinstrom. Huc ergo referendus esset locus Suetonii Calig. 47. „Conversus hinc ad curam triumphi, præter captivos et transfugas barbaros, Galliarum quoque procerissimum quemque, et ut ipse dicebat, ἀξιοθριαμβευτον, ac nonnullos ex principibus legit ac seposuit ad pompam; coegitque non tantum rutilare et submittere comam, sed et sermonem Germanicum addiscere, et nomina barbarica ferre." Verum in tanta sententiæ perspicuitate non opus est, ut confugiamus ad metonymiam, præsertim adeo duram, ut aliquos coegerit de codicum fide male suspicari, vocemque *Rhenos* in „Rhedas" convertere. Et vero (verbis Facciolati Patavini hac de re utar) si Rhenus pro Rheni incola dici possit, iam reliquum est, ut et Patavium pro homine Patavino, et Adria pro pisce Adriatico, et alia huiusmodi nimis ridicula dicantur. Rheni porro incolas, qui tamquam captivi ante currum ducerentur, non Cæsonia, quæ in urbe erat, sed Caligula comparare debebat, et revera comparavit et ad pompam seposuit, cf. Suet. cit. At novimus, oppidorum et fluminum imagines, immo rerum et locorum omnium, quæ ullo modo ad victoriam pertinerent, in triumphum ferri

consuevisse. Tacitus Annal. 2, 41: „Vecta spolia (in triumpho Germanici) simulacra montium, fluminum, prœliorum.“ Ovidius Trist. 4, 2, 3. de triumpho Drusi: „Hic lacus, hi montes, hæc tot castella, tot amnes, Plena feræ cædis, plena cruoris erant.“ Ipsum Rheni simulacrum eius pompæ pars fuit v. 41. „Cornibus hic fractis, viridi male tectus ab ulva, Decolor ipse suo sanguine Rhenus erat.“ Insignes nimirum fluvii ferebantur in pompa triumphali, specie hominum depicti. Hinc Ovidius Pont. 3, 4, 107. Liviæ, matri Tiberii, vaticinans, fore ut Cæsar alterum triumphum de Germania brevi consequatur, fingit Rhenum pingi ut hominem squalidum, portantem crines immissos sub fracta arundine, ad servitutem indicandam, et aquas sanguine mistas, ut ostenderetur, editam esse magnam Germanorum stragem. Locorum subactorum fluvii catenis iniectis ferebantur. Unde Propertius 2, 1, 31. „Aut canerem Ægyptum, et Nilum, cum tractus in Urbem, Septem captivis debilis ibat aquis.“ Nam in hac pompæ traductione fluvii iisdem ostiis, quot fluerent, describebantur. Plinius etiam devictorum oppidorum et fluminum imagines triumphantem Balbum secutas, et singulis triumphi simulacris titulos affixos fuisse, docet H. N. 5, 5. Hæc omnia Milonia *Cæsonia*, uxor Caligulæ (de qua Sueton. Cal. 25. Dio Cass. 59, 23. 28.) *locat;* quod non est: „disponit, accommodat,“ ut plerique interpretes opinantur; nam deerant, quæ disponenda et captivis accommodanda erant. Cæsoniæ, quod scite observavit Koenig, deerant arma,

vestes, captivi, omnia, quibus triumphum de Germanis ornare posset, quandoquidem revera spoliati, capti et devicti non erant. Hæc igitur paranda *locat*: redemptorum *) minimum poscenti publice addicit, ut et prompta essent in similationem veri triumphi, rerumque hostibus detractarum, et minimo sumptu, ut imperator ipse iusserat, constarent. Scripserat nimirum procuratoribus Caligula: „triumphum apparārent quam minima summa, sed quantus numquam alius fuisset, quando in omnium hominum bona ius haberent.“ Sueton. Cal. 47. Recte iudicat Koenig, loco omnem pæne vim et salem eo abstulisse interpretes, quod *locare* pro „disponere“ acceperint. Sed fallitur, cum meliorem hanc interpretationem tribuat Nic. Heinsio. Verum auctorem esse I. F. Gronovium, ostendit huius viri epistola ad N. Heinsium missa, unde verba rem uberius illustrantia apponam: „Verbum *locat* Persii 6, 47. quod interpretaris: „disponit vel postibus affigit,“ paullo aliter capiendum videtur mihi: nimirum ut apud Romanos scriptores censores locasse dicuntur publica opera, aut ut iurisconsulti eo verbo utuntur. Nisi fallor, habes egregie apud Cuiacium in observationibus et paratitlis in Pandectas ad titulum Locati. Hinc inter eo locare et ponere clare distinguit Suetonius in Claudio c. 9. quod Neronis et Drusi statuas segnius locandas ponendasque curasset. *Locat* est:

*) „Redemptor“ ex marmoribus scriptis apud Grut. 642, 2. &c. cf. Car. Fea ad Hor. Od. 3, 1, 35.

ri curat conducentibus, qui certo pretio ista apud ifices elaboranda suscepissent. *Locat arma*, quæ gantur postibus, *locat chlamydes*, et *gausapa*, et *eda*, et *Rhenos*, qui ducantur in triumpho." Syll. ist. ed. a P. Burmanno. T. 3. p. 52. *) Addo loca bantia: Cic. Verr. 1, 59. Philip. 9, 7. Epist. ad Di- s. 4, 12. Liv. 27, 10. Plin. H. N. 7, 52. Plaut. Aulul. 6, 52.

Postero tempore Iac. Facciolatus ante dictus, vir Latina eruditione clarissimus, in 2da epistolarum, quas suo subiunxit operi: De optimis studiis Orationes X. Patavii 1723. p. 273. eandem sententiam, Gronovianæ interpretationis, ut videtur, ignarus, ita explicuit. „Quid tibi ab illo exspectes, (agitur de insulso Grammatico, qui mirificum se Persii interpretem venditabat, iamque ad explicationem nostri loci et verbi *locat* compellendus erat) nisi quod interpretes omnes, docti indoctique, habent, videlicet idem valere, atque accommodat, collocat, disponit? Id cum dixerit, impune ridebis. Quid enim minus ad rem? Quasi vero Cæsonia tanto ante triumphi diem, qui dies ne advenit quidem umquam, arma in templorum postibus collocaret, captivos vestiret, esseda et imagines in pompa disponeret. Tu, si paullo reputabis attentius, statim intelliges, *locare* nihil esse aliud, quam opus faciundum redemtoribus tradere; nam cum Caligula procuratoribus scripsisset (Sueton. Cal. 47.) triumphum appararent, quantus numquam alius fuisset, inveniendi erant artifices, quibus et arma postibus figenda, et vestes ad captivos ornandos, et esseda, et imagines, et apparatus denique totus locaretur. Id vero usu veniebat etiam in veris et legitimis triumphis, ut vel tota, vel maxima pompæ pars, quamvis in speciem advecta longius, in urbe tamen conderetur; ideoque deesse non poterant id genus redemto-

48-50. *Dîs — — ducis.* In honorem Deorum, ut hanc victoriam senatui populoque Romano bene vertant, simul et in honorem Caligulæ imperatoris, qui „pro salute sua gladiatoriam operam exigit, et capite multat, qui per Genium suum deierare detrectant.“ Sueton. Cal. 27. „Duplicem significare videtur hecatomben; sed fortasse ludos gladiatorios significat, cum *paria* dicat, ut apud Horatium Sat. 2, 3, 85.“ gladiatorum dare centum Damnati populo paria.“ Munera autem gladiatoria, ludosque in religionis parte numerabant.“ Turnebus Adv. 30, 7. cf. Liv. 41, 33. *Paria* vocabulum artis gladiatoriæ fuisse, docent loca Sueton. Iul. Cæs. 10. Domitian. 4. Senec. Ep. 7. &c. Gladiatores in arena circumducti per *paria* componebantur, comparabantur, ut sibi viribus æquales essent, cf. Heindorf ad Hor. Sat. 1, 7, 19. Ruddimannus, cum *paria* boum intelligat Inst. Gr. lat. II. p. 42. a vero haud leviter abfuit. *Induco*, verbum eiusdem generis technicum: Suet. Claud. 34. Ner. 11. Cic. Ep. ad Att. 5, 11. Hi ludi, a sepulcris ad circum et amphitheatra translati, ex arbitrariis stati facti sunt ab imperatore Claudio, qui tamen mox immanitatis pertæsus ritum sustulit, privatis nihilominus manente consuetudine.

---

res. Non aliter, credo, quinque Iulii Cæsaris triumphi, quorum quatuor eodem mense acti, parari tanta celeritate vel varietate potuerunt. De his Vell. Paterculus 1, 2, 56. „Quinque egit triumphos: Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini testudine, Africi ebore, Hispaniensis argento rasili constitit.“

Artocreas, in glossis veteribus: διανομη κρεων, vi-
ceratio, qua partes seu offæ carnium cum pane distri-
buerentur. Fieri hæc distributio non modo in fune-
rum aut sacrorum solemnibus, sed alias etiam privatim
olebat, captandis conciliandisque studiis plebis. Sue-
on. Cæs. 58. Liv. 8, 22. 59, 46. Cum Casaubono non
idetur urgendum, an esset privati, gladiatores indu-
cre et viscerationem dare eo, quo heic proponitur,
itulo. Satis est huic orationis seriei, exempla publicæ
t sumptuosæ largitionis afferri, de quibus Cicero Offic.
, 16. „Prodigi epulis et viscerationibus, ludorum ve-
ationumque apparatu pecunias profundunt.“

51. 52. Vulgata lectio „Non adeo“ haud probatur
bris antiquioribus cum scriptis tum impressis, qui
lerumque legunt *Non audeo.* Ita codd. Haun. omnes:
Non audeo, inquis, præter n. 3. cui *u* in audeo vi-
etur litura sublatum. Pro antiqua lectione aliqui ob
ietrum scripserunt: „haud audeo.“ Hoc scriptum
xhibent codices Pithoei et alius Eliæ Vineti, de quo
le: „Inter multa exemplaria vetusta, quæ excussimus
volvimusque, unicum fuit, quod hic haberet „haud
udeo“ pro „non audeo.“ Obertus Gifanius, Collect.
n libros Lucretii versum ita citat: „Largior: an pro-
ibes? dic clare! Haud audeo, inquit,“ additque, Mss.
liquot vetusta hæc habere. Cod. etiam Parisinus We-
eri: „haud audeo.“ Hiatum nil obstare existimabant,
um hoc loco distinctione corrigatur, ut *Discite*, *o*
, 66. et „pruna: honos“ Virg. Ecl. 2, 53. Conf. Cens.
ensis. Allg. Lit. Z. 1823. Apr. Cacophoniam „haud

audeo" eo forsan evitarunt, quod au ultimo loco efferrent ut *o* more antiquo. Vide F. Sanctii Minervam, ed. Scheidii p. 1013 et K. L. Schneideri Grammatik der lat. Sprache. Vol. 1. Berol. 1819. p. 58. At difficultatem prosodicam lectionis *non audeo inquis* Murmellius eo removere conatus est, quod in quinta sede assumpserit pæonem primum, diphthongo in duas divisa syllabas. Persium potius dixerim pronuntiasse *audeo* ut „odeo," et primam pro more suo libero corripuisse. Turnebus (Adv. 30, 7.) qui in suo exemplari „non audeo iniquis" gemino, ut ait, errore scriptum invenit, auctor fuit emendationis: „non adeo inquis," quæ lectio, cum a Casaubono adoptaretur, pro tantorum nominum auctoritate vulgata exstitit. Antiquam lectionem Casaubonus mirum in modum ita explodit: „Quam vetustæ sint mendæ auctorum, et scriptis libris quam non sit temere credendum, hic locus arguit, ut alii sexcenti, quos apud diversos scriptores ante multa sæcula corruptos observavimus. Heic igitur omnia exemplaria, quæ aut vidimus, aut de quibus aliquid comperimus, scribunt: „non audeo inquit." Quæ inepta et modis omnibus absurda scriptura ex eo orta est, quia præcedit: quis vetat? aude. Legendum autem esse: „non adeo, inquis," recte iam olim monuit Turnebus." De loci, quatenus facta sit, corruptione iam dictum. Verum „non audeo," ad præcedens „prohibes" relatum, nescio quo pacto dicatur ineptum. Negat scilicet heres, se audere impensas in honorem principis susceptas impedire. Ceterum „non adeo" varie exponi-

tur. Koenig et Achaintre hanc vocem pro verbo sumentes, hereditatem supplent, quod, nisi hereditas præcesserit, ab usu linguæ Latinæ alienum est. Uterque etiam proxima heredi tribuit: Achaintre ita: „Ager tuus, his impensis et largitionibus exossatus i. e. exhaustus, prope ad nihilum redactus est," quo locus obscurior redditur; Koenig hunc in modum: „Sub hac conditione, ut omnes tuas profusiones æquo animo feram, hereditatem tuam adire nolo; adest enim ager probe cultus, ad vitæ necessitates mihi sufficiens; moriaris sine herede, qui iudicio tuo generis dignitate respondeat." Orellius, vulgata distinctione servata, heredem facit timidius ac submissa veluti voce respondere: „neutiquam prohibeo." Bondius et Montius ita sensum explicant: „Non adeo, inquis, exossatus, lapidibus expurgatus et probe cultus est agellus tuus, ut sine profusionis crimine epulum seu viscerationem populo possis præbere." Weber, conferens Terent. Aud. 2, 6, 9. „non adeo" proponit vertendum: das nun eben nicht, s. „res inter nos non eo redit, ut te prohibeam, quamquam non probem, tuas a te possessiones misere profundi." Addit: „Hæc apta moribus avari: etsi a Persio incitatus est, ut, quid de ea re sentiat, clare eloquatur, tamen id evitat, et ne, si quid duriusculi dicat, hereditatem amittat, timide respondet, ita tamen, ut sententia illa supplenda e verbis facile elici possit. Persius contra, qui eius ambages et diverticula orationis animadvertit, dicit magis cruciaturus avarum, fac sibi his impensis nihil superesse, nisi

prædiolum suburbanum, tamen heredem affuturum esse." Quam interpretationem præferendam dicerem, si „adeo" vera esset lectio. *Exossatus ager iuxta est.* Verba poetæ, avarum tamquam præsentem reprehendentis: „Si vel maxime bona mea largitione minuantur, superest mihi prædium suburbanum, probe cultum, cui non deerit heres. *Exossatus*, lapidibus, quasi terræ ossibus, purgatus. „Lapides terræ ossa quis dixerit?" Ita Ruhnkenius, Annot. ad Muretum. At Muretus Var. Lect. 10, 2. locum spectans Ovidianum Metam. 1, 393. „Magna parens terra est; lapides in corpore terræ Ossa reor dici," rationem dictionis idoneam ita reddit: „Sapienter interpretatur Ovidianus Deucalio sortem sibi a Themide datum, quærenti, qua arte genus humanum aquis exstinctum reparare posset: qui iussus ossa magnæ matris post tergum iacere, matris nomine terram intellexit, cuius in corpore ossa lapides vocarentur. Atque equidem existimo, ingeniosissimum poetam in illo responso confingendo, quod terram quidem matrem vocavit, sumpsisse ex historia Romana, ubi, cum regiis adolescentibus responsum esset, eum regnaturum Romæ, qui primus matri osculum tulisset, Brutus is, qui reges exegit, e navi exiens, simulato casu, terram osculatus esse dicitur: quod autem lapides, terræ ossa, secutum esse auctoritatem veteris tragici, qui et ipse illos eodem nomine affecerat. Citantur enim hæc a vetere Grammatico: *Γῆς ὀστέοισιν ἐγχριμφθεὶς ποδα* de eo, qui ad lapidem offendisset. Sic autem et „sanguinem terræ" Aristoteles

in quadam ad Alexandrum epistola „vinum“ vocasse dicitur; et vulgò „venas in terra“ dicimus, aut quibus aqua conclusa latet, aut e quibus metalla eruuntur.“ Scriptorem versus Græci Choerilum fuisse, non vero Aristotelem, sed Plinium H. N. 14, 5. vinum terræ sanguinem dixisse, docet Ruhnkenius, Opusc. T. 2. p. 737. Ceterum ad rem intelligendam cf. Livium 1, c. 8 et 56.

53–55. Koenig hæc retulit ad institutum Romanorum, quo deficientibus consanguineis hereditas ab intestato perveniret ad agnatos,*) et scite observavit, pro agnatis Persium remotiores agnationis gradus posuisse: *Si nulla reliqua ex amitis*, patris sororibus, i. e. ex tertio gradu agnatorum in linea transversa; porro *patruelis*, filia sororis patris, *nulla*, i. e. ex quarto gradu cognatorum in linea transversa; tandem *proneptis patrui*, filia neptis patrui, *nulla*, i. e. nemo ex sexto gradu agnatorum in linea transversa &c. Pro *amitis* codd. Husumensis et Chemnicensis: „amicis.“ *Bovillas* ignobilem vicum inter Romam et Ari-

*) „Intestatorum ingenuorum hereditates pertinent primum ad suos heredes; . . . si sui heredes non sunt, ad consanguineos, i. e. fratres et sorores ex eodem patre; si nec hi sunt, ad reliquos agnatos proximos; . . . id enim cautum est lege 12 Tabularum hac: Si intestato moritur, cui suus heres nec (sit), adgnatus proximus familiam habeto.“ Ulpian. Fragm. tit. 26. § 1. Tabularum 12 hæc lex est Fragm. 4. vid. H. E. Dirksen Uebersicht der Zwölf-Tafel-Fragmente p. 343.

ciam interpretes dicunt. Nobilem potius dixerim, quod inde orta Anna Perenna, quæ vetus symbolum anni lunaris et fertilitatis Italicæ, plebem Romanam, cum „nullis etiam sat tuta tribunis“ fugerat in sacrum montem, libis pavit fumantibus.“ Ovid. Fast. 3, 657 sq.

56. „Quatuor millibus ab urbe est Virbii clivus, qua iter est ad Ariciam et ad nemus Dianæ, ubi Virbius colitur, i. e. Hippolytus, quod bis in vitam prolatus sit.“ Vet. Schol. cf. Virg. Æn. 7, 765. *Præsto est mihi Manius heres.* Manii Aricini olim celebres. „Manius agrum Nemorensem Dianæ consecravit, a quo multi et clari viri orti sunt, et per multos annos fuerunt, unde proverbium: Multi Manii Ariciæ.“ Festus. Sed procedente tempore videntur pauperes fuisse et ignobiles.

57-60. *Progenies terræ?* Obiectio: Verum ille est obscuro loco natus. Ita et „terræ filius“ dicitur, cuius genus incertum est. Cic. Ep. ad Divers. 7, 9. ad Att. 1, 13. Liv. 1, 8. „Ignobiles et ignotos terræ filios nominamus.“ Minuc. Felix in Octavio 22. cf. Lactant. 1, 11. Persius respondet, se genus abavi sui vix indicare posse, atavi vero et tritavi nullo modo; hos ergo eodem cum Manio esse loco obscuro; hinc sese Manium cognatione aliqua videri attingere. *Avunculus maior*, vel magnus, est aviæ frater, Cic. Brut. 62. Sueton. Aug. 7. Vell. Paterc. 2, 3, 59. Apud iurisconsultos est proaviæ frater. Sed nostro loco ponitur pro longinqua cognatione iuncto. Codex Pithoei L.

cum editionibus nonnullis: „exstat," plerique vero *exit.*

61. „Tu vero, qui mihi propior es quam Manius, cur me vivo hereditatem exigis?" *Priorem* dicit heredem ut legitimum, natura propiorem factum, non ut ætate maiorem, quod nonnulli interpretes temere intulerunt. *In decursu lampada poscere* vel tradere, proverbialis est locutio, de rebus, quæ successione transferuntur, varie usurpata. Ita Lucret. 2, 78: „Et quasi cursores vitai lampada tradunt," de animantibus, quæ successione propagantur, vita per vices ab aliis in alia transfusa; et apud auctorem Rhetoricorum ad Herennium 4, 46: „Non enim, quemadmodum in palæstra, qui tædas ardentes accipit, celerior est in cursu continuo, quam ille qui tradit" &c. de eo, qui delassatus vel emeritus, in alium munus suum gerendum transfert. Varro item, cum de Re Rust. 3, 15. alteram sermonis partem Merulæ tradit, se cursu lampada illi tradere dicit. Nec aliter Plato de legibus 6. ubi cives monet, ut vitam a maioribus acceptam vicissim, quasi tædam ardentem, posteris tradant.*) Proverbium ad ludum veterum referendum, de quo antiquus Persii interpres: „Apud Athenas ludi celebrabantur, in quibus cursu iuvenes certabant, et qui victor primus erat, facem tollebat, deinde sequenti se tradebat, et secundus tertio; similiter omnes faciebant, et sibi invicem tradebant, donec currentium numerus

*) καθαπερ λαμπαδα τον βιον παραδιδοντας ἀλλοις ἐξ ἀλλων.

compleretur.“ Cui descriptioni convenit illa Pausaniæ Attic. 30, 2. „In Academia Promethei ara est, a qua homines in urbem accensas lampades præferentes decurrunt. In eo enim certamen est, ut in cursu accensæ serventur. Cuius enim fax exstincta fuerit, is victoria successori cedit; cademque ratione ille tertio. Quod si nulli ardentem perferre licitum fuerit, palma in medio relinquitur.“ Ceterum discimus ex Scholiaste Aristophanis Ran. 1119. 1120. solitos esse veteres gestare faces vel, ut dicebant, λαμπαδεχειν, in tribus certaminibus: Prometheis, Vulcaniis et Panathenaicis (Προμηθεια, Ηφαιστεια, Παναθηναια vocabant). Prometheus creditus est hoc ludorum genus primus instituisse, hunc quidem in modum, ut currentes facem ardentem gestarent, eam defatigatus proximo in manum daret, is item defessus alii, ac deinceps alius alii successione traderent invicem, historiæ Prometheæ quasi simulacrum effingentes, quemadmodum ferulam, qua cælestem ignem exceperat, ne rursus exstingueretur, perpetuo motu iactarit, in terram devolans.

62–64. *Sum tibi Mercurius* &c. Mea hereditas sit tibi lucrum adventitium, insperatum, et quasi in via inventum ἑρμαιον. Inde Ἑρμης κερδωος et κοινος Ἑρμης, ἑρμαιος, δωτωρ ἐαων. *Ut ille pingitur*, scilicet cum crumena, qua Mercurium, ut Deum lucri et mercaturæ, Latini designare coeperant. Una solum statua Mercurii crumenam gestantis ex tota antiquitate superest Romæ in villa Borghesiana. Vid. Winckelmanns Werke, herausg. von Meyer u. Schulze.

Band. 4. p. 86. 599. *Deest* apud antiquos semper monosyllabum est, non utique apud recentiores.

66. *Stadius*, reiectum a Turnebo, qui e veteribus suis exemplaribus restituit „Tadius;“ sed codd. omnes Hamm. et 4 Paris. cum Lunceb. Tigurino et Chemnicensi, nec non antiqua Murmellii editio nostram servant lectionem, a Passowio, Orellio et Webero etiam receptam.

67. *Fœnoris accedat merces; hinc exime sumptus.* „Te fœnebris pecuniæ usura alere debet et tuum sumptum sustinere.“ Usura *fœnoris merces* dicitur, ut apud Horatium Sat. 1, 2, 14. 1, 3, 88. Vide quæ ad 5, 149. dicta sunt de usuris Romanorum. Agitur non de moribus Græcis, quibus nulla lege coercebatur fœneratio, et maxima fœnoris licentia non ignominia notabatur, sed de moribus Romanis, non dixerim quidem Lucullei ævi, quo ferebatur lex, ut qui usuras cum sorte coniunxisset, et sortem et usuras amitteret,*) verum ipsius deterioris ætatis, qua tamen edictis imperatoriis sancitum legimus, improbum fœnus exercentibus infamiæ maculam irrogandam esse. In codd. fœnus per *æ*, *oe* et *e* scribitur. Sequimur K. L. Schneiderum, Elementarlehre p. 53 et 79.

68. *Quid reliquum est? Reliquum?* Heres interrogat, et Persius iterat interrogationem cum sto-

*) ὁ δε τοκον κεφαλαιῳ συναψας, ἐξεῤῥειτο τε παντος. Plutarch. in Lucullo.

macho, indignatusque, quod secum ille calculum iam ponat et hereditatem computet, minatur, se postea plus impensurum. Easdem minas iecit v. 50. unde nova hæc exclamatio explicanda est.

69. *Unge, puer, caules.* cf. 5, 112. Hor. Sat. 2, 3, 125. et 2, 6, 64. Codd. plerique Ach. cum Husumensi et Wimar. Weberi: „coquetur."

70.*) *Urticis* in victu, sed vilissimo, parcos et abstinentes usos fuisse, docet non quidem Horatius Ep. 1, 12, 8. ut dicunt lexicographi; cum enim „her-

*) Ad particulam *et*, quæ hoc in loco Satirarum ultima reperitur, non ab re videtur observare, eam Nostro plerumque copulativam esse, nec cum adiunctiva *que* nisi ob metrum confundi. Sic. v. 2. *lyra, chordæ*, v. 5. *agitare, lusisse*, v. 8. *scopuli, litus*, res ante distinctæ nec a se invicem pendentes, per *et* coniunguntur. At v. 7. *intepet, hibernat*, v. 28. *prendit, condidit*, v. 56. *Bovillas, clivum Virbi* non ita copulantur, posterius vero priori, ut notio inde pendens, per *que* adiungitur. Assentiendum ergo etiam ex Persii exemplo recentioribus Grammaticis, Hermanno ad Medeam Emsleyi p. 331. ed. Lips. Stallbaumio ad Ruddimanni Inst. Gram. Lat. II. p. 343. et Zumptio, Lat. Grammatik p. 275. ed. 4. cum particulas *et, que* non, ut vulgo fit, sine ullo discrimine ponendas præcipiant, quoniam ita differant, ut *et*, quemadmodum καί, sit copulativa, *que* autem, ut τε, adiunctiva. Qua in regula poeticam tamen licentiam exceptam velim. Ab illa enim licentia Persium non abstinuisse, ostendunt loca: v. 47. *Esseda que, ingentesque;* 1, 15. *pexusque, togaque;* 1, 48. *finemque extremumque* cet.

bas et urticam" dixit, posterius cum Cruquio, Gesnero et Bothio pisciculum Siculum carnis teneræ et concoctu facilem, quem ἀχαλιφην vocat Athenæus, intelligimus; sed Plinius H.N. 21, 15. In descriptione victus sordidi *urtica* significantior est, quam *sinciput*, quod in deliciis numerabatur, et ut „ganeæ materia" legibus Censorianis interdictum erat cenis Romanis, Plin.H.N. 8, 51. nisi scisso huic capiti verrino forte defuerint rostrum et auris, præter quæ, teste Harduino ad loc. hunc Plinii, nihil sapidi habet. Auris saltim defuit integra, quæ aut suspensione capitis fumo indurandi perforata, aut canibus venaticis lacerata erat. *Fumosum*, quod ex vet. Schol. et suis libris reposuit Casaubonus, cum „spumosum" ante legeretur, ut nostris comprobatur codd. ita et Heinsianis, cf. Heinsium ad Ovid. Metam. 8, 618.

71. *Nepos*, ex filio filiave natus, nepotino more vivens. Utraque vocis significatio loco huic convenit. *Olim*, nonnumquam. Ita Acron, Scholiastes Horatii, ad Sat. 1, 1, 25. hoc omnium horarum adverbium explicat. cf. Plaut. Truc. 1, 1, 46. *Satur anseris extis.* Insiciis (carnibus minutatim incisis, Varro de L. Lat. 4, 22.) farciebantur anserum ventriculi. De hoc vetus poeta: „Eminet implctus pullorum carnibus anser." Iul. Cæs. Bulengerus de conviviis 6. Anseris inprimis iecur tanto in pretio fuit veteribus, ut essent apud eos χηνοβοσκοι, anserum pastores, qui has aves mulso, lacte, ficu et carica ita alerent, ut earum iecur mirum in modum augeretur. Athenæus, Deipn. 9, 52. Plin.

H. N. 10, 22. Martial. 13, 58. Iuvenal. 5, 114. Hor. Sat. 2, 8, 88. ad quem locum cf. Car. Fea.

72. Instar omnium interpretum est in conversione h. l. Passowianus: Wenn sein eckler Geschmack die feile Umarmung verschmähet. At in versu sequ. vellem ut de moribus nostris æque fuisset sollicitus, ac fidus est interpres. Pro *morosa* Haun. quintus: morbosa.

73. Valerius Probus apud Putschium c. 1485. priorem huius versus partem citans, „Matronæ" pro *Patriciæ* lapsu memoriæ scripsisse videtur. Pro *immeiat* Haun. secundus: immineat. „*Trama* hic non est subtegmen, sed pannus pertenuis e solo subtegmine, appellaturque, ut ait Varro de L. Lat. 4, (23) quod frigus eam trameat, i. e. transmeat. Sim, inquit, macie et fame enectus, et vix ossibus hæream, ut alii nepotinis sumptibus a me parta disperdant." Turnebus Adv. 30, 7. De *trama* aliter Servius ad Virg. Æn. 3, 485. „Auri subtegmine i. e. filo, quod intra stamen currit, quod Persius tramam dixit: Mihi trama figura &c. nam male quidam subtegmen stamen accipiunt, cum stamen de auro esse non possit." Non igitur auctoritate destituti sunt lexicographi, qui tramam et subtegmen idem esse affirmant. Verum Turnebo propior est Seneca Ep. 90, 20. qui cum Posidonium artem textoriam describentem inducat, tramam a subtegmine aperte distinguit. Metaphorice nostro loco ponitur pro homine macro, cuius ossa, venæ et nervi apparent, tamquam fila in veste attrita.

74. *Popa venter*, omisso „tamquam," ut sæpius pud poetas. *Popa*, victimarius, qui hostiam liga- at, et succinctus eam ante aram deductam feriebat, ueton. Calig. 52. Propert. 4, 3, 61. se visceribus bene rabat. Popæ igitur gulosi habiti, et cum intempe- ivæ et sordidæ gulæ ne in sacrificio quidem tempe- arent, quin inter altaria fumantia obsonia manderent, lud Simonidis cessit in proverbium: „Nondum immo- ta sacra sæpe devorat. *) Hinc in Hesiodo, inter ia præcepta, quæ ad mores pertinent, hoc quoque abetur Oper. 746: „Neque ab ollis nondum sacrifica- s rapiens comedito." **)

75 sq. Conclusio satiræ immoderatam et insatia- lem avaritiæ cupidinem ironice describit. *Atque* ***) *cute . . mundi*, ad lucrum prudens, omnes regiones erlustra. Cod. Tigur. „lucro et mercare." *Excutere* c explorandi sensu generaliore (ut Cic. Off. 3, 20.) eo, quod excutiendo exploratur, (Plaut. Aul. 4, 4, .) translatum.

*) *Ἄθυτα δ' ἱερα πολλα κατισθιει.*

**) *Μηδ' ἀπο χυτροποδων ἀνεπιῤῥεκτων ἀνελοντα Ἔσθειν.*

***) Hoc loco et ceteris 3, 62. 82. 98. 5, 94. 131. 170. ubi *ac* ante vocales versui æque conveniret, libri omnes exhibent *atque*. Nec aliter ante consonas 5, 44. 6, 4. Quo firmatur præceptum Drakenborchii ad Liv. 10, 36. *ac* nusquam vocalibus et *h* literæ præmittendum, sed in *atque* mutandum, quod non minus ante vocales quam consonas locum habet. Vide Stallbaumium ad Ruddimanni Inst. Gram. Lat. II. p. 343. et quos laudat philologos recentiores, item Zumptium, Lat. Grammatik p. 272. ed. 4.

76. 77. Pro *ne* codd. plerique Achaintrii: „nec; ita et Husumensis et Wimariensis Weberi; Lunel „neu.“ „Nullus esto tam turpis quæstus, qui tibi sordeat; mangonium igitur exerce, et effice, ne sit paratior alter ad coemenda mancipia, quæ a te probe curata et concinnata quam plurimi vænire possint i catasta, te plaudente et adhortante, ut motu corpor et saltatione bonæ suæ habitudinis dent specimen mercatoribus empturientibus.“ Casaub. Legit *plausisse* antiqua servata scriptura, quæ recepta est in Scholiis vet. codd. Haun. omnibus, Uratisl. 1. Noriml 2. Monach. 3. Goth. Dresd. Brem. Vimar. Paris. Weberi, cui tamen superscriptum: „pavisse,“ edd. antiquis Pithoei, Farnabii, Schr. elii, et recentioribu Passowii et Orellii. „Pavisse“ legunt codd. Uratisl. 1 Luneb. Tigur. et 2 apud Achaintrium, qui ita edidit „pavisse legitur et plausisse,“ Wimar. et Chemn. Weberi, et Husumensis, qui legit: „Capp. pingues rigid pavisse,“ nec non edd. Murmellii et Bondii et novissima Weberi. Turnebus item Adv. 30, 7. et Marcilius ad h. l. At in undecim codd. Achaintrii legitur „clausisse,“ quod nihili esse, et ex *plausisse* calami viti profectum recte existimat Weber. Ille *plausisse* pr „contrectasse in coemendo“ dictum putat, et confer locum Senecæ: „Nuda in litore stetit ad fastidium emptoris; omnes partes corporis et inspectæ et contrectatæ sunt.“ Cui interpretationi illa Koenigii videtur præferenda: „Ne sit quis te callidior (*præstantior* in commendandis emptori servis venalibus, quod fieba

laudendo eos, ad indicandum bonum corporis habitum.“ *Cappadocas* pro omnibus mancipiis, haud secus ac „Cappadocum rex,“ Hor. Ep. 1, 6, 39. pro quovis mangone ponitur. *) Magna enim servorum multitudo inde ex Cappadocia Romam advehebatur, Cic. post red. 6. Martial. 6, 77, 4. Eam gentem ingenio tam servili fuisse, Strabo l. 12. refert, ut oblatam a Romanis libertatem recusaverit. Tria pessima Kappa (τρια καππα κακιστα) iactatum olim ænigmatis vice, et hoc mores trium gentium: Cappadocum, Cretensium et Cilicum, notatos fuisse, Const. Porphyrogenneta tradidit in libro de Thematibus Orient. et Occid. *Catasta* erat locus, tabulatum sive pegma, quo servi venales exponebantur empturis. Hinc Martialis 6, 29, 1. „vernam“ dicit „avaræ catastæ,“ qui ab avaro mangone enum in catasta exponitur, et 9, 30, 5. strepitum castarum cum lingua stentorea Philænis sagæ comparat. Pueros et tales servos, quibus non opus esset suspensa cedera, „arcanæ tabulata catastæ“ servabant, 9, 60, 5. cf. Tibull. 2, 3, 6. ed. Heynii (Broukhusii 2, 6, 42.)

*) Ita Turnebus Adv. 22, 8. locum cit. Horatii exponit, cui tamen sententiæ iam dubito an altera non sit præferenda, qua Ariobarzanes intelligitur, rex ille Cappadociæ, regno quater expulsus totiesque restitutus, de quo Cicero in Epistolis ad Fam. 2, 17. ad Att. 5, 20. 6, 1. et quidem ultimo loco his verbis: „Nihil illo regno spoliatius, nihil rege egentius.“ cf. Iustin. 38, 3. Flor. 3, 5. nec non annot. F. H. Bothii in Horatium Caroli Fea, Heidelb. 1821. et F. G. Doeringii in Hor. ed. 3. Lips. 1824. quorum uterque regem Ariobarzanem intelligit.

Plin. H. N. 55, 17. Ovid. Am. 1, 8, 64. Propert. 4, 51. unde patet, venalium servorum pedes creta v gypso signatos, et titulos collis eorum appensos fuiss Eos saliisse in catasta, ut ostenderent, omnia si membra integra, docet Propert. 4, 5, 52.

78. *Rem duplica.* Concessione ironica avaritia in infinitum progredientem ob oculos ponit. Ita Hor tius Ep. 1, 6, 32. „Cave ne portus occupet alter . Mille talenta rotundentur; totidem altera porro, Tertia succedant, et quæ pars quadret acervum.“

79. *Redire in rugam* plerique interpretes dictu putant pro „accumulari, multiplicari,“ metaphora duc a vestibus, quæ plicantur et corrugantur. Cui se tentiæ obstat, quod Latini, cum vestem spectant, r gas, non rugam dicant. Meisterus (Ueber A. Persi Flaccus p. 65. Letzte Studien p. 105.) sinum togæ i telligit, quod et ab usu loquendi alienum. Cum ap

*) Vere dixit Publ. Syrus: „Avarum irritat, non satiat p cunia; avarus animus nullo satiatur lucro;“ et Sallusti Catil. 11. „Avaritia .. quasi venenis malis imbuta cor animumque virilem effeminat, semper infinita et insat bilis, neque copia neque inopia minuitur.“ Et conve in ævum omne, quod Ovidius Fast. 1, 195. de suo di si non opum, tamen cupidinis incrementum: „Tempo crevit amor, qui nunc est summus, habendi; Vix ult quo iam progrediatur, habet. Creverunt et opes, opum furiosa cupido, Et cum possideant plurima, plu volunt. Sic quibus intumuit suffusa venter ab unda, Q plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.“

uvenalem 14, 325. „summa“ in simili sententia „rugam rahere“ dicitur, Casaubonus h. l. marsupium nondum listentum vel expletum, sed laxum et ore hians accipit, t verbis Persii eundem sensum tribuit. At *ruga* numero singulari non magis de marsupio, quam de veste Latine dicitur. Nec apud Iuvenalem ruga est plica, ed cutis corrugata, id quod adiecta verba: „extenditue labellum“ ostendunt; quare vetus Scholiastes verum ita exposuit: „Si hæc quoque summa displicet et ristem facit;“ et G. A. Ruperti, eruditus Iuvenalis nterpres, huc bene retulit illud Anglorum: „to bend he brow, and hang the lip.“ Hinc locum Iuvenalis nentes, versum Persii similiter exponimus, præeunte Turnebo, qui Adv. 17, 10. hæc habet: „*Iam decies edit in rugas* apud Persium, nisi memoria me fruratur, exponi solet: decies crumenam non explet, eam adhuc rugosam necdum distentam relinquit. go tamen ut hunc sensum insimulare ineptiarum non usim, *) ita Iuvenalis explicationem opponere et obiire ausim, qui cum idem genus dicendi usurpet, sentiam hanc exprimit: Etiam tanta summa non satiat, ed corrugat et iratum reddit adductumque vultum.

*) Turnebum, cum „rugas“ legat, adeoque elegantiæ Latinæ nomine nihil obiiciat, dictæ interpretationi quod coactum et longe petitum inest, offendisse videtur. Cum eo codd. Haun. 2. 3. 4. legunt rugas, reliqui omnes et manu scripti et impressi libri: *rugam*. Ceterum inde videre licet, interpretationem de marsupio sumptam, quæ Casauboniana vulgo dicitur, Casaubono longe esse antiquiorem.

Sic autem Sat. 14. scribit: Hoc quoque si rugam trahi extenditque labellum.“ *Redire* potissimum dicitur d hereditatibus legitimis, quæ in præcedentibus comme morantur, „venire“ de hereditatibus testamenti. Te rent. Hec. 1, 2, 97. Cic. Verr. 2, 14. *Depunge*, quo pro „depinge,“ lectione codicum vulgata, Pithoeus i textum recepit, emendatione libera ortum videtur cum in subiuncta variæ lectionis tabula nullum aucto rem attulerit. Prætulit illud Casaubonus, ut expres sius dictum, scilicet translatum a libræ scapo, ub punctis notatæ sunt ponderum mensuræ. Hinc tam quam civitate donatum in editiones nonnullas recen tiores receptum est. Nec opus est ut tollatur, cum i scribendo facilis est error commutationis *i* et *u*, e codd. duo Haunienses, Parisienses item quatuor apu Achaintrium meliorem hanc lectionem exhibent. *De punge*, *ubi sistam.* Hæc si dixerit avarus, sequentia ut verba poetæ, non iis convenient, quandoquiden *finitor acervi Chrysippei* vere non inventus erat. Nec ipsi avaro conveniet urgere, ut doceat se quis, ub sistat. Sensus enim est: avarus modum cupiditati suæ non magis imponere potest, quam olim Chrysippus finem soritæ invenire, et ubi resistendum esset, defi nire potuit. Hinc Censor Ienensis *) „sistat“ legendum proponit, et hoc cum sequentibus ita copulandum: „*Depunge*, *ubi* sistat (sc. avarus) tu *inventus finitor*“ &c. adeo ut verba a *depunge* usque ad finem non avaro,

*) Allg. Lit. Z. 1822. Oct. n. 198.

ed poetæ tribuantur. Concedo, quod hæc sint verba Persii, non vero, quod „sistat“ legendum sit, quoniam nulla adest lectionis varietas, nec ulla opus est mendatione, si modo *sistam* pro „sistere faciam,“ et *nventus* pro „tum inventus est“ acceperis. Persius initorem acervi tum denique inventum esse, ironice licit, cum depunctum fuerit, ubi constituat finem quousque avarus opes accumulet, et terminum, quo ccumulando satietur. Pro *Inventus* cod. Haun. quarus: Inventor.

80. *Acervum* vocat soriten, quod eo gradatim et minutatim aliquid aut additur aut demitur, quemadmodum addendo granum grano *acervum* facimus, demendoque destruimus. Ad quam appellationem eiusque rationem Horatius Ep. 2, 1, 46. respicit: „Demo unum, demo etiam unum: Dum cadat elusus ratione ruentis acervi.“ *) *Chrysippus*, philosophus Stoico-

*) De nomine Cic. Divin. 2, 4. „Quemadmodum soritæ resistas? quem, si necesse sit, Latino verbo liceat acervalem appellare; sed nihil opus est; ut enim ipsa philosophia et multa verba Græcorum, sic sorites satis Latino sermone tritus est.“ Idem Acad. Quæst. 4, 28. soritas dicit „lubricum et periculosum locum, vitiosumque interrogandi genus; et c. 29. ita pergit: „Istius vitii num nostra culpa est? Rerum natura nullam nobis dedit cognitionem finium, ut illa in re statuere possimus: quatenus? nec hoc in acervo tritici solum, unde nomen est, sed nulla omnino in re minutim interroganti: dives, pauper, clarus, obscurus sit, multa, pauca, magna, parva, longa, brevia, lata, angusta: quanto aut addito, aut demptoo certum respondeamus, non habemus. At vitiosi sunt

rum celeber, in dialectica inprimis, adeo ut diceretur: si apud Deos usus esset dialecticæ, non futuram aliam quam Chrysippeam. Diog. Laert. 7, 7, 180.*) De hoc, quem Gellius N. A. 6, 2. principem dicit philosophiæ Stoicæ, ita ferebatur: „Nisi Chrysippus fuisset, porticus non esset.“ Diog. Laert. 7, 7, 183.**) In scriptis eius, quorum numerum 705 fuisse, Laertius ibidem tradit, multa sunt de sorite, quod indices ibidem 190–202. relati ostendunt, qualia sunt: *περι των προς τας φωνας σωρειτων λογων, περι τω παρα μικρον λογω, περι των . . ἡσυχαζοντων.*

---

soritæ. Frangite igitur eos, si potestis, ne molesti sint; erunt enim nisi cavetis. Cautum est, inquit; placet enim Chrysippo, cum gradatim interrogetur, verbi caussa: tria pauca sint, anne multa? aliquanto prius, quam ad multa perveniat, quiescere, i. e. quod ab iis dicitur: ἡσυχαζειν. „Per me vel stertas licet,“ inquit Carneades, „non modo quiescas;“ sed quid proficit? sequitur enim qui te ex somno excitet, et eodem modo interroget.“ cf. Ac. Quæst. 4, 16.

*) *Οὑτω δ' ἐπιδοξος ἐν τοις διαλεκτικοις ἐγενετο, ὡς τε δοκειν τοις πλειοις, ὁτι εἰ παρα θευις ἠν ἡ διαλεκτικη, ὐκ ἀν ἠν ἀλλη, ἡ ἡ Χρυσιππειος.*

**) *Εἰ γαρ μη ἠν Χρυσιππος, ὐκ ἀν ἠν σοα.*

Index.

a finale adverbiorum et præpos. correptum 317.
abacus 171.
abfero, aufero 448.
ac ante vocales et *h* mutandum in *atque* 545.
accentus rhythmicus producit syllabam brevem 215.
Accius, *Actius*, *Attius* 84. 104. 106.
acclamationes solitæ 61. 69. 81. 114. earum abusus 82. 113.
acerra 182.
acetum pro acumine 417. ac. morions 337.
Achaintre, Persii interpres, 329. 435. 441. 443. 449. Præf. XI.
Achaintrii codd. Persii Parisini 49. 52. 69. 80. 102. 147. 182. 185. 211. 212. 214. 215. 229. 239. 245. 256. 259. 263. 265. 267. 272. 275. 280. 286. 292. 294. 296. 311. 314. 317. 318. 336. 340. 348. 379. 380. 383. 391. 393. 396. 398. 402. 403. 407. 411. 413. 416. 417. 423. 427. 428. 440. 441. 446. 448. 449. 451. 454. 467. 494. 500. 509. 511. 513. 519. 541. 542. 546. 550. Præf. VIII.
Achilles Tatius 206.
Acron 72. 161. 219. 376. 507. 508. 543.
Adamantius Martyrius 448.
adiectivum cum infin. 378. pro adverbio 305. 402. duor. adi. coniunctio, quorum unum pro substantivo 144. 240. adiectivorum accusativi neut. gen. verbis neut. adverb. loco adiiciuntur. 518.
adspicio, aspicio 54.
adulatio 343.
æ, *oe* et *e* varie scribitur 523.
Ædiles 170.
Ægæum 450.
Ægyptiorum sacra 464. 472. effossa Romæ 320. Æg. signum vitæ futuræ 320. templa minora iuxta maiora 464.
ænea plerumque ad sacra adhibita. 222.
aëni fratres 218 sq. aënus, ahenus 218.
Ælianus 217. 316. 448. 450.
Æschylus 310.
affectatio in præpositionibus scribendis 54. af. recitantium 62. 66. antiquæ dictionis 103. 111. assentionis putida 113. inepti tumoris 57. 99. 109. 116. et grandiloquentiæ 55. mollis soni poetici 75. 119. sq. et versuum iuncturæ 96. sq. aff. in toga componenda 63.
agnationis gradus 537.
Agroetius 466.
alba sacerd. tunica 210.
albedo, puritatis symbolum 209.
albus-ater 147. 177. 428.
Alcibiades 311 sq. ab Eupolide notatus 162. audax 316. chamæleonte mutabilior 323. cum Nerone comparatus 350 sq. 364. cum Socrate versatus 312. Dinomaches filius 314.

327. 353. laudibus corruptus 311. 347. mature prudens 315. pulcherrimus 221. 222.
Alcibiades I. II. dialogi 207. 209. 312. Platoni an vere tributi 216. 312.
alea varia 399. perniciosa 399.
aleatores quantum differant a tesserariis 400.
Alexander ab Alexandro 469.
Alexander Aphrodisius 94.
alligati, adstricti 460.
allii caput noxas depellens 486.
alliteratio et assonantia 124.
altus 423.
Amaduzzi 485.
amatorum mores 462. 463. 465.
ambiguæ voces 75.
ambitio 468.
Ambrosius 72.
amicitiæ aleariæ 400.
amicus, quis? 381.
Am. Marcellinus 179. 196. 222. 223. 228. 297. 400.
amomum 299. 300.
ἀναπαιστος sententia 98.
anastrophe 342.
anatocismus 457.
Anaxagoras 289.
Anna Perenna 538.
anser in deliciis veterum 543.
Antiopa 109.
Antipater Sidonius 36.
anti-urinal notices 151.
Antoninus M. imperator 208. 240. 277. 280. 282. 283. 305. 306. 309. 310. 348. 440.
aoristus Lat. perfectum 182. 294.
Apenninus, Appeninus &c. 126.
Apicius Coelius 284.
Apollodorus 109. 134. 175.
Apollonius Rhodius 109. 268.
Apollonius Tyaneus 448.
aposiopesis 53.
Appianus 417. 521.
Appulia, Apulia 95.
aprici senes 470.
Apuleius 172. 179. 457.
aqualiculus 91.
aquæ aspersio in sacris 190. 191.
Arbuthnot 205.
Arcesilas 287.
arcesso, accerso 466.
Archestratus 478.
arctus, artus 465.
Aretium 170. 171.
argentum incusum veterum 214.
Ariobarzanes, Cappad. rex 547.
Aristippus 420.
Aristophanes 116. 161. 163. 164. 191. 253. 276. 329. 376. 405. 424. cur senex dicatur 163. eius Scholiastæ 162. 164. 463. 540.
Aristoteles 50. 191. 289. 427. 433. 498. 504.
aristæ, pili 309.
Arnobius 135. 221. 257. 487.
Arrianus 74. 170. 438.
ars 427. sua cuique 423. 424.
Artemidorus 195. 209.
artocreas 533.
as 118. 455.
Ascensius Badius, Persii interpres 136. 228.
Asconius Pedianus 141. 320. 386.
asini aures albæ 93. asininas auriculas significare 93. asinus obiectum irrisionis 93.
asoti antipodes 246.
asperi nummi 281. asperitas 282.
astrologia veterum 394 sq.
Athenæus 74. 173. 231. 254. 419. 443. 478. 512.
attentio mentis ad honestum vere tendentis 240.
Atys 124. 125. 127.
au efferebatur *o* 534.
Augustinus, Ant. 303.
Augustinus, Aur. 383. 518.
Augustus Cæsar 58. 59. 268. 400. 431. 459.

Augustæ ætatis scribendi ratio 40. 54.
Aurelianus Cæsar 447.
aures purgatæ 403. 417. aurium usus sensu æsthetico 69.
aurum et argentum in templis 215. 218. 233. 254. a. subæratum 427.
Ausonius 91. 128. 245. 274.
auster 504. a. et aquilo soli venti apud veterum aliquos 504.
avaritia 449. 456. 459. 504. 505. 507. 545. descripta a satiricis vet. 337. 513. 548 sq. av. fœneratorum 456.
averrunci Dii 464.
aviæ veteres 421.
avunculus maior 538.
b et *v* literæ commutatæ 447.
Bacchini 482. 488.
Baden I. 214.
balnea 439. b. veterum 294. 438. balnearia supellex 438.
barba Cynicorum 172. b. Iovis 196. b. aurea 225. barbæ cultus apud veteres 172. barbatus 312. barbati imperatores 172. rasi 172. barbam vellere 173.
Barnesius 109.
baro, varo 446.
Barthius C. Persii interpres, 35. 37. 39. 40. 41. 44. 45. 76. 91. 164. 277. 427.
Bartholin Th. 199. 202. 235.
Bassaris 135.
Bassus, Cæsius 491. 492. 494. 496.
Bathyllus 436.
Baucis 328.
Bayfius 73.
Bayle 106. 137. 160. 469.
beatus, beatulus 297.
Beck C. D. 121.
Bellermann I. I. 187.
bene, part. ἀξιωτικὴ 147. bene sit 335.
Bentleius 54. 111. 497. 522.
Bernenses codd. Persii 80.
Beroaldus 523.
Bestius correptus, non corrector 519.
beta 308.
bibere, vivere 429.
bidental 195.
bidentes cur oves dicantur 196.
bifis 188 mascula 451. vitrea 248.
Blesensis, Petrus, Persium citans 402.
Bloch S. N. I. 148. 402.
Blumenbach 94.
Blunt I. I. 151. 183.
Böttiger K. A. 64.
Boileau 136.
bombus 83. 134.
Bondius, Persii interpres, 40. 46. 93. 109. 115. 119. 145. 155. 190. 228. 229. 240. 243. 251. 281. 349. 417. 442. 446. 510. 535. Præf. IX.
bone, ὠγαθε, 191. bona pars 181. boni viri character 430.
Bongarsii codd. Persii 80. 317. 377. 379. 402. Præf. VIII.
Borrichius. O. 151. 320. 472.
Bossius. H. 482.
Bothe. F. H. 79. 146. 225. 333. 519. 547.
Bovillæ 519. 537.
Boxhorn 410.
braccati 272.
Breitinger, Persii interpres, 120. 127. 133.
Bremensis cod. Persii 40. 52. 102. 546. Præf. VIII.
Brissonius 370.
Brisæus 104. 105.
Britannicus, Persii interpres, 136. 286.
bruma 492.
Brunk 208.
Bruttium 513.
Brutus 333. 416.
Büffon 93.

bulla puerilis 386.
Burmann 42. 94. 95. 389. 407. 497. 523.
bustirapi 517.
cachinno 56.
Cæsonia 528. 529.
cæsura producit syllabam brevem 377. c. bucolica 125.
calidus trieris 296.
Caligula simulat victoriam in Germanos. 525. 530.
Calirrhoe 175. 176.
calo 406.
calumniandi libido 330 sq.
calvus 90.
calx 300.
camelorum sitis 445.
Campus Martius 294. 399.
cancs catenarii apud Romanos 146.
canis, canicula, iactus talorum 267.
canities 54. 68.
cannabis 452.
Cantabrig. editio Persii 377. 417. 454. 494. Præf. IX.
canthus 406.
cantica ante fores 462.
Capella, Mart. 42.
capillorum cura apud Romanos 251.
Cappadoces 547. Capp. rex 547.
caprificus 70.
Carpzow. I. G. 475.
Casaubonus, Persii interpres, 35. 38. 40. 46. 48. 49. 52. 53. 54. 56. 64. 65. 92. 95. 100. 102. 104. 115. 120. 121. 130. 132. 136. 143. 147. 148. 155 159. 163 173. 178. 192. 202. 219. 228. 232. 269. 275. 286. 297. 300. 303. 334. 340. 349. 371. 375. 383. 389. 394. 395. 401. 417. 424. 430. 433. 436. 440. 446. 451. 458. 467. 470. 474. 484. 485. 495. 498. 510. 520. 533. 534. 543. 546. 549. Præf. V. VIII.
casia 501. 518.
Cassiodorus 225.
castor an se eunuchum faciat 445. castoreum 443.
catasta 547.
Cato de morte sua deliberans 264.
Catullus 43. 85. 133. 234. Catullianum metrum 43.
caussa, an causa scribendum 279.
canssidicorum avaritia 285. affectatio 64. 113. 114.
cave 144.
cedo 241.
cedrus, æterna materia, 29.
Celsus 292. 293. 294. 301. 417.
cena, cæna, coena 452. c. funeris 516. cena pro sportulis 87.
censen' 465.
Censorinus 180. 247.
centum, trecenti, sexc. pro magno numero 72.
Centuriones 286. 290. 489.
cepe 336.
cerasum, ceraso peccare 519.
ceratæ tabulæ veterum 97.
cerdo 347.
cespes, an cæspes scribendum 515.
cetera, cæt. coet. 435.
cevere 116. 117.
χαῖρε 39. 322.
Chalcidius 45.
Charisius 71. 80. 146. 466. 503. 515.
Chausse, de la 149. 321. 387.
Chemnicensis codex Persii 166. 211. 212. 214. 286. 311. 332. 335. 336. 542. 379. 383. 396; 398. 404. 413. 416. 427. 432. 437. 440. 443. 446. 451. 467. 468. 477. 480. 494, 500. 509. 510. 511. 513. 537. 541. 546. Præf. VIII. XV.
Chimentellius 65.
chiragra an in prima produ-

cendum 401.
chlamys 526.
Choul du 356.
chromatiari 325.
Chrysippus 371. 551.
Chrysostomus 165.
ciceris largitio 469.
Cicero 50. 69. 71. 81. 197. 246. 262. 303. 305. 345. 415. 455. 456. 457. 468. 470. 490. 499. 503. 517. 539. 547. 551.
ciconiam significare 92.
cicuta 451.
Cincinnatus 103.
cinnamum 518.
cirrati 72.
citrus, materia luxus 86.
claudere versum 121.
Claudianus 305. 409. 451.
Claudius Cæsar 59. 355. 400. 532.
Clausen H. N. 151. 200. 483.
Claverius, Persii interpres, 35. 340. 485.
Cleanthes 403.
Clemens Alexandrinus 179. 181.
Coa 444.
coctum 131. 240.
codices non temere credendi 534. eorum ætas unde concludatur 448.
columbus, palumbus 252.
Columella 105. 231. 270. 423. 455. 486. 523.
comites 247. 385. 389.
comitium 344.
comoediæ antiquæ ius et licentia 152. 161. scriptores 152. 161. sq.
compita 334.
componere et collocare mortuos 297.
conscientia 197. 262. c. punientis descriptiones apud vet. classicos 262.
consonæ more antiquo non geminatæ 126.
Contarinus 307.
cor 500. c. *Ennii* 500.
corbes, cophini Iudæorum 100. 472.
cornei homines 81.
cornicari 376.
Cornutus 85. 160. 371. 372. vid. Persii vet. interpres.
corrumpitur, quod miscetur, ex mente veterum 230. 231.
corvorum, eximium exemplum 41.
costa 126. 515.
Cramer D. A. G. 204.
Crassi divitiæ 205.
Craterus 277.
Cratinus 152. 161.
crematio funerum an novi instituti 303.
crepida, prima correpta 43. differebat a calceo 167. an etiam a solea? 167. pro Græca tragoedia dicta 168.
Cressa nota 177.
creta 177. 469. cretata ambitio 468.
Creuzer 125. 135.
criminandi libido 311. 331. 332
critici officium 70.
crucis signum 320. 321.
crudus 85. 121. 165.
Cruquius 96. 154.
cultus Deorum verus 198. 236. 241. 242.
cuminum pallens 398.
cunæ veterum 199.
cute perditus 69.
Cybeles sacra 472. 488.
Dama 410.
Danaides 219.
Daniel P. 284.
Davus 460.
declamandi exercitationes 265.
decoctum 165. decoquere 400.
Delrio 400.
Demetrius Cynicus 173.
Demosthenes 201.
depilatoria veterum 339.
depungere 550.

deunces avidi 454. 455.
dexter 186.
Dialogus de caus. corr. eloqu. 58. 62. 106.
Didymus, Schol. Homeri, 94.
dies ominosi 177. lustrici 198.
digitus infamis 200. dig. exserere 434.
Dii fratres 218. depellentes 464. D. veterum iræ obnoxii 333. Dis inimicus 332.
Dinomache 327. 353.
Dio Cassius 76. 77. 285. 353. 471. 472.
Diocletianus 58.
Diodorus Siculus 75. 315. 316. 397.
Diogenes, Cynicus, 442.
Diog. Laertius 174. 201. 210. 217. 256. 279. 282. 420. 442.
Diomedes, Grammaticus, 92. 134. 466.
Dionys. Halicarn. 301.
Dioscorides 37. 276. 299. 398. 444.
Dirksen. H. E. 158. 298. 302. 537.
discinctus 261. 354. 368.
distringi 439.
Doering 97. 146. 158. 519. 547.
domini in ægro iecore nati 441.
Domitianus 59. 91.
domu, abl. pro domo 293.
donaria Diis dicata 234. 235. 334. 387. quæ vere accepta 236. 241. 242.
Donatus, Alex. 58. 321.
Donatus, Æl. 40. 69. 141. 168.
Donner, Persii interpres, 36. 233. 441. 443.
Dousa 153.
Drakenborch 545.
Dresd. cod. Persii 35. 52. 91. 102. 123. 166. 229. 379. 454. 546. Præf. VIII.
ducere an proprie funerum 189.
dum ne 327.
Duport 146. 282. 442. 445.
e in compositione significationem auget 282. *e* breve producitur cæsura et ictu 377.
ebenum, non hebenum, 444. cuius generis? 444.
Ebnerianus cod. Persii 212.
ebullire 185.
edictum 175. 176.
effluere 255.
egerit 406.
eheu 446.
eia 441.
ἐι Græc. quo sensu diphthongus 401.
elevare 52.
eliquare 65. 76.
ellipsis 53. 92.
en 443.
enallage subst. pro adiectivo 99. vocat. pro nominativo 259. præs. pro futuro 185.
Ennius 34. 40. 250. 500. *Ennii* cor. 500.
Epictetus 276. 283. 290. 305. 310. 403. 415. 427.
Epicurus 289. 391. eius principium physicum 289. Epic. præcepta 458.
Epiphanius 474.
Erasmus Roterod 156. 321. 430. 447. 512. Erasm. Græcæ pronuntiationis systema 321. 401. 448.
Ergenna 195.
Eriphus 478.
Ernesti 415.
essedum 527.
etacismus 321. 401.
et, que quomodo differant 542.
Etruscorum parsimonia 284. ars et industria plastica 170. 226. 227. disciplinæ 51. haruspices 175. libri fulgurales 196.
E. T. V. 418.
Eunapius 113.
Eupolis 161. 162. cur iratus dicatur 162.
Euripides 109. 119. 263. 309.

397. 419. 445.
Eusebius 499.
Eustathius 94. 414.
εὐθυμία 103.
Eutyches 249.
Eutropius, Flav. 174.
examen 425.
excutere 545.
exossatus 536.
expers 520.
expungere 187.
exsecrationes 480. 485.
exspectare 326.
exsultare 112.
exta 212. anseris 543.
Ezech. 9, 4. 321.
Fabretti 254.
Fabricius G. 58. 220. 439. 485.
Fabricius I. A. 243.
fabula 458. fabulæ sæpius actæ 375.
Facciolatus 528. 531.
faces exstinctæ amatorum 463.
fæneratio apud Romanos 456. 541.
Falernum 246.
far bis tostum 273. a Numa quomodo commendatum 242. farrata olla 336.
farina 431.
Farnabius, Persii interpres, 46. 292. 349. Præf. IX.
farrago, ferrago 411.
fascinatio 386.
fas, ius 239.
Favorinus 395.
Fea, Car. 69. 80. 97. 193. 275. 293. 405. 435. 448. 452. 453. 457. 467. 519. 530. 544.
felicitas Epicuræorum 458.
fenicesæ, feniceces 523.
Ferrarius F. B. 69. 92.
Ferrarius O. 51. 63.
fervere 166. ferventibus cibis delectabantur veteres 306.
festuca 467.
Festus 38. 195. 221. 234.
fibræ 81. in sacris 211.
ficta spolia 526. f. captivi 527 f. triumphus 530.
fictiles Dii propitiores quam aurei 216. 227. fictilia religiosa credebantur 227.
ficus Mercurio sacra 430.
fiscalis annona 307.
flagellare puteal 345. 358. flagellatio aphrodisiaca 363. 358.
flexus metæ 280.
Floralia 469.
Florus 103. 233.
fluvii in triumphum ferebantur 528 sq.
focus 101.
Fonteius Præf. XI.
Fontius B. Persii interpres, Præf. VII. XII.
Forcellinus 448.
fores canticis celebratæ 462. unctæ 463. vino conspersæ 462.
Fortunatus 58.
fractus 67.
Frandsenius 195.
Friedländer 103. 183. 473.
frons 426. Genio sacra 201.
frumentaria largitio 307. 409. ei panis quando successerit 308.
Fülleborn, Persii interpres, 119. Præf. VIII.
fultus 452.
funem reducere 433.
funeris cena 516. f. pompa 297. 301. funerum crematio et sepultura 188. 302. 303.
futurum pro præsenti 182.
Gabinus cinctus 388.
Galenus 224.
Galli grandes 481.
gannire, garrire 423.
gastronomiæ peritissimi poetæ 478.
gausapa 340. 357. 527. lutea 527.
Gellius, A. 84. 107. 143. 168. 177. 212. 246. 301.

Genius 148 sq. 158. 456. 546. sinister 535. cur mero placaretur 180. bini Genii 149. 533.
Germanorum virtus 525.
Gifanius O. 533.
gladiatorii ludi 532.
gluttus 429.
Glycon tragoedus 375.
γνωθι σεαυτον 548.
Goettingensis censor, Persii interpres, 164. 169. 281. 365. 364.
Goltzius 148. 346.
Goodwin 475.
Gorlaeus 64.
Gothanus cod. Persii 35. 52. 53. 54. 95. 102. 123. 516. Præf. VIII.
græcari, congræcari 490.
Græcæ linguæ pronuntiatio 321. 401. 448.
Græci Romæ degentes exosi 490. 520. eorum ostentatio 490.
Græcismi 41. 49. 55. 100. 116. 154. 155. 215. 271. 578. 451. 489. 496. 503. 509.
græcomania Romanorum 59. 167.
Grævius 520. 581. 484.
Greg. Nazianzenus 515.
Gronovius 56. 457. 497. 530.
Grotefend 43. 145. 171. 224. 446. 467. 516.
Gruterus 199. 254. 389. 452. 478. 484. 499. 530.
gulæ experientia singularis 510.
Gutherius 344.
Gyraldus 34. 38. 101. 124. 180. 478. 491.
habitare secum 348.
Hadrianus Cæsar 58.
Hagenbuch 133.
Hansenius 344. 346.
Harduinus 101. 112 299.
haruspices 195. 211.
Hauniensis codd. Persii 55. 56. 59. 40. 41. 44. 49. 55. 64. 69. 73. 75. 77. 84. 91. 95. 96. 98. 100. 101. 102. 110. 114. 115. 116. 118. 124. 125. 128. 131. 134. 135. 147. 158. 160. 166. 171. 182. 185. 188. 202. 209. 210. 211. 212. 215. 228. 245. 256. 259. 260. 265. 264. 265. 267. 268. 271. 272. 273. 275. 276. 278. 280. 286. 287. 289. 292. 293. 294. 296. 299. 302. 308. 311. 313. 314. 315. 317. 318. 321. 327. 330. 331. 336. 340. 342. 348. 375. 377. 378. 379. 380. 381. 383. 384. 391. 392. 393. 396. 400. 402. 407. 411. 412. 413. 415. 417. 420. 423. 424. 427. 432. 435. 437. 440. 441. 446. 448. 451. 453. 454. 460. 461. 466. 467. 468. 481. 493. 494. 498. 500. 504. 510. 513. 519. 535. 541. 543. 544. 546. 549. 550. 551. Præf. VI.
Hauniensis censor 97.
Hauwerkamp 153.
hedera, edera 58. coronandis poetis apta 57.
Heidelb. censor 290. Præf. XIV.
Heindorf 37. 42. 52. 79. 87. 92. 97. 107. 146. 155. 195. 248. 268. 287. 401. 532. Præf. XII.
Heineccius 586. 457.
Heinsius 54. 70. 94. 95. 101. 219. 257. 265. 581. 426. 433. 455. 458. 461. 497. 513. 514. 530.
Heinsii codd. Persii 185. 265. 453. 543.
Heliodorus 40. 221.
hellebori 84. 524. 425.
Henderson A. 246.
Heraldus 255.
herba (in) seges 513.
Herculanenses et Pompeianæ domus incrustatione solidis-

simæ 382. picturæ 135.
hercule 49.
Hercules-Mercurius 186. in bivio 275. 591. an lucro præfuerit 186.
Herder, Persii interpres, 46. 47. 53. 56. 77. 120. 136. 176. Præf. IX.
heres invidus 516. heredi impensæ funebres relictæ 518. hereditatis ab intestato ordo 557.
Hermæ an fratres aëni Persii 220.
Hermann 105. 542.
Herodiani 474. 478.
Herodianus 224. 525.
Herodis dies 474.
Herodotus 81. 220. 485.
Hesiodus 24. 55. 215. 221. 274. 457.
Hesychius 101. 135. 328. 464.
heu, eheu 446.
Heyne 181. 363.
hiare 575.
hiatus 533.
hibernare 498.
Hierocles 257.
Hieronymus 74. 92. 93. 111. 288. 291. 320.
Hippocrates 295.
hircosus 286. 290. 489.
Homerus 42. 50. 94. 97. 109. 124. 181. 202. 212. 500. 509. 524. 372. 459. 501. eius versus in proverbia abibant 50. ab eo et Virgilio lectio incipiebat 71. habet homoeoteleuta 122. 124.
homoeoteleuta 121. 122.
honestum, adiectivo iunctum 240.
Horatius 34. 37. 45. 69. 87. 96. 104. 107. 122. 124. 145. 146. 147. 157. 177. 185. 228. 557. 396. 426. 429. 434. 455. 457. 458. 460. 461. 464. 465. 506. 507. 508. 511. 516. 519. 520. describitur. 154. 156.
horoscopus 595. 506.
humanitatis rarum exemplum 505.
Husumensis cod. Persii 212. 214. 215. 227. 239. 240. 241. 259. 260. 263. 265. 271. 275. 280. 282. 287. 289. 500. 511. 556. 575. 576. 577. 579. 585. 591. 404. 411. 415. 416. 418. 435. 440. 446. 448. 451. 454. 460. 461. 465. 467. 480. 504. 509. 527. 557. 542. 546. Præf. VIII. IX.
hyacinthinus color. 73.
hydrops 291 sq. 296. hydropica medicamina 292. 294.
Hyginus 126. 154. 150. 574.
i comparativorum abl. an bene Latinum 295.
i nunc 326.
Iani 395.
Ianua de 235.
Janus 92.
iecur 212. i. sedes sensuum et affectuum 70. 81. i. anseris 543.
Ienensis censor, Persii interpres, 56. 48. 55. 74. 85. 95. 103. 159. 164. 166. 190. 202. 205. 229. 257. 267. 296. 505. 568. 577. 441. 445. 522. 535. 550.
imperativus 2 coni. adverbialiter positus corripitur 144.
incoctum 240.
incubationes templorum 223.
incusa 214.
Indicum Romanorum commercium 597. 444.
inducere 532.
infinit. pro substantivo 144. inf. historicus 215.
ingenium paupertatis mirabile 40. ing. cuique diversum 597. ingeni, omisso crasi 40.
insolatio 325. 470.

intransitiva cum accusativo 55. 57.
invidia 504. heredis 516.
Iosephus 206. 471. 472. 476.
ira 309. Deorum 355.
irriguus somnus 598.
irrisiones variæ 92 sq. 201.
Isidorus Hisp. 111. 177. 213. 274. 296. 320. 468. 510.
Isis excæcans et morbos immittens irata 484. 485. Isidis vultus in sistro 482. Is. cultus Romanus 472. templum Pompeianum 473.
iste contemptum exprimit 48.
itacismus 521. 401.
iubere 461. 501.
Iudæi Romæ degentes 470. superstitiosi 476 sq. metuentes 478. sabbatarii 476. recutiti 479. sordidi 476. 478. Romanis invisi 470. 479.
Iulianus 340. 373.
Iulius Cæsar 513. 532.
Iulius Firmicus 229.
Iupiter, *Iuppiter* 193. *Iup.* liberator 451.
iurare, periurare 445.
ius fasque 239.
Iustinus 197. Præf. XII.
Iuvenalis 34. 45. 46. 51. 78. 100. 208. 241. 337. 457. 459. 449. 472. 478. 481. 484. 490. 510. 519. Præf. XIV.
Kanngiesser. P. F. 162.
kappa tria pessima 547.
Kirchmann 64.
Kobierzyckius 59.
Koenig, interpres Persii 38. 47. 65. 68. 77. 78. 84. 99. 104. 112. 120. 128. 131. 149. 152. 162. 170. 232. 247. 265. 286. 293. 310. 340. 345. 381. 394. 398. 408. 424. 425. 431. 455. 484. 486. 497. 514. 515. 520. 522. 525. 527. 529. 530. 555. 557. 546. Præf. IX. XIII.
l et *r* permutatæ 146. 480.
Labeo 31. 84.
lacerna 88.
Lactantius 185. 228. 239. 274. 469.
læna 74.
lagena, laguena, laguoena, laguna 506. lagenæ obsignatæ 505.
lallare 254.
Lambecius 199.
lambere 38.
lampada poscere, tradere, λαμπαδηχειν 539 sq.
Lampridius 86. 201. 235.
Lar 128. *Lares* 388. succincti 388. bulla iis consecrata 387.
Latinitatis antiquæ vocabula 376.
laureatæ literæ 524.
laurus in triumpho 524.
lectus, uli. 85. lectus mortuorum 298. 299.
legaliter honestus quantum a vere honesto distet 420. 421.
legibus non propter metum parendum 415. 419. ad legem bonum esse 419. 421.
Leidenses codd. Persii 95. 433. 453.
Lemures 457. 480.
liberalitas philosophica 128.
libertas vera 407 sq. 412. 415. 421. 430. 434. non manumissione acquiritur 418. 420. eius symbola 502. 413. 416. vocis et rei abusus 415.
libertorum nomina 408. 411. iura 412. 509. rasura 415. opes et potentia sub imperatoribus 412.
libido 460.
Libonis puteal 344.
librariorum inscitia et incuria 383. 404.
Licinius dives 203. 204. 332.
liguritores Romani 509. 511.
Ligus, Ligur 198.
limus 555.

linguam sitientis canis significare 95.
lippus 111. 258. 484.
Lipsiensis censor, Persii interpres 54.
Lipsiensis cod. Persii 102. Præf. VIII.
Lipsius 57. 63. 257. 307. 319. 391. 414. 434. 460. 523.
litare 243. 455.
litera, an littera scribendum 147. literæ Græcæ et Lat. veteres 274. Græcarum vera pronuntiatio 321. 401. lit. Tautica 520. lit. Pythagoreæ 274. 591.
littus, an litus scribendum 499.
Livius 103. 150. 167. 205. 210. 216. 224. 227. 243. 456. 468.
locare 529 sq.
Lubinus, Persii interpres 517.
Lucanus 94. 140. 245. 272. 473. Persium videtur imitatus 245.
lucernæ in sacris 476.
Lucianus 172. 225. 248. 256. 263. 273. 450.
lucifer 425.
Lucilius 107. 146. 152 sq. 163. 429. 445. 447. 470. typus Persii 47. 48. 71. 152. 163. 245. Luciliana satira acerba 152. 155. at secura 157.
Lucius Patrensis 93.
Lucretius 40. 254. 275. 463. 559.
Luctatius Placidus 141.
ludere 497.
Lugdun. Persii ed. vetus 278. 289.
Lunæ portus 499.
Luneb. cod. Persii 35. 54. 64. 69. 102. 123. 211. 229. 260. 265. 278. 289. 314. 352. 377. 446. 467. 510. 541. 546. Præf. VIII.
lusca sacerdos Ægypt. 483.
lusus pueriles 267 sq. 428.
lutei capilli 527.
luxuria 451. 455. 459. luxus comes humanitatis 522. l. Romanorum v. Rom.
Lycon, philosophus 275.
Lydi barbari 462.
Lydus I. L. 51. 168. 195.
Lyrici veteres 495.
m ante *t* euphoniæ contrarium 405.
Macrobius 41. 50. 125. 153. 181. 222. 227. 251. 486.
Mæcenas 131. 154. 261.
magnanimus 508.
maiestas manus 316.
Maius Ang. 100.
mamma 253. 254.
mane subst. 245.
Manes 457. 517.
mangonium apud veteres 546 sq.
Manii 538.
Manochius 174.
Manso, Persii interpres, 218. 223. 255.
manumissio 301. 302. 408. 413. 418. iusto frequentior 301.
Manutius. A. 261,
Marcilius, Persii interpres, 46. 53. 55. 71. 93. 115. 120. 136. 175. 184. 213. 270. 349. 380. 477. 509. 521.
mare per hiemem calidius 498. maris expers 520 sq. m. turbati tepor 498. 499.
Markland 56.
Marlianus 344. 546.
Martialis 33. 79. 82. 107. 479. 505. 511. 547.
Martianus Capella 42.
Masurius Sabinus 419.
maxillæ 340. 557.
Maximus Tyrius 198. 479.
Medi 272.
meiere 151.
Meierotto 205.
Meister, interpres Persii, 47. 53. 56. 89. 121. 126. 128. 131. 136. 137. 157. 178. 202. 257. 350 sq. 360. 362. 365.

364. 520. 521. 548. Præf. XII.
Melanchton astrologiæ deditus 395.
Melicerta 426.
melos-nectar 42 sq. Præf. XI.
membrana 250.
Menander 178. 297. 460. 466.
mens bona 177. 184. 415. 419.
mensæ 378.
mercator varietatis humanæ exemplum 397. et avaritiæ 445.
mercatorius Deorum cultus 197. 226.
mercatura veterum 445.
Mercurialis H. 271. 439.
Mercurius-Hercules 186. eius caduceus 150. 187. cultus 220. statua cum crumena 540. ad eum somnia pertinebant 221.
meretrix 462.
Merula P. 500. 501.
Messalæ lippa propago 237.
méta 280.
metempsychosis 502.
metonymia durior 528.
Meursius 511.
meus 418.
milvus quantum volat 332.
Mimallones 132.
min' pro mihine 48.
Minucius Felix 581.
miser 304.
modice sitiens lagena 293. modicus voti 428.
mola salsa 242. molæ Romanorum 412.
Monachini codd. Persii 52. 54. 69. 95. 123. 546. Præf. VIII.
monosyllaba nomina 460.
monotheismus Stoicorum 282.
Montfaucon 459. 485.
Monti, Persii interpres, 116. 120. 218. 303. 520. 535.
morbi animi 304. 305. 309.
Morestellus 189.
Morus Th. 172.
moveri 455.
Münter 187.
Muretus 84. 536
Murmellius, Persii interpres, 40. 46. 69. 119. 136. 155. 251. 275. 292. 334. 349. 377. 417. 446. 449. 510. 554. Præf. IX. XIII.
murmur precantium in templis 182.
Musgrave 109.
Mycon 271.
næniæ nutricum 254.
Nardinus 57. 59.
nares, nasus 75. 79. 156. sedes irrisionis 79. 155.
narrare, narare 75.
Nasser, interpres Persii, 47. 53. 85. 93. 104. 120. 130. 136. 446. 454. 466. 510.
natales dies 178. 179. 507. natalitia munera 63.
naufragi 513. radebantur 415. eorum cantus 118.
navem, navim 425.
ne pro nequidem 466.
nectar pro melos 42 sq.
nempe 234.
Neogræcorum pronuntiatio 448.
Nephthys 482.
Nepos, Corn. 220. 272. 522.
Nero 58. 91. 400. an a Persio notatus 50. 68. 70. 72. 76. 91. 100. 125. 136. 159 sq. 174. 511. an præcipue in Sat. 4. notatus 511. 549 sq. an ipse poeta 59. 76. 123. 136. 158. 159. 140. 141. 371. Carmina recitavit 59. cum Alcibiade comparatur 350. 361. 364. describitur 51. 65. 70. 74. 76. 77. 261. 356. 359. 360. eius quinquennium 352. 359. 360. qualis artifex 46. 76. 371. aleator 400. musicus 65. 137. cæsarie crispata 251. 356. 365. an imberbis 357. 369. an iure hereditario im-

perinm capessiverit 359. eius nummi 356. 358. 365. 369. vicini assentatores 357. 369.
neurospasta 440.
nonaria 174.
Nonius Marcellus 254.
Nonnus 436.
non pro ne 51.
Norimb. cod. Persii 64. 69. 102. 125. 171. 214. 259. 256. 318. 379. 416. 432. 457. 454. 463. 500. 509. 510. 511. 515. 527. 546. Præf. VIII.
Noris 386. 435.
nosce te ipsum 55. 531. 547. 548.
nostrum hoc maris expers 520.
nox pro somniis expiandis 191.
nucum iactus, lusus Rom. 269.
nugæ, nugari 90.
numerus 57. 120. 436. numerosa iunctura 120. cuius exempla 122 sq.
nummi Bruti 416. Libonis 345. 346. Neronis et Agrippinæ 358.
o aspiratum non elidit vocalem anteced. 278.
o finale verborum 90.
o pro *u* 55. pro *au* 554.
obba fissilis, sessilis 455.
obstipum caput 288.
ocellus 67.
ocimum 550 sq. 568. oc. cantare 565. 568.
ocius 450.
oculi urentes 202.
officiorum descriptiones 277.
ohe 69.
oleo quævis perfundendi ritus Hebræorum 476.
olim 543.
olitores, olerariæ mulieres in contemptissimis habebantur 529.
olus 507. 507.
ὁμοιοπτωτοι et ὁμοιοτελευτοι versus 122 sq.
operæ pretium 500.
orca 269.
orcini 502.
Orellius, Persii interpres, 45. 49. 52. 55. 56. 61. 99. 100. 103. 104. 120. 129. 153. 145. 215. 220. 238. 248. 265. 266. 275. 278. 292. 296. 303. 403. 407. 446. 449. 466. 467. 468. 478. 484. 491. 497. 500. 510. 519. 521. 555. Præf. VIII. X. XI. XIII.
otium verum 492.
Ovidius 54. 92. 93. 94. 101. 191. 276. 572. 455. 457. 462. 469. 481. 484. 513. 514. 516. 529. 536.
p Græcum Latinis *ph* 75.
Pacuvius 106. 108. 110.
pæderastia 584.
Palatina Rom. 57.
palæstrita 340.
Palilia, Parilia 101. 191.
palingenesia Pythag. 501.
pallere 35. 165. 289. 290. 578. 598. 402.
Panætius 38.
panis fiscalis 307. 308.
pannucia 527.
Panvinius, *Onuphr.* 225. 469.
pappare 253.
parasemon navis 514.
paria 532.
Parisini codd. Persii apud Achaintrium vide Ach.
Paris. cod. Persii apud Weberum 210. 215. 314. 332. 336. 373. 375. 377. 383. 384. 415. 432. 433. 437. 440. 451. 461. 465. 506. 507. 513. 553. 546. Præf. VIII. XIV.
Parnassus, Parnasus 34.
Parthi Romanis infesti 374.
participia passive significantia 375.
Passow, Persii interpres, 36. 42. 45. 47. 49. 52. 55. 54. 56. 64. 65. 68. 69. 75. 78.

85. 97. 98. 99. 100. 101. 104. 110. 116. 117. 118. 119. 127. 129. 152. 155. 157. 141. 147. 149. 156. 162. 165. 176. 192. 255. 259. 265. 275. 275. 278. 281. 292. 305. 508. 517. 519. 593. 403. 406. 417. 424. 446. 449. 465. 466. 468. 497. 500. 510. 520. 544. Præf. V. VIII. IX. X.
patella, salinum, sensu religioso 257.
Patrum eccles. errores 474.
patruus 55.
Pausanias 55. 271. 514. 540.
pavo 502.
peccare 253. 519.
pedes mortui in portam versi 500.
Pedius Blæsus 114.
peior 504.
pellis 452. cutis 295.
Peloponn. belli initium 515.
Penates 588.
Pentheus 155.
peragere 448. 508.
perfectum aoristicum 119.
Pericles 514. 515. Pericli 514.
peronatus 425.
Persius mitis et humani ingenii 173. Iuvenale æquior 167. a vanitate alienus 166. modestus 55. 577. erga Cornutum pii et grati animi 572. 579. 584. Stoicus 55. 81. 173. 271. 362. 364. 372. Græcomaniæ Romanæ non cæcus insectator 167. 173. superstitionis ipse non immunis 595. eam acerrime impugnat 470 sq. scribendi genere insolito usus 55. 110. 259. 402. durior 56. obscurus 46. 70. imagines non e propinquo petens 56. eas cumulans 70. 145. 582. quantitatem prosodicam non ubique servans 45. 101. 554. aliaque poetica licentia non abstinens 542. æmulator Lucilii 47. 71. 107. 152. 245. an Horatii? 46. 47. 155. 175. 182. 186. 188. 195. 211. 248. 258. 275. 296. 522. 551. 557. 558. 542. 574. 575. 581. 596. 597. 400. 426. 428. 456. 458. 440. an Catulli? 153. Platonem quomodo imitatus sit 514. 524. 550. an Neronem notaverit, v. Ner. eius ingenium et consilium scribendi 45. 47. 56. 96. 562. 564. e. ævum flagello satirico dignum 46. 152. satirarum genus 48. 362. argumentum Prologi 45. 46. Sat. primæ 45. 46. 362. secundæ 177. 562. tertiæ 245. 562. quartæ 511. 564. Quæ obstant, quo minus Sat. 4. in Neronem trahatur 560 sq. ad hæc Meisteri aliorumque responsa 560. 561. 563. 564. arg. Sat. quintæ 572. sextæ 491. singulas satiras scribendi occasio 562. dialogismi ratio 46. 120. Præf. XI. P. monitor 47. 119. Prologi metrum 45. 44. Prol. satirarum sequentium præfatio 53. non cum Sat. 1. continuanda 45. loca difficiliora 42. 46. 53-56. 64-67. 119. 218-225. 329. 554. 544. 474. 497. 520. 555. Præf. XI. XII. XIII. XIV. l. imperfecta 78. 256. l. ironica 49. 72. 77. 129. 147. 148. 151. 192. 195. 198. l. sale asperrimo aspersa 57. 89. 151. 170. 185. 411. 505. 525. l. gravissimi argumenti 256. 262. descriptiones eximiæ 67. 275. 291. 557. 406. versus suspecti 40. 78. Præf. VII. X. XIII. P. vetus Scholiastes (Pseudocornutus) 58. 59. 48. 50. 69. 84. 92. 96. 115. 156. 141.

219. 260. 269. 372. 379. 388. 391. 412. 417. 460. 471. 475. 478. 479. 480. 484. 492. 495. 497. 498. 500. 501. 502. 505. 510. 515. 519. 546. Præf. VI. VIII. alii interpretes 56. 46. 119. 120. 156. 510. 519 sq. 419. Præf. V. VII. VIII. an P. Lunensis 499. quando decesserit 507. Vita eius antiqua 47. 78. 245. Præf. VI. non in omnibus fide digna 159. 160.
Petitus 476.
Petronius 38. 39. 40. 186. 200. 266. 370. 429.
pexus 62.
Phædrus 41. 381. 409.
phaleræ 260.
Philargyrius 554.
philautiæ descriptio 531. 545.
Philemon 179.
Philo, Iudæus, 67. 100. 142. 228. 275. 471. 475.
philosophiæ laus 279. 421. 427. 503. capita gravissima 279. 304. osores 285. 290. 489.
philosophi quid habeant eximii 420. 421. p. domestici 247. 248.
Phocylides 41.
phoenix avis 80.
Pignorius 483.
pigritia 441.
pilæ marinæ 254.
pileus 502. 415. eius usus apud Græcos et Romanos 415. 414.
Pindarus 44. 294.
pinso, piso 92.
piper 284. 397. 508. 522. rugosum 597. p. et palmæ pro peregrinis mercibus 520 sq.
Pirene pallida 55.
Pithoeus, Persii interpres, 44. 45. 64. 75. 259. 241. 256. 278. 280. 288. 292. 527. 552. 558. 575. 578. 579. 585. 411. 455. 442. 445. 446. 454. 460. 461. 510. 519. 553. 558. 550. Præf. VIII. IX.
pituita 45. 225.
plasma 65.
Plato 119. 164. 180. 207. 216. 226. 251. 512. 559. an scripserit Alcibiadem primum 312. 314. 524. et Alc. secundum 217. Platonica psychologia 70.
plausuum artificiosa doctrina 83.
Plautius 136.
Plautus 155. 170. 190. 199. 224. 245. 246. 253. 296. 557. 544. 546. 407. 417. 449. 452. 462. 468. 517. 525. Præf. XIV.
plebecula 516. 525.
Plinius maior 59. 41. 66. 79. 86. 93. 152. 299. 505. 508. 469. 480. 519. 524. 545.
Plinius iun. 57. 59. 60. 75. 115. 140. 291. 295. 526. 492.
Plutarchus 65. 82. 89. 115. 194. 282. 511. 525. 557. 416. 454. 465. 480. 485. 488. 509. 541.
poematum lectio in conviviis 75. in ludis Rom. 71. recitatio 59.
poesis non in arte solum posita 96. 117. 152.
poetæ recitantes 59. rerum naturalium peritiores quam physici 94. p. repente facti 54. eorum honores 57. methodica lectio in ludis Rom. 71. in quantitate prosod. licentia 45. 401.
polenta 275.
Politianus, Persii interpres, 42.
Pollux 269. 298. 500.
Polyænus 152.
Polygnotus 271.
polypus, prima producta 42.
polysyllaba nomina 461.
Pompeiis retectis 475. memo-

rabilia effossione detecta 176.
Pomponius 146.
ponere 87. 100. 373. p. capillos 250. 252.
Pontus 442.
popa 545.
populare iudicium 52. 55.
Porphyrion 96. 154. 182. 261. 452. 502.
Porphyrogenneta 547.
porta 300.
Porticus, Poecile Stoicorum, 271.
posca 337.
postes spoliis ornati 526.
pote 90.
præ adiectivis addere Persius amat 215.
præcordia 155.
prætexta an custos fuerit pueris ingenuis 584. sq. quo ætatis anno deponeretur 585.
prandium, cena 175.
preces impiæ, mercatoriæ 180. 186. 197. 207. piæ 181. 207. 208. 256. precibus temerariis Dii annuere credebantur 209.
premere 393. pressus 428.
prendere 513.
Priscianus 104. 245. 259. 317. 318. 373. 376. 404. 418. 425. 474. Persium citans 69. 75. 99. 245. 317. 503.
Probus, Grammaticus, 444.
Procne 374.
procrastinatio 404. 405.
Prodicus 275. 391.
Prologus Persii v. Pers.
Prometheus lusus 540.
propaginis quantitas prosod. 259.
prope 338.
Propertius 88. 124. 227. 268. 459. 465. 465. 529.
proverbia Homerica 50. proverbiales phrases 50. 55. 70. 71. 155. 215. 256. 277. 322. 324. 332. 335. 425. 432. 434. 450. 465. 509. 512. 539. 545.
Prudentius 76. 419. 487.
Prusiæ abiecta adulatio 413.
Pseudocornutus v. Pers.
puella 305.
puer 464. puerorum Rom. custodes 585. pueriles lusus 267 sq. 428. 450. 453.
pulcrum, pulchrum 71.
pullatæ nugæ 597.
pulmo, sedes fastus et tumoris 57. 421.
pulpa 250.
puls, pulmenta, pulmentaria 297. 523. puls pro antiqua frugalitate 522. 523. pultiphagus, pultiphagonides 523.
puppa 255. puppe 515.
puta, puto 517.
puteal 343 sq. 358.
Puteanus Eryc. 174. 344. 346.
Puteanus cod. Persii 454. Præf. VIII.
putris 400.
Pylades, æmulus Bathylli 436.
Pythagoras 149. 171. 181. 256. 275. 501. Pythagorea somnia 501.
quandoque pro quandocumque 333.
quantitas syllabarum licentius a poetis tractata 43. 250.
qui cum indicativo, an coniunctivo? 107.
quid cum infinitivo 69. Præf. XIII.
quin cum indicativo, satiricum 441.
quincunx modestus 454. 456.
Quinct. non Quint. scribendum 102.
Quinctilianus 55. 71. 80. 102. 104. 108. 113. 115. 118. 120. 125. 151. 143. 144. 161. 165. 265. 266. 288. 384. 406. 471. 491.
quippe iron. 118.

Quirites 501. 502. 409.
r litera 146. *rho* Græc. 146.
Rabirius 150.
radere 231. 509. 578. radebantur manumissi 413. et naufragi 413.
Ramshorn 522.
rapere 450.
ratio humana, λογικον ἡγεμονικον 548. 434.
recitationes poetarum et oratorum 57 sq. 64. 75. carum apparatus 58. 64. commoda et incommoda 60. recitationum turpis abusus 61. 75. 81. 82. 87. 113.
rectum 435.
recutiti 479.
redemptores 550. 551.
redire, venire de hereditatibus 550. r. in rugam 548.
regula fallere sollers 592.
Reizius, Persii interpres, 47. 53. 93. 99. 100. 104. 120. 401. 433. 497.
religio a superstitione distincta 198. 199.
relinquo, remitto 56.
Remigius 97.
res pro neutris pronom. et adiect. 147.
Reuchlinus 521. 401.
Reuvens 168.
Revardus 546.
rex 98. 206.
Rhenus 528. in triumphum ferebatur 529. Rheni ingentes 528.
rhombus 508.
ῥωβικοι 102.
Roma turbida 52. urbis descriptiones 58. 59. 223. 544. 459. 472. 511.
Romani an pileati 413. 414. solebantur assiduo 525. 470. morosi et arrogantes 517. originem Troianam iactantes 51. parentes filiorum declamantium ostentatores 266. 267. par. liberis auctores Iudaicæ superstitionis 479. Romæ ceterum exosæ 470. ad sacra accessuri abluebantur aqua 190. clientes illiberales 205. inprimis Umbri 284. ferventissimos cibos amabant 306.
Romanorum bibliothecæ 57. 57. 58. imaginibus eruditorum ornatæ 57. recitationes v. rec. copia poetarum 45. philosophorum 247. sensus pulchri corruptus 46. 81. 96. 116. 152. superstitio 177. 386. 470 sq. studii poetici affectatio 72. ostentatio declamatoria 114. 115. 265. 266. formandæ vocis magistri 65. lectores in convivio 75. dictandi consuetudo 72. 85. et quidem d. versus inter pocula 85. græcomania 59. 167. in villis otium 492. 498. liberorum institutio 247. 265. 266. ars gymnastica 599. saltatio mimica 436. s. per funem. 454. lusus funiculorum 453. l. talorum vel tesserarum 267. 299. senilis hic, an quoque puerilis? 268. l. trochi 270. nucum 269. ludi gladiatorii 532. varia irrisionis genera 93 sq. 201. apricatio. 526. 470. vestes domesticæ et forenses 74. lecti 85. munera natalitia 65.
Romanorum Comitium 544. iudicia 114. mercatura 597. usuras computandi ratio 454. ditissimorum quidam 205. 205. viscerationes 555. mortui extra urbem efferebantur 502. utrum cremandi, an sepeliendi? 188. 505. hereditatis ordo 557. R. sacrorum vestigia in ecclesia Rom. Cath. hodierna 151. 185. sacra pe-

regrina 470 sq. cura in arcenda sacrorum inquinatione 151. cura in fulminibus condendis 195.
Romanorum mollities 51. 63. 64. 74. 112. 251. 290. 357. luxus 228. 308. in annulis 63. hyacinthinis vestibus 73. cura togæ 63. comæ cultu 62. 251. unionibus 231. unguentis 230. 299. 325. 505. in citro 86. testudine secta et picta 86. ornamentis aur. et argenteis 214. statuis 223. lancibus 237. in alendis psittacis, picis 39. corvis 41. turdis 509 sq. anseribus 543. in ornithonibus 512. in balneis 295. 595. servis 301. in funeribus 297. 299. cena ferali 516. in largitionibus publicis 517. 533. triumphis 529. 531. 532. Rom. perditi mores 53. 54. 67. 89. 114. 185. 246. 384. 399. 400. ambitio impudens 468. gula 398. 481. 509 sq. gulæ subtilis peritia 481. 491. 509. pæderastia 384. iuventutis petulantia 112. 291. manumittendi licentia 301. pilosas corporis partes vellendi ars 338. fæneratores 456. imperatores alcatores 400. in nominibus affectatio 411. populus Rom. largitionibus corruptus 517.
Romulus 116.
Roquefeuil 200.
rosa, florum regina 206.
Rosenmüller 149.
Rothianus Persii codex 230. Præf. VIII.
rubrica 97. 419.
rubrum colorem Romani amabant 465. 477.
Ruddimannus 108. 185. 293. 314. 338. 373. 405. 410. 461. 500. 532. 542. Præf. XIV.
rudere 43. 250.
Rufus S. 314.
Ruhkopf 476.
Ruhnkenius 195. 275. 304. 415. 447. 515. 536. 537.
Ruperti 549.
ruris solatia 492.
Rutgersius 196.
Sabini tetrici 493. 496.
sacer 151. 194. 507.
sacrificiorum origo 215. 244. abusus 216. 226. 236. 242. 244. quam iis vim philosophorum acutissimi tribuerint 242 sq.
Sagittarius 380.
salinum 257. 258. regustatum 447.
Salmasius 65. 68. 341. 414. 484. 504.
Salmuth 38.
saliva 199. 510. s. Mercurialis 429.
Sallustius 262. 305.
saltatio Italica 456.
sambuca 421. 422.
sanctitas, τὸ ὅσιον 226. 236. 240. 241.
Sanctius 382. 517. 534.
sannæ 96.
saperda 441.
sapiens liber v. libertas. sapientis character 279. 421. 430. 431.
Sarisberiensis Ioh. 399. *Sarisb.* cod. Persii 402.
sartago 111.
satiræ Romanæ ius et licentia 156.
Saturnus 396. Saturnia æra 227.
scabies 188.
Scaliger I. C. 68. 121. 134.
Scaliger I. I. 136. 259. 474.
Scaurus Ter. 71. 102. 513.
Scheller 98. 118. 415. 448. 458.
Schleiermacher 217. 312.
Schmieder 344.
Schneider K. L. 34. 40. 73. 80.

102. 105. 126. 146. 147. 193. 230. 245. 279. 288. 314. 317. 375. 407. 448. 458. 467. 500. 523. 534. 541.
scholia antiqua non incorrupta 141. 142.
Schrevelius, Persii interpres, 120. 136. 292. 349. 428. Præf. IX. XIII.
scilicet ironice 118. 315.
Scoppa 104. 189. 461.
scribendi instrumenta veterum 250. 252.
securitas vera 503.
Seebode 212. Præf. IX. XII.
Seneca 66. 89. 112. 119. 173. 181. 182. 207. 251. 295. 306. 309. 310. 331. 343. 392. 403. 419. 438. 458. 459. 476. 487. 544. 546.
senes in fabulis 68. senex 163. senium 505.
senio 267
sententiæ 40. 53. earum abusus 116.
Serenus Sammonicus 486.
seria 186.
serpentes Genii 148. Ægyptiæ originis 149. cur duo? 149. inde caduceus Mercurii 149.
servorum conditio 547. eorum immensa multitudo 301. s. literati 240.
servitus corporis 438. 441.
Servius 34. 80. 92. 101. 125. 141. 149. 165. 178. 196. 319. 388. 443. 450. 470. Persium citans 41. 56. 131. 189. 249. 274. 400. 425. 510. 544. Præf. VIII.
sessilis 453.
Sextus Empiricus 394.
siccus 461. 507.
sideribus vis in res humanas dirigendas tributa 394. in tempestatem 426.
Sidonius Apollinaris 97. 103. 113. 135.
Sigonius 314. 418.
Silicernium 416.
siliquæ 273.
Silius Italicus 190. 499. 514.
Simonides 545.
simplex verum 119.
Simplicius 181. 213. 290. 395.
sinciput 543.
Sinner 120.
sistere 551.
sistrum Isiacorum 482.
sive, sive . . an 98.
Socrates, philosophus, 311. 313. eius cum Alcibiade conversatio 311 sq. ei. barbam an vulserint Athenienses 174.
Socrates, Scholasticus, 330.
solaria, horologia 246. loca aprica, heliocamini 326.
Solinus 397.
sollers 391. 451.
Solo pro *Solon* an bene Latinum 287.
somniis vis præmonendi tributa 223.
sonare 255.
σοφοκλεις 61.
sorites 551.
Sotion 330.
Sozomenus 320.
Spanhemius 136.
Spartianus 62. 89.
splen, sedes risus 56.
sputum, medicamen magicum 199.
Stallbaum 108. 293. 518. 542. 545.
Stapel 330.
Statius 34. 257. 267. 288.
Stieber 78. 159. Præf. XIII.
stloppus 376.
Stoici 51. 273. 417. 431. 432. 440. de sapiente 272. 279. 421. 430. 431. 452. 434. 415. de stulto 434. 435. de philosophia 279. de virtute 281. de ægro et insaniente animo 279. 304. 310. de sui ipsius

cognitione 53. 331. 347. 348. de sui imperio 304. 438. de contemptu divitiarum 283. de mollitie et frugalitate 309. 428. de libidine 305, 460. de ira 309. de tumiditate 309. de libertate 372. 414. 415. de servitio 430. 434. 438. 440. 441. 459. 468. de officiis 319. 421. de peccatis æqualibus 422. 434. de fato 280. de uno Deo 282. Stoicæ sapientiæ descriptio cur adeo altiloqua 431. St. an se ipsos dixerint sapientes 431.
Stoicidæ 51.
Strabo 35. 299.
strigilis 458. uncta 439.
stringere 252.
Struve K. L. 40. 93. 117. 467.
stuppa 444.
subæratum 427.
suber 130.
subiit, ult. longa 215.
subst. pro adiectivo 496.
subtegmen 544.
Subura, Suburra 389.
succinere ambages 255.
Suetonius 57. 65. 73. 74. 76. 77. 83. 89. 140. 159. 168. 198. 251. 551. 355. 473. 525. 530. 552.
Suidas 161. 328. 339. 371.
sufflare 327.
sulfur, sulphur 194. sacrum 194.
sumen, materia ganeæ numerosa 87. calidum 306.
sumere 437.
supellex 348.
superstitio 177. 178. 180. 181. 185, 191. 195. 198. 211. 586. 594. 396. 470 sq. 481. 488. a religione et pietate quantum differat 198. 479. est generis diversi 479. eius terriculamenta 480. s. non imprudenter fugienda 488.
supplantare 76.
supponere 392.
surda vota 514. surdum spirare 518.
Surrentinum 294.
suspendere excusso naso 155.
Synesius 229.
synizesis 422.
Syrus P. 548.
Tabulæ XII. 146. 151. 298. 302. 303. 537.
Tacitus 76. 98. 114. 139. 140. 238. 269. 272. 351. 356. 412 456. 472, 525. Præf. XII.
Tages 196.
tali, tesseræ 267. talo recto vivere 426.
tangere cubito 338. t. oculos olivo 264.
Taubmann 523.
Tavernier 445.
tectoria 382.
Teleclides 512.
temulenti descriptiones 275.
tenere 424.
tenuia rerum officia 421.
tenus 512.
terebrare salinum digito 448.
Terentianus Maurus 38.
Terentius 98. 214. 327. 419. 460. 465. 467. 517.
ternarius numerus 190. 200. 487.
terræ filius, progenies 538.
Tertullianus 91. 235. 340. 385. 590. 396. 455. 474. 516. 518.
tetricus 493.
Theocritus 44. 122. 255.
Theognis 42. 77.
Theophrastus 66. 86. 145. 148. 253. 337. 425. 445.
thermopotare 296.
Theta nigrum 519. 352. Thita pro Theta 321.
Thomasinus 224. 447.
Thorlacius, Persii interpres, 122. 136. de homoeoteleutis 122.
Thraces superstitiosi 178.

Thyestes 374. 378.
thymus 477. res sacra 478.
Tibullus 98. 145. 179. 191. 200.
Tigurinus cod. Persii 35. 40. 52. 54. 64. 69. 95. 102. 147. 210. 212. 239. 240. 256. 259. 260. 266. 267. 272. 275. 289. 292. 294. 295. 296. 311. 317. 318. 336. 376. 377. 379. 383. 391. 393. 396. 400. 402. 411. 412. 423. 427. 428. 432. 435. 440. 441. 446. 448. 451. 454. 460. 466. 467. 487. 494. 500. 513. 519. 541. 545. 546. Præf. VIII.
tingo, tinguo 507.
Titi ingentes 68.
Titinius 486.
toga 63. 88. 390. 391. verba togæ 377. togæ dealbatio 469.
Tornorupæus, Persii interpres, 46. 349.
torosa iuventus 290.
Torre di Quinzio 103.
trama 544.
Trebellius Pollio 96.
trepidare 465.
tressis, semissis homo 410.
tris, treis, tres 435.
triumphalis apparatus 524 sq. 531. triumphantes domus 526. triumphus fictus 525 sq. 530. t. Iulii Cæsaris 532.
trochus 270.
Troïades 50.
Trossuli 112.
tum, tunc 479.
tumidum scribendi genus 57. 97. 99. 109. 374.
turda. turdus 510 sq. Romanis in deliciis 509. sq. et Græcis 511. t. Luculli 509.
Turnebus, Persii interpres, 39. 65. 74. 75. 76. 83. 95. 101. 110. 143. 165. 180. 188. 218. 253. 280. 303. 328. 329. 345. 381. 390. 421. 426. 446. 452. 458. 470. 486. 495. 498. 501. 505. 518. 521. 532. 534. 541. 544. 547. 549. Præf. V. VIII. XI.
tus, thus 79. 444.
tutela navis a parasemo distinguenda 514.
tutor 295.
udum, ὑγρον 67. 143.
ulcus 308. 309.
Ulpianus 302. 285. 456. 537.
ultro 466.
Ulysses illecebras Sirenum evitans 459. U. pileatus 414.
umbo candidus 390.
Umbri pingues 284.
unctio Romanis frequens 505. unctus, unctum 325. 505. uncta fenestra 476. unguen 506. 523.
ungues effundere 96. ad unguem 97.
Uratisl. cod. Persii 40. 69. 265. 377. 546. Præf. VIII.
urentes oculi 202.
Ursatus 319. 418.
urtica 542.
usuræ apud veteres 454. 541. eas Romanorum computandi modus 454.
usus rerum moderatus 508. 512; u. loquendi vulgaris 54. 71. u. edendi 511.
utor, fruor 233.
Vadiani codd. Persii 127. 128.
vafer 155.
Wagner, Persii interpres, 120. 190. 229. 359. 510. Præf. VIII.
Valckenarius 109.
Valerianus Plinius (Siburius) 339.
Valerius Flaccus 272.
Val. Maximus 84. 150. 153. 205. 225. 228. 257. 315.
Val. Probus 117. 159. 503. 544.
vapidus 432. 453. 505. vappa 410.
variæ Persii lectiones præcipuæ 42. 52. 67. 94. 95. 102.

128. 158. 185. 188. 249. 265. 377. 420. 441. 454. 494.
varicosus 489.
varietas ingeniorum morumque 397.
varo, baro 446 sq.
varus 506.
Varro 71. 112. 180. 215. 250. 550. 442. 510. 511. 559.
vasa 207.
Weber, Persii interpres, 105. 120. 134. 169. 182. 190. 208. 212. 214. 215. 253. 240. 242. 249. 263. 266. 287. 289. 290. 294. 518. 542. 564-570. 575. 580. 585. 597. 402. 405. 407. 418. 428. 442. 446. 449. 451. 454. 467. 468. 496. 500. 520. 527. 535. 546. Præf. VIII. IX. X.
Vectidius 332. 555.
Wedderburn, Persii interpres, 40. 190. 442. 446.
Vegetius 294. 422.
vegrandis 131.
Veientanum rubellum 452. Veiorum ruinæ effossæ 452.
Velius Longus 466. 515.
Velleius Paterculus 101. 106. 163. 184. 532.
vellendi mos et remedia 538.
veneficæ 481.
Veneri dona virginum consecrata 234.
Venetæ Persii edd. vet. 278. 289. 527. Præf. VII.
venosus 106.
verba 2 coni. olim et 3 coni. 145.
verendum aliquem ante oculos habere 592.
verna 554.
Wernsdorf 494.
vero in ironia 118.
Verrii Flacci calendarium 467. 472.
vertere aliquid 445.
vertigo 409.
vetavi an bene Latinum 420.
vetulus 54. 68. 90.
vibix, non vibex 347.
Victorinus M. 71.
vide 111.
Vienn. Præd. cod. Persii 127.
villæ Romanæ otio aptæ 492. quæstuosæ 511.
Vimar. cod. Persii 52. 95. 154. 210. 212. 214. 286. 317. 336. 542. 575. 579. 585. 592. 598. 402. 405. 416. 425. 424. 452. 440. 445. 446. 461. 467. 468. 480. 494. 500. 507. 510. 515. 518. 542. 546. Præf. VIII. XIV.
vin' 465.
vincere ferto 212.
vinci laborare 595.
Winckelmann 97. 170. 197. 228. 520. 582. 475. 484. 485. 564. 526. 540.
vindicta 418.
Vinetus, El. Santonensis 85. 91. 158. 142. 219. 260. 280. 416. 555. Præf. VIII.
vinum Græcum 521.
violæ 477.
Virbii clivus 538.
Virgilius 55. 100. 120. 124. 128. 129. 149. 150. 201. 202. 211. 214. 252. 242. 270. 274. 298. 372. 435. 464.
virtutis via ardua 275. v. præstantia 281.
viscerationes 555.
Visconti 220 589. 485.
vita brevis 457. v. assidua mors 458.
vitia morbi animi v. morb.
vitrea bilis 248.
Vitruvius 65. 79. 295. 582.
vocum veterum primordia 194.
volsella 542.
voluptatis illecebræ 459.
vomere 277.
Vopiscus 508.
Voss. I. II. 191. 214. 496.

Vossius G. I. et Is. 133. 139. 440. 466.
vota stolide precantium 207.
vulnera passive sumpta 574.
Xenophon 40. 179. 242. 275. 591. 504.
Y litera Pythagoræ 274. 591.
Zeno 282. 381.
Zoega 125.
zoologi de castore 444.
Zumpt 108. 293. 522. 538. 446. 542. 545.

ERRATA: *pag.* 11. *lin.* 26. *lege: sacro.* 42, 4. *adsciscenda.* 95, 23. *pro quinque l. sex.* 159, 20. *audaculus.* 274, *l. ult. omissum aliquid reperitur, quod cum locus hic non capiat, vide in libro nostro: Marcello Palingenio Stellato, Othin.* 1817. *p.* 221. *excurs. L. uberius expositum.* 370, 7. *si postulet.*

4776

s, Aulus
d. by Plum.

NAME OF BORROWER

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 13 27 25 07 013 6